EXAMEN RESPONSIONIS FAUSTI SOCINI, AD LIBRUM JACOBI WIEKI, ...

Johannes Junius, ...




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
20 I
4 M



EXAMEN RESPONSIONIS FAVSTI SOCINI,

Ad

Librum *Jacobi Wieki,*

DE

Divinitate Filij Dei & Spiritus Sancti,

Ubi simul nonnunquam aliorum etiam Samosateniorum rationes discutiuntur.

Institutum per

IOANNEM JUNIUM, Ecclesiæ Assendelphensis Ministrum.

HIERONY. In Epistola ad Chromatium.

Nova sic non cudimus ut vetera destruamus.

ex Libris Bibliothecæ D. D. Caroli De Pradel episcopi Monsp



AMSTERODAMI,

Apud Henricum Laurentium, Anno 1628.

CLassis Harlemensis hunc librum visitavit & perlegit, Orthodoxũ in omnibus reperit, & dignum ut publici juris fiat æstimat, atq; adeo diligenti Doctorum Lectioni serio commendat. Actum secundo Nonas Feb. 1628.

Quod prædictæ Classis nomine testamur:

HENRICUS GEESTERANUS.
HENRICUS SWALMIUS.

Ecclesiæ Harlemensis Ministri ad hoc negotium Deputati.

BENEVOLO LECTORI
Gratiam & pacem à Domino.



CHriſtiane lector, ſicuti in confeſſo eſt, Theologiam eſſe ſcientiarum nobiliſſimam; ita inter ea omnia quæ Theologia tractat, nullum objectum dignius, quàm Dei Filius. Incomparabiliter pulchrior hæc margarita Chriſtianorum, quàm Helena illa Græcorum. Quid humanæ menti poteſt offerri auguſtius? hoc cognitum beat hominem. Unde illud Apoſtoli ὀυ γάρ ἔκρινα τȣ͂ εἰδέναι τὶ ἐν ὑμῖν, εἰ μὴ ιησȣ͂ν χριϛὸν, καὶ τȣ͂τον, ἐϛαυρωμένον: quid ſatis eſt, vt poeta cecinit, ſi Roma parum? Hunc tantum theſaurum Eccleſiæ concreditum, Satanas miris artibus, varijſque modis, mortalibus per ſuos ſatellites eripere ſemper ſtuduit: nec defuit conatibus ſucceſſus: quamquam nec admirãda Dei benignitas defuit Eccleſię, quæ cum ſit columna & ſtabilimentum veritatis, ad concreditum ſibi Dei eloquiũ cuſtodiendum, vigilavit. Nam cum naturas confunderet Eutyches. Neſtorius perſonã multiplicaret, Manichæus pro veritate corporis phantaſma ſubſtitueret, Samoſatenus nobilioris naturæ gloriam eriperet, & humanæ ſuperbię ebuccinator Pelagius beneficia everteret, ea quâ decuit induſtriâ, Eccleſia Chriſtiana iſtos errores fæliciter oppreſſit, & victrice veritate de illis triumphavit. At nunquam interea quievit nec quieſcit Satanas: hinc illæ hæreſium recidivæ. Videmus proh dolor Pelagium, videmus Samoſatenũ redivivos; in vno Socino vtrumq;, qui cũ nihil pene in

 Chriſtiana

Christiana doctrina inviolatum relinquat, veram etiã divinitatis gloriã, ijs quibus potuit viribus, Dei Filio ademit; cum alijs scriptis, tum inprimis eo, quod adversus Wiekum exaravit. Dum nõ silescit hęresis nequaquam tacendum Dei servis: reptanti errori panoplia divini verbi opponenda: hoc meo examine, si pro dignitate non præstiti, saltem quantũ potui conatus, Ego impugno, expugnet doctior & peritior. Diu mihi animus fuit, argumenta Socinis contra hoc dogma, de Filij Deitate excutere, vt in alijs quibusdam Theologiæ capitibus, prout se tulit opportunitas a me factum; non alio tamẽ consilio, quam vt mihi musisq; meis, ut ajunt, canerem, non vt publicũ judicium subirem; aliorum votis tamen morem gerẽs, consilium mutavi: sit ex vtilitate Ecclesiæ voveo. Textum Socini integrum scripto meo non inserui, ne nimis prolixum fieret opus: nunc Socini verba κατὰ τὸ ῥητὸν recenseo, nunc mentem & sententiam, eâ quâ potui semper integritate & bonâ fide: nullius enim calumniæ aut doli mali conscius sum: in primâ operis parte brevior fui, quia privatos vsus cogitabã: nihil tamen præterijsse me puto, quod ad causæ jugulum: postea prolixior fui, pressi ea quæ premenda videbantur, resectis à corpore superfluis: Quantumcunq; est Christiane Lector, quod præstiti; quod sentio quàm sit exiguum, tuo judicio permitto. Cætera vale, nostris laboribus fruere, dirigatq; te æterna lux per tenebras hujus seculi euntem.

—— clara tuæ præpandens lumina menti
Rex quibus occultas penitus convisere possis.

ILLUSTRISSIMIS ET POTENTISSIMIS Fæderatarum Belgij Provinciarum Ordinibus Generalibus, Patronis ac Dominis meis clementissimis.

ILLUSTRISSIMI DOMINI.



Icuti unus in superis Deus est, qui totâ hanc machinā ex suo arbitrio moderatur; ita, quæ ejus est magnifica beneficentia, in terris Imperatores, Reges, Principes, Magistratus *collocavit, ut per vicariā operam eam in partibus administrarent. Ad hanc imperij dignitatē* Amplitudines *vestras etiam,* Illustrissimi Proceres, *universi rector Deus vocavit, admovitq; ad gerendam* Rempub. *cum ipsâ gente natā, à majoribus autē ad vos temporū successionibus devolutā. Ut verò rerum vices esse solent, tabulis fatorū sic volentibus, ita quoq;* Reipub. vestræ *alia subinde facies, quæ ab istis temporibus, quod in arma cogebatur, Hispanæ potentiæ intollerabili tyrãnide maximum splendoris & felicitatis incrementū consecuta est. Magno animo, contra oppressa privilegia, jura, religionem, sumta arma. Æquitas causæ hostem, quamvis totius orbis terrorē, cōtemni jussit; & cum nullus exitus videretur, virtus invenit, Deo Opt. Max. annuēte sacræ & justæ causæ. Exinde aucta bello fama, cumulatæ opes, regum & populorū amicitiæ stabilitæ, hostis fidei, patriæ, legū, juris aviti, stupente orbe, fractus & comminutus. Miracula hîc quis non agnoscat? Deo auhore, Christo illo Rege Regum Duce hæc tam feliciter gesta sunt, quæ nunqā edax vetustas abolevit, nunquam annalium volumina tacebunt. Dom. Iesus Christus ille Rex Regū, qui vestras* Dominationes *ita extulit &*

 magni-

magnificavit,cũ nuperis dissidijs res religionis& patriæ tã validè concuterentur, vt præsens exitiũ cervicibus nostris imminere videretur,vestras etiã Dominationes *cum maximo rerũ discrimine excitatas animavit, vt labantẽ religionẽ & nutantẽ Rempub. eirgerent. Felices dixerim non immeritò gravissimas illas procellas,quæ vestrã authoritatẽ & potentiã invenerunt,quibus cõponerentur. Nullus potest diffiteri superbus livor,vestrũ hoc opus vestrũ hoc benoficiũ esse,connitente in eundẽ finem, nunquã satis laudatâ* Illust. Arausicani Principis *generosâ industriâ. In tam divino & heroico opere vindicãdæ & promovendæ pietatis perennate* Illust. Domini. *Sacra defensa,æternã famam, stabile regnũ & perpetuã potentiam pollicẽtur. Liceat mihi* Amplitudines vestras *regijs vestris verbis appellare, fundamentum* Reipub. *vestræ celeberrimæ vnionem esse, vnionis verum Dei cultum. Aurea & verè dicta.*

Dij multa neglecti dederunt
Hesperiæ mala luctuosę.

Cultus verus Dei nullus, sine cultu & cognitione Filij Dei,cujus jura & æternam majestatẽ defendit hic libellus meus, quem demißâ dedicatione vestris Dominationibus *offero, spe mihi factâ,* Amplitudines *vestras, favore & patrocinio suo nõ indignũ judicaturas,cũ argumentũ quod tractat, sit dignitate maximum & augustissimũ* Dei Filius, *qui authoritatis vestræ, qui salutis* Reipub. *&* Ecclesię *principiũ ac fons, patriæ protector & vnicus tutelaris Deus: veræ religionis author, objectum,anima,fundamentũ,& quicquid dici potest. Pergite porro eminentissimi* Proceres Filiũ osculari, *veræ religionis & pietatis statores ac vindices esse,idq; maximam partẽ gloriæ & imperij vestri reputate,quod vt fiat Deum Optim. Max. supplex oro,qui vestras* Illustrissimas Dominationes *servet diu florentes ad* religionis, patriæ ac Reipub. *incolumitatem. Scriptum Assendelphi quarto Non.* May. M D C XXVIII.

HONORI

D. IOANNI JUNIO,

Honorem veræ atq; æternæ Deitatis Filij Dei, & Spiritus *S.* contrà Fausti Socini, Christophori Ostorodij, & Valentini Smalcij, propudiosissimorum Hæreticorum, execrandas blasphemias, ex Dei Verbo fortissimè asserenti, ac propugnanti.

SOcinus, *malè vafrorum caput hæreticorum,*
Æterni Christum fraudat honore Dei.
Sic nec Sancte minus protervè injurius in te
Spiritus, & verum te negat esse Deum.
Samosatenus nihil hîc nihil Arius olim
Ex Orci puteis hausit, & evomuit,
Quod non majori molimine profligatum hoc
Mancipium Satanæ proferat, ac refricet.
Vah queis pigmentis figmenta horrenda ministrat!
Quæ portenta crepat! dissimulatque tamen.
Obtrudit quidvis veri sub imagine, nec vult
Audire hæreticus pessimus hæreticus.
Quam verè infaustus inverso nomine Faustus!
Diceris hoc quod non, & quod es hoc minimè.
Nec *dirus melior quicquam* Ostorodius *illo*
Versat idem virus, pestiferumque nefas.
Non fert Christophorus *Christum, verum impius aufert:*
Hoc tu Ostorodi *quàm malè nomen habes!*
Vel bene! is idolum est Papæ, tu Samosatenum;
Mole is, tu hæresibus plus quoq; monstrum hominis.
Smalcius *his comitem se pingit talibus ansis,*
Conatuq; pari, perfidiâ, ac rabie.
Hoc quoq; cum tentes malus impietate nefandâ,
Valentine *vales impietate minus.*
O quæ monstra hominum! quàm perdita! qualia nunquam,
Qualia ab antiquis non dedit Orcus avis.

Tu

Tu contrà Juni, *quàm verâ voce* Iohannes!
Gratum opus hoc præstas, gratior ipse Deo.
Fortiter his sistis te monstris obvius ultrò,
Et verbi gladio conficis illa Dei.
Quàm validè veram propugnas relligionem!
Quàm fulcis sanctam cum ratione fidem!
Quæ vis is verbis! quod pondus is argumentis!
Quod scripti robur præsidiumq; tui!
Maxime sacrorum assertor, vindexq; locorum,
O quàm hæc hæreticis excutis è manibus!
O quantâ elidis spinosa sophismata mole!
Argutasq; strophas & petis, & jugulas!
Macte heros! ô macte! tibi, tibi militat æther:
Cujus penna uni miltat usque Deo.
Nil te clamores nil te vibrata morentur
Spicula ab hæreticâ conglomerata manu.
Vrge, insta intrepidus: victori palma parata est.
Et quantam à Domino, quantam equidem referes!

ALITER.

Faustus Socinus, Christophorus Ostorodus,
Et Valentinus Smalcius, *hæretici.*
Quod Natus Deus est, quod Sanctus Spiritus, unò
Immanè quantùm sacrilego ore negant!
Haud tulit hic noster divino Iunius *æstu,*
Obturatq; sacro hoc ora scelesta libro.

Amoris ergò lusit
SAMUEL AMPZINGIUS,
Ecclesiastes Harlemensis.



EXAMEN
Responsionis *Fausti Socini* AD Librum *Iacobi Wicki*, de Divinitate Filij Dei & Spiritus Sancti.

Vbi simul nonnunquam aliorum etiam Samosatenicorum rationes discutiuntur.

Cap. I. Primæ Classis argum.

Paucis attinguntur quæ Socinus primis duobus Capitibus proposuit, & simul locus primus Classis primæ Num. 21. v. 5. 1. Cor. 10. v. 9. *examinatur.*



ANtequam ad ipsam controversiæ disceptationem veniat Socinus, primo capite libri sui, proposito quæstionis statu, suam suorumque de Filio Dei confessionem purgat a varijs eidem a Wieko obiectis criminibus, eam nempe Satanicam Iudaicam Ethnicam Sabellianam Mahometanam non esse: quia verò quæ & qualis Socini & asseclarum de Filio Dei confessio sit, ex toto

disputationis opere patebit, an Deum an Sathanam authorem habent, ex examinatis Scripturæ testimonijs & rationibus inde petitis, manifestum fiet: quia similiter, de Iudaismo Paganismoq; sententię, Socini verba facienda erunt, in examine locorum, & quomodo, aut quatenus alijs, a veritate Dei ab alienatis accedat, ipsum examen sit demonstraturum, ad hoc caput primum nihil adfero; præsertim cum loca illa 1.cor. 8. v. 6. Phil. 2. v. 9. & alia ejus argumenti, multis in ipso conflictu discutiantur. Caput secundum, in quo refellit ea, quæ in quatuor capitibus prioribus a Wieko sunt scripta, si quid continet, quod ad materiam controversam spectat, de eo disputabitur in ipso opere passim. Pleraque huius cap. historica sunt de Serveto Gentili, Mathæo Gribaldo, Francisco Lismanino, Preuologo, Blandrata, Francisco Davidis, de eorum moribus, vita, studijs, exitu, quæ quia rem parum aut nihil attingunt, ea etiam examinare prætermitto. Tertio capite aciem instruere incipit, & ad pugnam venire. Hoc capite recenset argumentum quinti cap. apud Wiek. id nihil habere ait præter enumeratas argumentorum Bellarmini classes: primam eorũ esse quæ ex Veteri & Novo Testam. simul ducuntur, ijs exponendis ac confirmandis Wiekum totum caput sextum insumere. In ipso vero sexti cap. initio Wiekus (referente Socino) ait hoc genus argumentorum, vbi, videlicet, ea, quæ in V. Testam. de vno illo vero Deo Israelis sunt dicta, de Christo in Novo Testam. exponuntur, non habere vllam responsionem;

ſionem; ex ijs enim certò demonſtrari, Chriſtum eſſe illum vnum verum Deum Iſraelis. *Socin. pag. 6.*

Ad hoc generatim reſpondens adverſarius ait. *Si quanta Chriſti hominis divina majeſtas, & cum illo vno Deo, non quidem per eſſentiæ communionem, aut in vnam perſonam vnionem, quorum neutrum vllo pacto eſſe fierive poteſt, ſed per imperij ac poteſtatis communicationem & ſibi ſubordinationem, ex dono & gratia ipſius vnius Dei factam, conjunctio & vnitas ſit, Bellarm. & Wiek. vel rectè intelligerent, vel ſatis perpenderent; viſuros tantum abeſſe, vt iſtud genus argumentorum, quatenus expoſitio iſta de Chriſto (quæ applicatio potius & accommodatio ad Chriſtum dici debet, ad novi fœderis & Chriſti, jam ex Virgine nati, tempora refertur, nullam habeat ſolutionem, vt nihil magis in promptu ſit, quam ea ſolvere: quemadmodum ſuis locis, Deo adjutore, demonſtrabimus. Hujuſmodi autem pleraque ſunt hujus primæ claſſis argumenta, quæ non ſatis conſultò Bellarm. cum ijs miſcuit ac confudit, præſertim nobiſcum diſputans) in quibus dicitur, ea, quæ de vno illo Deo, pro eo tempore, quod iſti ex Virgine nativitatem anteceſſit, & non tanquam futura, ſed vt vel præterita, vel præſentia in V.T. dicuntur, in Novo, de Chriſto; pro eodem illo tempore exponi, quæ ſine dubio aliam reſponſionem requirunt; maximò verò a nobis, qui Chriſtum, antequam ex Virgine naſceretur, revera exſtitiſſe negamus. In illis enim argumentis refellendis facilè conceditur expoſitio, vel potius, vt diximus, applicatio ſive accommodatio iſta ad Chriſtum, ſed negatur, inde ſequi, Chriſtum eſſe illum vnum Deum: in his verò refutandis nobis omnino negandum eſt, expoſi-*

tionem istam fieri, & ad rationes adversariorum respondendum, quibus illam fieri, probare conantur, v[...] jam ad primum argumentum, quod huius generis est, refutandum faciemus.

Resp. Illa loca commodam & veram expositionem habere non posse, per novam istam ex gratiâ communicatam divinitatem & supremę subordinatam, quod singulorum locorum examine, Deo adjuvante planum faciemus. Nec necesse habuit Bellarminus loca V. T. secundum rationes, temporis futuri, & pręsentis, aut præteriti distinguere; cum hoc accidentarium & indifferens sit, ad argumenti rationem, quod impręsentiarum inde petit Bellarminus: quam rectè autem Socinus, loca prioris generis, exponat per suam quandam accommodationem, in locis posterioris generis expositionem de Christo fieri neget, jam dispiciendum.

Primus autem in hoc argumenti genere, vt & primæ classis locus est, Num. 21. vers. 5. cui respondet locus 1. Cor. 10. vers. 9. Locus apud Mosen ita habet. *Locutus populus contra Dominum & Mosen ait: cur eduxisti nos de Egypto, vt moreremur in solitudine? deest panis non sunt aquæ &c. quamobrem immisit Dominus in populum ignitos serpentes.* Apud Paulum sic. *Ne tentemus Christum, sic vt quidam eorum tentaverunt & a serpentibus perierunt.*

Socin. pag. 57.

Quid adhuc Socinus? Prima ejus Responsio est. *In fonte esse nomen Elohim, unde quis haud immeritò suspicari possit, non Deum ipsum illa voce significari sed Angelum: imò concludens ea, quæ hic excipit, de Angelo & communicatione nominis Iehova,*

Socin. pag. 58.

Socin. pag. 61.

hova, verisimile hoc ipsum esse; ac proinde si Moses nominatus non fuisset, inde tantum colligi posse, Christum jam tum reipsa fuisse.

Ad istam exceptionem Socini retundendam, hoc tantum requiritur vt commonstrem, sine verisimilitudine, voce Elohim, ab eo intelligi angelum creatum, in hoc enim videtur tota exceptionis vis: nam etiamsi vox Iehovæ aliquando angelis communicaretur, & loci illi Exod. 3.2. 6.& Act. 7.v. 35. rectè de angelo aliquo creato intelligerentur, nulla in ijs illationis vis ad præsens argumentum; nisi verisimiliter probetur angelum creatum hoc loco, hac voce significatum, hoc enim hoc loco istis omnibus intendit Socin.

Dico ergo, sine verisimilitudine, per vocem Elohim, hic ab eo intelligi angelum creatum. 1. ratio est, quia nullum est in textu fundamentum pro hac opinione, ex nudâ voce Elohim, quæ de Deo vero passim vsurpatur, ita præsumere, frivolum est, pręsertim cum versu sequenti, Elohim ille Iehova dicatur, & vers. 7. rursum peccavimus, quod locuti sumus contra Iehovam, vbi Socin. confitente, Iehova est Deus ipse, omnes itaque circumstantię huius loci suadent, Iehovam intelligere, per vocem Elohim. 2. Nusquam ni fallor, vbi Israelitarum peccata adversus Dominum recensentur à Mose, angelus aliquis creatus intelligitur sed semper verus Deus. 3. Quia sic angelus ille, Christus esset, & Salvator noster Christus, angelus, sumto hic quod mox probaturi sumus, Mosen, hic, ab Apostolo non intelligi. Hoc ipsum non diffitetur Socin.

cum ſcribit pag. 61. *Si Moſes nominatus non fuiſſet, colligi inde videri poſſet, Chriſtum jam tũ reipſa fuiſſe.* Æquè etiam inſulſum eſſet, hunc ſenſum Apoſt. verbis affingere, ne tentemus nos Ieſum Chriſtum ſicut illi tentârunt angelum, qui illis Chriſtus fuit, ſic enim Socin. explicat locum cum de Moſe hæc verba vult intelligi, nam vnctio angelis non tribuitur, nec angelus creatus vllibi appellatur Chriſtus, hæc dicta ſunto ad primam exceptionem Socini.

Socin. pag. 63. Alterum ejus effugium eſt, *Moſen hic poſſe intelligi, per Chriſtum quem tentârunt Iſraelitæ.* Nos id negamus, nam 1. nomen Chriſti per ſe ſumtum, eſt nomen proprium Perſonæ Ieſu Chriſti, non alterius perſonæ: ejus vocis in Nov Teſtam. vſurpatio eſt frequentiſſima, proferatur vel vnus locus ab adverſario, vbi vox iſta ſecus accipiatur, vel pro Moſe vt hic temerè ab illo affirmatur. Cum enim de Moſe loquuntur Apoſtoli, ſemper eum proprio nomine appellant neque quicquam ad rem facit, quod Apoſt. nomen Ieſu non adjecit, nam ſivè hoc adijciatur ſivè ſecus, perſonam Ieſu Chriſti eo notari, apud Apoſtolos perpetuum eſt. Nec plus valet quod dicit, *articulum ab Apoſtolo adjectum* quaſi propterea, ipſe tantum Ieſus Chriſtus intelligi non debeat, quod is Chriſti ſimplice nomine, ſine vllo articulo ſæpiſſimè ſignificetur: hoc prorſus nihil eſt, nam vox χριστὸς in ſacris, tum ſine, tum cum articulo indifferenter enuntiatur, ſicut hoc ex quamplurium locorum inſpectione manifeſtum eſſe poteſt. 2. Moſes non eſt tentatus ab Iſraelitis, ſed ſolus Deus Iſrael, itaque Chriſtus no

non poteſt eſſe Moſes. Exod. 17. verſ. 2. inquit Moſes, *quid contenditis mecum quid tentatis Iehovam* Num. 14. verſ. 22. *tentârunt me jam decies* Pſalm. 78. v. 41. 56. & Pſalm. 106. 14. Heb. 3. 9. &c. Hiſce ſic poſitis, non eſt neceſſe ad cætera, in quibus Socin. latius perſequitur hoc commentum ſuum, quicquam reſpondere; cum per iſta, quæ hactenus attulimus, ſatis vindicatum ſit argumentum, a ſecundo ejus effugio.

Tertium quod ad fert eſt: *Chriſtum tentatum a populo veteri, quatenus Moſes tentatus, qui Chriſti typus erat.* Contra iſtam exceptionem procedat ratio prima allata, adverſus effugium ſuperius: confirmatio, quam adfert, ab exemplo Petræ, quæ Chriſtus dicitur, invalida eſt, nam Petra erat Chriſtus ſacramentaliter, & expreſsò ac diſertò ab Apoſtolo propterea ſic nominatur; at Moſes quia typus Chriſti, non propterea Chriſtus appellatus eſt ab Apoſtolo unquam: conſequentia itaque iſta nulla eſt: & ſanè præter omnem rationem eſt, ſenſum quem verba contextus vltrò & apertò ingerunt deſerere, & alium quendam valdè remotum a ſimplice & aperto verborum ſenſu, ſine vlla evidēte ratione, ejus loco reponere. Deniq; dato ab adverſarijs, ſententiam noſtrā eſſe veram, verbis magis perſpicuis enuntiari non potuit, quam hîc aut paſſim alibi enuntiata eſt: nihil verò tam recte dici poteſt, quod in pravum ſenſum detorqueri non poſſit. Concludimus itaq;, cum in loco ſubjecto de quo agimus, tantum fiat Dei & Moſis mentio, & Chriſtus ſit tentatus teſte Apoſtolo, Chriſtum eſſe verum illum & vnum Deum.

Socin. pag. 65.

Socin. pag. 71.

Reſpondent alij teſte Bellarm.lib. primo de Chriſto cap. 4. verba illa, ſicut quidam eorum tentaverunt, de Deo intelligenda: at ſi hoc voluiſſet Apoſtolus, ſane vocem Dei addidiſſet? quinimo interpretatio iſta negantem facit Apoſtolum, quod ab ipſo diſertè affirmatur. Vrgent quis amplius, verba illa ſicut quidam tentaverunt intranſitivè ſumenda eſſe, aut ſaltem ſumi poſſe? at nec vocis ſignificatio tranſitiva, nec vſus permittunt, nec obſtat in ſimili caſu locus Ioh. 8. v. 40. *nunc autem ſtudetis me trucidare, hominem, qui veritatem vobis loquutus ſum, quam audivi a Deo, hoc Abraham non fecit*: nam ibi vox trucidandi de Abrahamo negata, non ſumitur intranſitivè ſed tranſitivè, ſcilicet Abrahamum non ſtuduiſſe trucidare hominem probum & innocentem, ſicut impij Iudæi id conabantur in perſonâ Salvatoris.

Cap. II. Primæ Claſſis argum.

De loco Pſalmi 68. verſ. 19. & Eph. 4. v. 8.

Socin. pag. 75.

LOcus ſecundus nobis eſto Pſalm. 68. v. 19. cui parallelus locus apud Paul. Eph. 4. v. 8. objectio prima contra argumentum ex iſtorum locorum collatione formatũ eſt. *Verba iſta eſſe prophetiã de Chriſto futuro, ejuſque ſupra omnes cælos exaltatione, nihilque eſſe, quod ſuadere poſſit, iſta nihilominus de vno illo Deo Iſraelis fuiſſe dicta.*

Reſp. Præter rationem eſſe, hæc verba de Deo non intelligere; nam hîc Dei compellatio

perpetua

perpetua est & quidem solius, de eo versu præcedente dictum, *currnum Dei* &c. Et rursum *Dominus in eis*, vt verba in fonte sonant, vbi vox *adonai* per kamets, quæ ad solum vnum illum Deum Israelis significandum vsurpari solet vt agnoscit Socin. in respons. sua ad hunc locum pag. 76. hisce subjungitur *ascendens in sublime*, ergo illa verba non sunt referenda aliò quam ad Deum illum. Quod ipsum fit adhuc evidentius, ex gratiarum actione, quæ dirigitur ad verum Deum Israelis, nam dicitur *barúch adonai* per kamets ibidemque beneficia superiori versu enarrata, illi hic tribuuntur, nam dicitur, *qui quotidie onerat donis*, neque ista mutatio personarum quicquam arguit pro opinione contrariâ, nam ista etiam occurrit v. 3. 8. 10. & tamen semper intelligitur Deus Israelis.

Secunda eius evasio est, *concesso hæc referri debere ad Deum, non tamen evinci hunc esse vnum illum Deum Israelis, quia in Hebræo nomen Deus est Elohim.* Respond. Vocem *adonai* per kamets scriptam, hic aliquoties vsurpatam; cum ergo hic nominetur tum Elohim, tum *adonai* promiscue, planum est de vno vero Deo loqui hic Davidem. 2. Quæ huic Deo in hoc Psalmo tribuuntur, sunt veri Dei propria, hæc enim sunt ista, quę vno ore semper, viri sancti de Deo vero Israelis prædicant. 3. Multa sunt in hoc Psalmo prædicata de Deo quæ in Christum competere non possunt, qui juxta Socinianos nondum realiter existebat, nedum erat Deus. Socin. pag. 75.

Nondum hic subsistit Socin. sed tendit vlterius conatu irrito. Vt persuadeat nobis hunc

Deum non esse Deum illum vnum, audiamus: *Deo cum suis curribus nominato inquit statim subjungitur, Dominus in eis; verisimile enim est prorsus hunc Dominum alium esse, ab illo Deo*: at hoc argumentum prorsus nullum: quid enim vetat, eundem Deum, cujus sunt currus, in curribus esse. Hæc sunt illa quæ Socinus movet contra argumentum, in reliquis Bellarmin. impetit, cujus defensionem nos hîc non suscipimus. Concludimus itaque verba illa Psalmi de Deo illo vno intelligenda, & cum Paulus ad Christum illa accommodet, Christum esse vnum illum Deum. Consequentiam negari posse putat Socin. sed eò devenire supervacaneum illi videtur, quia putat se satis evertisse basin illam cui ista consequentia superstruitur (nimirum locum Psalmi de vno illo Deo non loqui) non est itaque quod firmemus cum non labefectet ille. Ad ea verò quæ in fine càp. reponit cum nihil contineant nisi gloriationem vanam, quâ jactat refutata quæ non sunt refutata, probata quæ non sunt probata, nihil dicimus, sed nos ad ea quæ jam dicta sunt provocamus.

Socin. pag. 78.

Socin. pag. 79.

Cap. III. Primæ Classis argum.

De loco Psalmi 97. vers. 7. & Heb. 1. v. 10.

TErtius locus est Psalm 97. v. 7. cui parallelus Hebr. 1. v. 7. Syllogismus ex hoc loco in formâ categoricâ sic habet. *Qui adorari jubetur ab angelis est verus Deus ille Israelis: Christus est*

stus est ille qui jubetur ab angelis adorari: minor est Heb.1. *Ergo*, vel in formâ hypotheticâ. *Si Psaltes loquitur, de vno illo Deo Israelis adorando, tum Christus ille vnus Deus, asserente Apostolo hunc, secundum Davidem, esse Deum illum ab angelis adorandum, atqui. Ergo.* Adversarius primò negat minorem syllogismi hypothetici. Ratio negationis prima est, *quia hæc verba sine dubio referenda sunt ad illum, qui paulò ante v. 5. postremò nominatus est, nempe ad Dominum vniversæ terræ sivè ad Dominum simpliciter, vt vulgata habet.* Concedimus totum veruntamen non efficitur hinc quod vult Socin. ad alium Dominum, quàm ad Iehovam hoc referendum esse; imò contrarium, nihil enim totus Psalmi contextus, nisi vnum Deum suggerit. Instat adversarius *Hebraicè legitur Adon; quod nomen ita simpliciter & absolutè positum, nimis absurdum esset vt post Iehova sequeretur, si ad eumdem Iehovam referendum esset; cum ipsum nomen per se multo inferius sit nomine Iehovæ, & rebus creatis quacunque vel minimâ dominatione præditis passim accõmodetur.* *Socin. pag. 80*

Resp. Absurdè nobis videri absurdum, quod Sp.S. non est absurdum: non enim est insolens in sacris nomina creaturis communicabilia voci Iehovæ conjungi & post eam sequi, & tamen ad eundem Iehovam referri, vide Psalm 86. v. 11. vbi vox Iehova & v. 12. vox Adonai 2. patet absurdum hic nullum esse, vti fingit adversarius, ex eo quod Adon inferioris multo significationis, nam adjecta denominatio cœli & terræ facit, vt vox Adon non sit inferioris significationis voce Iehovæ, adeo vt Deo optimo

maximo titulus major & excellentior aſcribi non poſſit.

Socin. pag. 81. Secunda negationis primæ ratio eſt, quod verba hæc poſſint intelligi *de dominatione, quam Chriſtus homo eſt conſecutus*, quod nos non negamus, ſed negamus inde evinci, jam tum non fuiſſe Dominum, cuius Dominatio aliquando futura a Propheta prænuntiatur; ſubjectum, de quo iſta prænuntiatio fit, dicimus verum Iehovam eſſe; & ille cujus adoratio imperatur, jam tum erat: ille enim eſt Iehova æternus, vt demonſtratum jam.

Et ſic aſtructa eſt propoſitio Syllogiſmi categorici & aſſumptio hypothetici qui implicitè Socini.

Socin. pag. 82. 83. 84. 85. Secundò negat Fauſtus conſequentiam majoris, multaque movet de adoratione Chriſti hominis, de adorationis cauſis; quod in adoratione Chriſti Dei adoratio contineatur, de loco ad Phil. vbi de exaltatione Chriſti; quæ jam prætereo, quia fusè poſtmodum de illis agetur. Vnum imprimus monet quod hic prætereundum non videtur: hoc verò illud eſt, *de futuro Chriſto, ſub illius vnius Dei nomine agi, non quia Chriſtus ipſe futurus eſſet, ille vnus Deus, ſed quia vnius illius Dei perſonam, ſingulari quadam ratione ſuſtinere debebat.* Hactenus antagoniſta. Nos reſpondemus, hæc quatenus de Davide dicuntur contra aſſumptionem facere, & velle, hic alium revera indicatum nomine Iehovæ, quam ipſum Iehovam: at contrarium ſupra oſtendimus. 2. Apoſtolus, Chriſtum dicit illum Deum clarè & rotundè, contradicit: ergo Apoſtolo Socinus,

cinus, dum hoc negat: verba accipienda vt ſonant. Cum dico hic eſt Petrus, hic eſt Paulus, ſimpliciter intelligimus, hunc, quem denotat articulus, eſſe Petrum, & Paulum, ſic hic ſenſum noſtrum parit τὸ ῥητὸν luculenter quàm obſcurus contra Socini ſenſus, & ab intellectu quem verba vltro offerunt remota Socini explicatio? quod quidem hic non novum ſed ſolenne illi. 3. Res ipſa non permittit vt dicatur Chriſtus Deus ille vnus, quia vnius illius Dei perſonam ſuſtinebat ſingulari quadam ratione, nam nec legati nec vicarij regis, nec qui habent poteſtatem aliquam ſibi a rege & principe communicatam, proprium ſibi regis aut principis nomen ſumunt; illud tantum in ludis ſcenicis obtenet. 4. Ille de quo Apoſtolus, a Davide appellatur Iehova, hoc autem nomen eſt proprium & incommunicabile, vt hic ſupponemus, ſuo loco poſtea id probaturi. 5. Iuxta hanc rationem appellationis a Socino aſſignatam dici poſſet Dei Filium eſſe Patrem & Patrem eſſe Filium; quia nemo alius præter Patrem, ſi Socinianis credimus, eſt vnus ille Deus, vt habet titulus catechiſmi Racovienſis, & Pſalmiſta Patrem Filium dixit, Chriſtum enim ſub vnius Dei nomine intellexit vt mox audivimus ex Socin. & Paulus Filium Patrem appellavit tacitè, dum vnum illum Deum Iſraelis dixit, ita verò loqui quàm eſſet a ſacris alienum. Quæ vlterius obijcit, de collato creatore cum creaturis de ſcopo Apoſtoli non attingimus, quia non eſt neceſſe.

Cap.

Cap. IV. Primæ Claſſis argum.

De loco Pſalm 102. verſ. 26. & Heb. 1. v. 10.

FRanciſcus David, Oſtorodius, Socinus hîc & alibi contendunt verba illa Pſalm 102. v. 26. de Chriſto non accipienda. Syllogiſmus noſter formatus ex locis illis ſic habet. *Ille de quo David, quod terram fundaverit &c. Ille eſt verus Deus, atqui Chriſtus eſt ille: ergo; vel poteſt in formâ hypotheticâ conſtrui vt ſupra.*

Prima evaſio Socini, quæ Tranſylvanorum communis, contra minorem procedit, eam negando, vt jam attigimus, & quidem integram; mox ex opinione propriâ, conceſſo membro poſteriore, negat membrum prius. Antequam autem accedam ad diluenda ea quæ adfert Socin. pro negatione; confirmabo prius, Deo juvante, affirmationem integrò & ſecundum partes ſumptam eſſe veram. Hoc verò ſic doceo: 1. quia Pſalmus hic continet prædictiones de Iehova regnaturo & Tzyonem ædificaturo, & conſideratione natum ejus æternæ & immutabilis, erigit ſe Eccleſia in perpetuæ ſtabilitatis ſpem v. 29. &c. Omniaque De vno & eodem Iehova dicuntur continet ergo vaticinium de Chriſto: 2. confirmatur affirmatio, quia quicquid in toto cap. ab Apoſtolo profertur adducitur ad oſtendendam gloriam & majeſtatem Filij Dei, antecedentia omnia & conſequentia eò collimant, vndè citra violentiam, verba hæc aliorſum torqueri non poſſunt. 3. probatur ex conjunctione copulativâ &: 4. quod verba poſteriora non tantum ad Chriſtum accommo-

danda sint, sed & priora, patet. 1. Quia vno & eodem tenore continuatæ orationis, tum creationis tum abolitionis opus, vni & eidem Domino tribuuntur. 2. Quia ne minimus quidem apex in textu Apostoli, pro istâ quam hic comminiscitur Socin. pag. 94. divulsione. Ita profectò quidlibet de quolibet fingere, est ludere in scripturis & non ex scripturis discere, sed ad eas cerebri sui commenta adferre. 2. Quia posteriora illa, tu permanes & circumvolues &c. Nullum hic inveniunt subjectum, de quo prædicari possunt, nisi illud de quo creatio prædicatur: aut ergo illa prædicata de nullo prædicantur, quod absurdum; aut prædicationis subiectum est Dominus, qui terram fundavit & cuius manuum opera sunt cœli.

Accedimus jam ad rationes pro negatione allatas, ac primò quidem examinabo quæ adfert pro negatione minoris illimitatè acceptæ. Ait ergo *continere hæc verba apostrophen ad Deum Patrem, vt ostendat, hoc admirabile opus, Filij divino regno donati, Deo possibile fuisse.* Sed contra est, quod apostrophe sit manifesta orationis ad alienam personam conversio; hic apostrophen esse ne verisimiliter quidem ostenditur. Instat vocem καὶ notam apostrophes esse: sed quomodo hoc subodoratus Socinus? cur non vsus Apostolus nota disjunctivâ ἀλλὰ vel δὲ: voci καὶ & nativum est copulare & hîc semper copulat v.5. 6.7. denique apostrophen hic non esse liquet indè, quia causa apostrophis est non causa: nunquam enim Apostoli quando de glorificatione Christi loquuntur, causam hanc aut

Socin. pah. 91.

simi-

ſimilem adferunt, vt Deo illam poſſibilem fuiſſe oſtendant.

Socin. pag. 91. Secundò excipit, *quod nulla diſtinctionis nota ſit inter particulam &, & Pſalmi verba, vtſupra &c. Et propterea de Chriſto hoc teſtimonium non accipiendum.* Reſpondeo reperiri in antiquiſſimis Stephani codicibus, deinde etiamſi hoc verum eſſet, obſtaret ipſa coniunctio copulativa: nec non rerum connexio: & ſi copulativa coniunctio deeſſet, non ſequeretur hoc teſtimonium, non eſſe teſtimonium de Chriſto.

Tertiò excipit *parum veriſimile eſſe, ſimplicem iſtam particulam, ſine vllo addito diſtinguere.* At hoc frivolum. Hactenus de negatione minoris illimitatâ.

Jam de negatione minoris limitatâ. Vis primæ exceptionis, quam ibidem prolixè proponit, præcipuè videtur in hiſce verbis: *Quamvis igitur in Pſalmo, hujus mundi abolitio atque mutatio ipſi Deo tribuatur, nec Filij Dei vlla mentio aperta fiat; tamen, quia Deus, nonniſi per Filium ſuum illam facturus eſt propterea ad Filium vaticinatio iſta ab Apoſtolo meritò accommodatur*: hîc Chriſto concedit abolitionem mundi, verùm illam in Pſalmo hoc de eo non prædicari. At ſic reſpondendo diſertè negat, quod affirmat Apoſtolus: ineptum autem eſt dicere, actionem aut rem aliquam, de aliquo prædicatam eſſe, propterea quod res aut actio illi competit. Conſequenter etiamſi millies hoc verum ſit, Chriſtum aboliturum mundum, ſi tamen hoc in Pſalmo illo ſcriptum non eſt de eo non verè dicitur ſcriptum eſſe: ſane quam illud abſonum & longè petitum

Socin. pag. 93. 94.

tum Christum hic appellatum Dominum illum qui aboliturus mundum, quia Dominus Deus per Christum hoc facturus; si hoc voluisset Apostolus omnino aliter loqui debuisset: aut nulla est verborum significatio aut id tantum significant, quod quis fingit ad libitum, quæ amplius hic dici possent, repeti possunt ex ijs quæ dicta pag. 9. scripti nostri.

Sequuntur jam rationes adversarij, contra membrum *prius*. Prima est, *ideo adducta hæc verba tantum, ut posteriora intelligerentur.* Resp. falsum, contrarium demonstratum. 2. Nulla necessitas allegationis. Fallit adversarius fallaciâ non causæ ut causæ; loco enim relativi αὐτοὶ potuisset Apostolus vocem cæli sumere.

Secunda evasio sic habet. *Dico ab omni verisimilitudine abesse, quod Apostolus protulerit testimonium, unde probetur Christum cæli & terræ creatorem fuisse &c. ratio est, quod Filius qua creatura cum angelis comparaur.* Resp. Falsum: neque hic Apostoli scopus quod fingit antagonista ut supra: probatio ex voce factus nulla est; nam factus præstantior, quia ejus præstantia patefacta: sic Deus glorificatur & exaltatur, *Filius accepit honorem & gloriam à Patre voce ad eum delatâ* 2. Pet. 1. v. 16. *Hic est Filius meus dilectus:* Nihilo plus valet probatio à voce κληρονομεῖν ducta; negamus ejus significationem hîc ex etymo ductam locum habere. Socin. pag. 96. Socin. pag. 97.

Tertiò inquit *absurdum, creaturam conferre cum suo creatore, tanto testimoniorum apparatu, etjam quatenus creator est.* Resp. Creatorem esse Christum, non sumit sibi Apostolus, sed Socin. pag. 98.

hoc est illud, quod adducit, ad demonstrandum ejus super angelos excellentiam. 2. Erat homo & fuerat *ex infirmitate carnis crucifixus* 2. Cor. 13. v. 4. *Mortis perpessione angelis inferior.* Heb. 2. v. 9; Non ergo supervacaneus ille testimoniorum apparatus, ad ostendendam Filij Dei super angelos excellentiam: quæ hic contra Bellarm. adfert nos præstare opus non habemus.

Socin. pag. 102. Evasio tertia. *Verba prima ad Christum non pertinere, quia nusquam alibi Christus desertè legitur cœlum & terram creasse.* Resp. Leguntur æquipollentia ut postea suo loco demonstrabitur. 2. Ait *creatio quando Christo tribuitur (quæcunque tandem illa sit) nunquam Christo ita tribuitur, ut dicatur ipse creasse, sed per ipsum creatio facta esse.* Resp. Hoc nimis elumbe ad evertenda ea, quæ in contrarium attulimus. Accedit, quod nusquam etiam in Novo Testa. expresse legitur Christum Mundum aut Cœlos aboliturum.

Socin. pag. 103. Quarta evasio, *quod hæc expositio pugnaret cum fide Symboli Apostolici, quæ Deum Patrem tantum creatorem confitetur*; Resp. injuriam antiquitati facit, dum vult Patrem creatorem exclusivè dici: quæ quæso antiquitas illa? quæ professa fidem in Sp. S. Filium non est confessa creatorem; omnes sanè quotquot hodiè extant antiquitatis testes, vel ipso Socino teste pag. 477. Filium confitentur creatorem orbis.

Catech. Racovi. cap. de cognitione Christi. Restat ut diluam ea quæ à Catechismo Racoviensi contra proferuntur, ut ostendat prius membrum non esse testimonium de Christo.

Ejus

Ejus verba sic sonant. Quæ posterior oratio, cum sine verbis superioribus, in quibus fit cœli terræque mentio, intelligi non potuerit, cum sit cum eis per vocem ipsi conjuncta, eadem illa verba priora idem antea commemorare necesse habuit. Nam si alij scriptores sacri ad eum modum citant testimonia scripturæ, nulla adducti necessitate, multò magis, huic necessitate compulso id faciendum fuit. Sed de rationibus hisce & quod momentum habeant, ex dictis judicium fiat.

Objicit ibidem articulo sequenti, similia scripturæ loca, in quibus, non omnia quæ allegantur, ad præsentem scopum spectant: veluti Mat. 12. v. 18. 19. 20. 21. *ubi nimis apertum est inquit versiculum* 19. *tantum ad propositum Evangelistæ pertinere, cum id voluerit probare, cur Christus, ne palam fieret, interdiceret. Deinde* Act. 2. v. 17. 18. 19. 20. 21. *ubi etiam tantum* vers. 17. 18. *ad propositum Petri Apostoli faciunt; quod quidem est, ut* Sp. S. *effusum supra Apostolos doceat & ibidem* v. 25. 26. 27. 28. *ubi palam est tantum* v. 27. *ad propositum facere: quandoquidem id probat Apostolus Christum à morte detineri fuisse impossibile. Denique in hoc ipso capite* v. 9. *ubi verba hæc dilexisti justitiam & odio habuisti iniquitatem, apparet nihil pertinere ad rem quam probat Apostolus, quæ est Christum præstantiorem factum angelis.*

Resp. Primò generatim, totum hoc si detur nihil inde efficitur, nam inter probationes nostras, prius membrum etiam ad Christum pertinere, non est id nec tacitè nec expresse, in omnibus allegationibus hoc perpetuum esse, ut

quicquid adfertur, directè faciat ad probandum id, quod probandum proponitur, quemadmodum hic totus discursus supponit. 2. Magna dissimilitudo inter ista & hunc locum Apostoli; nam hic locus, aut sensum non habet, aut ad scopum quem diximus est referendus praecisè. 3. Non est usquequaque verum, quod de locis illis dicitur, nam locus Psalm. 16. totus agit de resurrectione Christi. 4. In locis allegatis omnia de eadem personâ intelliguntur, quod hic est τὸ κρινόμενον, hic ergo idem fieri oportet, cum hoc scopus Apostoli & conjunctio καὶ & continuatae orationis tenor & subjecti utrobique identitas postulent.

CAP. V. Primae Classis argum.

De loco Esa. 6. v. 1. & Ioh. 20. v. 41.

ARgumentum in formâ Hypotheticâ sic habet. *Si Christus est ille, cujus gloriam Esaias se vidisse dicit, tum Christus est unus ille Deus Israelis. At verum prius, ergo & posterius.*

Duplici ratione obnititur Socinus, negatione minoris, inde negationē cōsequētiae majoris. De negatione minoris primò, *dicit Iohannis verba ad Deum commode referri posse, & quatuor a vers. 37. consequentes versiculos per parenthesin legi aut debere aut saltem posse, apertissimum esse, versiculum demum 42. cum isto 37. & sensu & verbis conjungi, cum alij quatuor intermedij videri possint aliquantum à proposito digredi.*

Socin. pag. 108.

Resp.

Resp. Ex concessu parenthesi non sequitur, verba hæc sine incommodo aliò referri posse, quam ad Christum, nam continent disertè probationem incredulitatis Iudæorum, ejusque causas exponunt, & in hunc ipsum finem, ab Euangelista allata sunt; propterea & hic frustra est Socinus, relationem, quæ possit fieri, ad Deum, in pronominibus ejus & eo, potissimum ex verbo sanem colligens: probat enim Iohannes ex Esaia quod dixerat, non credebant in eum. Mòx causas exponens, subdit alterum vaticinium de eo v. 41. *Hæc dixit Esai*, qui versus de Christo exponendus, cum consequens, de eo agat: πολλοὶ ἐπίζευσαν εἰς αὐτὸν: & verba illa, locutus est de eo, sensum habent planum nempe de Christo accipienda esse, hîc enim de eo perpetuò sermocinatur Euangelista. *Socin.*

Hisce sic positis, concidunt & illa quæ subdit Socinus exemplum illud, ex Euangelio Ioha. cap. 9. impertinens est: nam ibi disertè Christus nominatur v. 22. II. Sæpius in antecedentibus nominatus est, adeò ut si quis de alio hoc vellet intelligere ille oculos ad claram lucem occluderet; ita & hic omnes circumstantiæ indicant de Christo accipi debere hæc verba. *pag. 110.*

Postremò addit, *legi in quibusdam exemplaribus pro* τὴν δόξαν αὐτοῦ, τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ, *in codice nimirum quodam vetustissimo cujus meminit editio Græca Rob. Steph. in Folio & codex Græcus editus à Christophoro Eroschovero Tyguri anno 1559.* Resp. Lectio communis secus habet; & etiamsi hæc peculiaris lectio probaretur, tamē nihilominus per vocē τοῦ θεοῦ Christus intelligendus esset.

Consequentiam sibi impugnandam sumit adversarius, cum dicit. *Verum demus adversariis, omninò pronomina ejus & eo Christū referre: num continuò sequetur Christum esse illū Dominum, ab Esaia in visione illâ conspectum.* Rationegatæ consequentiæ est, quam multis persequitur Socinus, *utrumque testimonium Esaiæ ad rem futurā respicere: verba Iohannis ad utrumque referri debere, præsertim cum dicat, hæc dixit, non hoc dixit.*

Omnia quæ antagonista in prima hac impugnatióne consequentiæ dicit, eò recidunt, ut ostendat gloriam illam, quam Iohannes hoc loco Esaiam vidisse dicit, non esse illam, cujus visió describitur apud Esaiam initio cap. 6. Vult Socinus utrumque illud, vidisse gloriam ejus, & locutum fuisse de eo, ad utrumque spectare locum. Nos dicimus verba illa, vidit gloriam ejus, referenda esse tantum ad posterius, moti planâ convenientiâ quę est inter principium Esa. 6. & visionem hanc glorię, de qua Iohannes hoc loco; alterum illud, convenienter de testimonio priori intelligitur, in quo Esaias admodum luculenter de Christo est vaticinatus.

Neque etjam verum est, gloriam ab Esaia visam, fuisse gloriam non pręsentem: Falsum hoc esse apparet ex omnibus & singulis, quę disertè extant in contextu Esaię. Vidit enim Dominum sedentem Seraphim: astantes acclamantes angelos, &c. At verò hanc gloriam quam vidisse Esaiam Iohannes affirmat, referre ad aliam quandam gloriam, quam Christus post passiones suas erat consecuturus, & per admirabilem obduratorum Iudęorum conversionem,

Socin. pag. 111.

hoc

hoc ſanè nimis longè petitum eſt, & ex rebus perſpicuis, ęnigmata cudere; imò Iohannes cum dicit hæc dixit Eſa. quando vidit gloriam ejus, apertè ſatis indicat, ſe ad celebrem illam & decantatam viſionem Eſa. 6. tam graphicè deſcriptam reſpexiſſe.

Secundò ait, *conceſſo agi hîc de gloriâ illa in viſione illâ Eſa. conſpectâ, inde tamen non ſequi, Chriſtum eſſe illum Dominum ſeu Iehovam, quem Eſa. tunc ſe vidiſſe ait.* Inane χρηςφύγετον eſt illud, quod hîc objectat Socinus, aliud eſſe videre gloriam alicujus, aliud verò aliquem videre & quod Iohannes dicat Eſa. non quidem ipſum Chriſtum vidiſſe, ſed gloriam ejus: nam hic certè iſta ſunt æquipollentia, Dominum videre & gloriam ejus videre. Nam quod Eſaias dicit, *vidi Dominum*, & poſtea v. 5. *cum illum regem Iehovam exercituum viderint oculi mei*, hoc Iohannes reddidit, *vidit gloriam ejus*: hoc ipſum inſuper ex reipſa patet, non enim vidit Eſa. gloriam Dei, niſi quia vidit Dominum ſolio inſidentem angelorum ſatellitio ſtipatum, & majeſtate maxima decoratum.

Socin. pag. 112.

Socin. pag. 113.

Inſtat amplius, hanc gloriam accipiendam, de gloria illa Evangelij Iudæis annuntiati & poſtmodum gentibus patefacti. Negamus propter rationes hactenus expoſitas, neque quia in locis iſtis allegatis, nempè Eſa. 35. v. 2. v. 40. v. 5 16. v. 12. 66. v. 18, & Eſa. 6. agitur de illa, ſequitur illa verba v. 3. implet totã terrã gloriâ ejus, de eadem accipienda eſſe; aut ſi de ea accipiantur, non tamen obtinebit quod vult Socinus, tum enim ſenſus erit Dominum Iehovam,

quem tum videbat Esa. plenum majestate & gloriâ, fore aliquando gloriosum, per Iudæorum & gentium vocationem.

Cap. VI. Primæ Classis argum.

De loco Esa. 8. vers. 13. 14. Luc. 2. v. 34. ad Rom. 9. vers. 30. 1. Petr. 2. vers. 6.

LOcus ille Esa. 8. passim Christo applicatur. *Negat adversarius verba Simeonis esse applicationem istius vaticinij*: quanquam verò aperta mentio loci Esa. non fiat, nihilominus est accommodatio certissima; nam in rebus consensus est, & in verbis convenientia: admodum frequens hoc est, omitti allegationem loci, unde desumpta sunt, quæ ab Apostolis & Euangelistis producuntur imò quandoque, ne in genere quidem indicatur, hoc scriptum esse, quod adducitur: ut Matt. 21. v. 9. ubi illud *Hosanna Filio David*, &c. ex Psalm. 118. v. 25. 26. Gen. 21. v. 12. Roman. 9. v. 7. Esa. 40. v. 6. 1. Petr. 1. 24..

Socin. pag. 122.

Quod attinet ad locum Pauli ad Roman. 9. summa responsionis Socini huc redit: *Istum locum Esa. 8. de Christo non loqui, neque Paulum istum locum revera hic citare.* Oppono Esaiã non vaticinatum isto loco de Christo, non demonstravit adversarius, imò contrarium est verum ex authoritate Apostoli, qui verba Esa. 8. ut vaticinium de Christo, cum verbis illis Esa. 28. in unam sententiam congessit: nec Apostolus ita distin-

Socin. pag. 123. 124.

diſtinguit ut Socin. hic diſtingui cupit temere; nam Apoſtolus veteris ſcripturæ authoritate, munivit totum hoc, quod v. 33. protulit : ubi lex non diſtinguit, nos diſtinguere non debemus.

In loco Petri dicit, *ea a Petro, non de Chriſto ipſo exponi, ſed ad ipſum accommodari, propter eventum quendam ſimilem*, nam inquit, *ijs quæ de Chriſto apparet dicta fuiſſe, non interſeruntur ſed diſtinctè ab illis ponuntur.* At contra non iſta fuit ordinis ab Apoſtolo ſervati ratio, ſed methodica rerum dicendarum tractatio. Secundò inſtat hęc verba, non eſſe prophetiam de Chriſto, *quia multò ante Chriſti adventum & ejus tempora impleta fuerit.* Ad quod reſpondetur iſta ita tum non accidiſſe ut non fuerint implenda neceſſariò poſt adventum Chriſti in carnem; nam & Simeon & Apoſtoli duo Petrus & Paulus verba hæc, vaticinium eſſe de Chriſto, & de eventibus duum generum ad prædicationem Euangelij ipſius exſtituris, nobis expoſuerunt.

Cap. VII. Primæ Claſſis argum.

De loco Eſa. 40. v. 3. Mal. 3. v. 3, Marc. 1. verſ. 3. Luc. 3. verſ. 3.

HUic argumento Socinus cum tantùm logica vitia objiciat ut à Ieſuitis proponitur, de eo nihil amplius præſenti loco dicemus, reſervaturi, quæ hîc dicenda eſſent, ad ejus vindicationem, ad locum vltimi argumenti primæ *Socin. pag. 126.*

hujus Classis, quia ibi vires suas tentaturus Socin. ad argumentum etjam hoc nostrum enervandum ut promittit pag. 127.

Cap. VIII. Primæ Classis argum.

De loco Esa. 45. v. 22.23. & Rom. 14. v. 10.

LOcus Esa. sic habet. *Ego Iehova nullus Deus præter me, juravi quod mihi curvabitur omne genu & omnis lingua jurabit*: Hoc Apostolus Paulus de Christo scriptum testatur Rom. 14. v. 11. & sic reddidit: *Scriptum est enim, vivo ego dicit Dominus, certè mihi flectet omne genu & omnis lingua palam agnoscet Deum.* Syllogismus Hypotheticus pro orthodoxa sententia sit talis. *Si Christus est ille, qui & de quo apud Esa. mihi curvabitur omne genu, tum Christus est Deus ille unus. At Christus est ille qui & de quo apud Esa. mihi curvabitur omne genu, Ergò.* Adduxit hæc verba Apostolus ad probandam judiciariam Christi in omnes potestatem; ac propterea necesse est, ea quę adduxit ad stabiliendam illam judiciariam Christi potestatem, isti potestati aut æquipollere, aut ambitu suo eam comprehendere, aut isti potestati identitate subjecti conjuncta esse: at sic revera omnia quæ hîc ex Propheta citat Apostolus, isti potestati aut æquipollent, eamque suo ambitu comprehendunt, *ut illud decurvatione genuum*, quo adoranda & divina majestas Christi proponetur: aut identitate subjecti isti potestati conjungitur, *ut illud*

omnis

omnis lingua palam agnoſcet Deum: ſi quis agnitionem illam ſtrictè interpretetur, pro eo quod dixit Propheta, *jurabit omnis lingua*: ſin verò in latâ ſuâ ſignificatione, verba illa accipiantur, ut certò accipi poſſunt, tum poteſtatis judiciariæ Chriſti agnitio in iſta generali agnitione comprehenditur.

Hæc dicta ſunto ad ea quæ Socinus hic occinit de quatuor terminis, & quod aliud ſit curvare genua alicui, aliud verò ante tribunal ejus ſtare, & poſſe quempiam uno & eodem tempore, uni curvare genua & ante tribunal alterius ſtare. Nam reſp. poſſe ita inter homines eſſe comparatum, ſic verò rem apud Deum habere nego, ſi enim cui competit genuflexio, non etiam competit poteſtas judiciaria, malè Apoſtolus contra boni diſputatoris leges ex genuflexione intulit judiciariam Chriſto poteſtatem competere. *Socin. 128.*

Jam ad partes Syllogiſmi a nobis poſiti accedamus preſſius minor eſt Chriſtum eſſe illum, de quo ſcriptum eſt apud Eſa. *Mihi curvabitur omne genu, & omnis lingua palam agnoſcet Deum*. Socinus minorem fidenter negat, ſed hæret aqua, quia verba Prophetæ probare debent, nos omnes ſiſtendos Chriſti tribunali, quod non probant, niſi de Chriſto loquantur. *Dicit Socin. quod, cum Chriſtus in tribunali ſuo ſedebit mundum iudicaturus, ibi Dei majeſtas vehementiſſimè & clariſſimè imò magis quam unquam antea elucebit; & conſequenter, ab iis qui ante tribunal ſtabunt, agnoſcetur & approbabitur, itaque iſtis Deus, ut mortalibus eſſe poteſt, planè erit præ-* *Socin. pag. 129. 130.*

ſens,

ſeus, præſente autem Deo genua ipſi flectenda eſſe nemo eſt qui neget; ergo qui ante Chriſti tribunal ſtabunt, genua Deo flectent, ſtabunt autem omnes, omne igitur genu ſe Deo flectet tunc, cum ante tribunal Chriſti ſtabitur, atque hoc pacto, verba illa, ipſius Dei apud Eſa. de curvando ſibi omne genu ad effectum perducentur. Vidis concluſum eſſe idipſum, quod Paulus concludere voluit? hactenus Socinus. Tanto verborum apparatu, tot ambagibus & circumlocutionibus Socino opus, antequam fictitium ſuum ſenſum, tum hic tum alibi paſſim eliciat; cum interim orthodoxa explicatio, brevibus planis & paucis verbis conſiſtat & ab ipſo textu offeratur.

Dico ergo Apoſtolo non fuiſſe oſtendendum, nec ab eo oſtenſum eſſe, quomodo Chriſto judicante omnes, Deo Patri omni genu flecteretur, ſed probandum ei fuiſſe & ab eo probatum eſſe, omnes a Chriſto judicandos, quia ſcriptum eſt mihi flectet omne genu: at ſi Chriſtus eſt judicaturus & uni illi Deo Iſraelis non Chriſto competat genuflexio, diſſolutæ ſunt ſcopæ: genuflexio Patri non Filio debita (ut in hac argumantatione ſupponit antagoniſta) judiciariam poteſtatem Filij non probat; at verba v. 11. debent explicari, ut ſint probatio judiciariæ poteſtatis Chriſti, quam antecedente verſu aſſeruit Apoſtolus; quod & liquet, ex conjunctione cauſali, nam Socinus verò ſuâ interpratatione, vim probationis ſuſtulit. Nam ſi ſic dicam, ſi Patri genu flectetur, tùm oportet omnes ſiſti ante tribunal Chriſti, conſequentia nulla erit: ſi ſic, ſi Patri genua flectentur, tum

Chri-

Christo judicanti præsens erit, ergo Christus judicabit, neque hîc est ulla consequentiæ vis, nisi prorsus ridicula: sive resolvas illa verba Christo judicanti per conditionalem si, sive categoricè, erit enim petitio principij. Adde quod sic in minore etiã erit τὸ judicare Christi (quod est in quæstione) cum tantum debeat esse τὸ genuflecti, sicut hoc ipsum tantum est in testimonio Prophetæ, denique si hic dicas, si Patri genuflectetur, cum erit in majestate maximâ, ergo Christus judicaturus orbem etiam prorsus in consequens erit argumentatio. Verset se ergo quantum volet Socinus interpretamento suo, frustra laborabit. Reliqua quæ hic habet Socinus, cum tantùm sint instituta ad declarandum & confirmandum, ut quidem ille existimat, quomodo Christo judicante Deo illi uni genuflectetur; non verò quomodo illud ex hoc, in hac sententia inferatur, quâ hæc verba *mihi flectet omne genu*, de Christo non exponuntur, præterimus, idque eo magis, quia de ijs quæ hîc ex sua sententia immiscet, postea suo loco necessario dicendum erit.

Inde pergit Socinus. *Finge inquit, sic se rem habere, Christo omnia genua flectenda esse; numquid hinc necessariò sequetur Christum esse illum ipsum Dominum, qui apud Esa. dixit, mihi curvabitur omne genu, quia videlicet Paulus ex hoc Esa. loco, istud de Christo concludit?* Negat ergo hæc esse verba Christi apud Prophetam. Ego vero sic probo: ille, cui competit, ex vi testimonij Prophetici genuflexio, ille dixit, mihi incurvabitur omne genu. Major est Esa. atqui Christus Socin. pag. 131.

est

eſt ille, cui competit ex vi teſtimonij Prophetici genuflexio, minor eſt Apoſtoli; firma ergò concluſio, Chriſtum eſſe, qui dixit apud Eſa: mihi curvabitur omne genu: nec contrarium oſtenditur ab adverſario ex illuſtri illo loco ad Philip. 2. de quo poſtmodum prolixè diſceptabitur. Urget amplius, *propter communicationem gratioſam majeſtatis a Patre factam Chriſto, ejuſque ab eo dependentiam, & ſubordinationem ad illum, eſſe, ut quicunque Chriſto genua flectit, ille uni Deo genua flectat, & ex eo conſequi jure potuiſſe Paulum affirmare, impletum iri vaticinationem illam apud Eſa. de curvando illi uni Deo omne genu, hac ratione, quod Chriſto omne genu curvabitur, etiamſi Chriſtus non ſit ille unus Deus. Hactenus Fauſtus.*

Socin. pag. 132.

Nos ſic reſpondemus, quod iſta ratiocinatio Socini negat quod disertè affirmat Apoſtolus, negat Socin. prædictam genuflexionem de Chriſto, etſi in eo implendam fateatur, contra quam Apoſtolus, qui implendam dicit, quia prędicta eſt. 2. Negat ſic reſpondendo Chriſtum de ſe dixiſſe, quę de ſe dixiſſe jam demonſtravi. 3. Si verba iſta non ſunt prędictio de Chriſto, non ſunt probatio, dum omnium eſſe judicem, contra quàm ſupra probatum eſt. 4. Iſta communicatio, ſubordinatio, cum illam ſaltem hoc loco non doceat Apoſtolus, quicquid ſit de alijs, neque inde probationem ſumat, nihili eſt facienda hîc; adducit enim ad probandam judiciariam majeſtatem Chriſti verba Prophetæ, quibus illa communicatio, ſubordinatio, quam fingit adverſarius, nec tacitè nec expreſsè docētur,

tur, imò ea dicuntur quæ cum ijs ſunt incompatibilia: nam dicit ibi Deus v. 21. *Ego Iehova nullus* Deus præter me, & rurſum verſ. 22. *Ego Deus fortis, nullus præterea*: ex hoc fundamento vnitatis ſuæ, ait, mihi curvabitur omne genu. Jam verò *nullus Deus præter me* & vt alibi *Iehova ſolus Deus* Eſa. 47. v. 16. *audi Iſrael, Iehova Deus noſter, Iehova vnus eſt!* Deut. 6. verſ. 4. non poſſunt habere ſenſum illum, quem Sociniani paſſim iſtis, in ſcriptis ſuis, affingunt (nam hæc exponunt, quod ipſe tantum ſit ex ſeipſo Deus, quod nullus ſit illi æqualis, quod ſit independens; hæc verò non excludere, Deum ex gratiâ talem, à Deo illo vno dependentem eique ſubordinatũ.) Ratio eſt, quia ſcriptura omnibus illis & ſimilibus dictis, hoc perpetuò ſatagit, vt vni ſimpliciter individuali unitate adoranda & colenda, religioſo cultu, divinitas tribuatur: hoc clamat omnis ſacra pag. V. Teſt. 2. Si iſtis dictis, non excluderetur Deus dependens ab illo vno & ſubordinatus illi, potuiſſent Iſraelitæ, ſalvis, vnius Dei agnitione, ejuſque ſolius cultu, vt omnibus mandatis eò ſpectantibus, etiam colere eum, qui non erat Deus ille vnus. 1. Ratio ſequelæ eſt, quia iſte conceptus Dei vnius ſolius prȩter quem non eſt alius Deus, non dicit ex vi ſuâ, non eſſe Deum ſubordinatum & dependentem: deindè mandata de vno Deo adorando, non volunt hoc, ne Deus in alio & per alium adoretur, nam ſic etiam, Deus ille vnus adoratur ſecundum Socinian. cum Chriſtus adoratur, etiamſi Chriſtus non eſt ille vnus Deus: hoc itaque evincitur, iſta omnia, nec

Catechiſ. Racovi. c. de eſſentia Dei. Oſtorod. cap. 10. inſtit. German.

nec dualitatem, nec pluralitatem colendorum tollere: non fuit ergo populo Vet. facta, clara & sufficiens objecti colendi revelatio, posito quod Socinus cum suis, vnitatem Dei rectè interpretantur: non enim ista de vno Deo doctrina, deque illo solo adorando clarè determinavit, cui σεβάσματι deberent esse allegati: & an in vnum numen deberent defixi esse an plura: quo profecto nihil est absurdius, & magis ex diametro cum totius V. Testam. doctrina pugnans. Concludo itaque ex hisce sic positis, cum in V. Testam. Deus vnus dicatur, quia vnus numero simpliciter, vt & hoc loco vnus dicitur, & ille vnus solus colendus, sequitur, si Christus colendus, esse Deum illum vnum. Et sic vindicatum confido argumentum ex collatione Esa. 45. & Rom. 14. v. 11. desumptum; de loco ad Philip. quem vrget hic adversarius, adversus sententiam nostram, suo loco postea videbitur, & simul examinabuntur ibi ea, quæ adversarius tum hîc, tum eo loco, pro opinione suâ, adversus sententiam orthodoxam, ex isto loco conatur producere.

Cap. IX. Primæ Classis argum.

De loco Esa. 44. v. 6. Esa. 48. v. 12. Apocal. 1. v. 11. 21. Apocal. 22. v. 13.

Socin. pag. 143. CUm hoc argumentum sit ex collatione institutum vt superiora, dicimus respici ad illa Esa. loca: nam quod Deus Israel de se dicit, hic

hic Christus ijsdem verbis, sibi aliquoties tribuit, videantur plenæ probationis ergo, quæ dicta sunt in examine loci sexti, vbi de vaticinio Simeonis actum. Quia verò Socinus hæc parvi facit, negans Iohannem ad verba Esa. respexisse, videbimus, quam vim habeant hæc verba per se sumpta.

Dico ergo, quod tituli hi hîc Christo attributi secundum vsum eorum in S. litteris, tales sint, vt soli & vni illi Deo tantum competant, quod ita comprobatur. 1. Quia tituli isti a Deo ipso, cum aliis summis Dei nominibus & titulis ex professo sunt vsurpati ad descriptionem sui Esa. 44. v.6. sic etiam Apocal. 1. v. 8. adjunguntur hæc verba, ijs vocibus, quibus aliquoties ibi Dei majestas decorata est, vt eodem cap. v. 4. & Apocal. 4. v. 8. item Apoc. 11. v. 16. 17. itaque nihil magis ex ratione est, quam titulos istos eodem sensu intelligere, quando de Christo vsurpātur cum pro ista vsurpatione nostra pugnet, perpetuus istarum vocum vsus, pro vsurpatione Socini exemplum nullum. Et siquidē hic diversitas sensus admittēda, ea nulla alia esse potest, quàm quæ promanat ex consideratione nominum non absolutâ & prout se habent a parte rei, vt loquuntur, sed relativâ: sicut enim Deus, ista descriptione sui, Ecclesiam Judaicam voluit confirmare in fide & spe liberationis temporalis ex captivitate Babylonica, ita Christus suos, in fide gratiosæ præsentiæ suæ, & æternæ vitæ ab ipso & per ipsum obtinendę. Hæc diversitas tota, vt ita dicam materialis est, secundum sensum formalem identitas hîc est

vtriusque enim ordinis actus, tales sunt vt non cadant in Deum aut Christum nisi secundum Deitatis excellentiam, istis titulis propositam consideratos. Et quamvis hi tituli vsurpantur cum habitudine ad Ecclesiam ad eam nempe in fide & spe confirmadam, sensus tamen absolutus non est negandus; nam ille basis & fundamentum sensus relativi, sive secundum quid: sic quicquid de Deo in sacris habemus, ad praxin dirigitur. α & ω non esse absolutè primum & vltimum, nemo est qui nesciat, imò nihil in rerum vniversitate tale aut esse, aut esse posse, sed propterea angustis rerum creatarum cancellis, infinita Dei majestas non est concludenda, vt videtur hîc velle *Socinus*, eò quod denominatur Deus principium & finis a literis Alphabetarijs.

Socin. pag. 144. 141.

Antequam finem faciam, libet nonnihil monere de loco Apocal. prim. v. 8. cui loco, miror Socinum pag. 144. tantum detulisse, vt dicat, si ibi de Christo sermo esset, jam vicissent adversarij: vix ac ne vix quidem, habeo homini fidem. Quot sunt enim de Christo testimonia, non minus illustria hoc loco! ad Christum verò hunc locum referre nihil prohibet, quicquid jactet Socin. ridiculè ac ineptè detortum esse eo, nam Christo mox post hæc verba vers. 8. disertè eadem in terminis tribuuntur v. 11. nam idem ille dicitur *Filius Hominis* v. 13. & rursus v. 17. Apocal. 21. vers. 6. & cap. 22. v. 13. de Deo autem Patre nusquam in Apocal. hæc verba leguntur. Rectius ergo de Christo, quàm de Deo Patre exponuntur. Addo quod & voces

istas,

istas, ἀρχὴ καὶ τέλος, perpetuos titulos Christi, & ne semel quidem Patris fecit Apocal. 21. v. 6 & cap. 22. v. 13. vt ex circumstantijs locorum apparet.

Cap. X. Primæ Classis argum.

De loco Malach. 3. v. 1. Mal. 11. v. 10. Luc. 1. v. 76. Mar. 1. v. 2. 3.

MAlachias habet *ante faciem meam. Ecce ego missurus sum angelum meum, qui expediat viam ante me*: Mat. *Ecce ego mitto nuntium meum, ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam, coram te*: ita & Mar. verba sonant. Zachariæ verba sunt: *tu verò puerule Propheta altissimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini, vt pares vias ejus.* Argumentum in formâ hypotheticâ sic habet. *Si est ille vnus Deus, de quo Malach. qui expediet viam ante me, tum Iesus Christus est Deus ille vnus: At verum prius, ergò & posterius.*

Tria sunt in vniversum, ad quæ reduci possunt pleraque quæ hic contra movet Socin. quantum quidem mihi, ex ipsius verbis observare licuit; duo contra majorem, vnum contra minorem obijcit. Minor est Malach. de Deo Jehova intelligendum, cum dicit *ante me*, vel vt verba sonant, *lepanai*, ante faciem meam. Contēdit Socin. legi posse etiā, *ante faciem tuam*, quia tum temporis, in vulgatis codicibus, ita disertè scriptum extitit: *nam Christus recitans verba* *Socin. pag. 150.*

 Malach.

Malach. dicit ante faciem tuam, & sic nihil referre vtrocunque modo legas: cum certum sit Iohannem & ante Deum ipsum, & ante Christum viam præparasse.

Res. Hæc verba hoc videntur velle, tam de Deo, quàm de Christo. Hæc verba, *ante faciem* accipi posse: temeraria planè assertio est, quod dicit in vulgatis codicibus, tum temporis secus scriptum extitisse, quàm hodie legitur, nec ratio pro hac opinione peti potest, ex eo, quod Christus hæc verba aliter citat: nam non tantum Dominus, pro *meam* dixit *tuam*, sed hæc verba, bis habet in vtroque testimonio, *ante faciem*, cum Malach. semel tantum habeat: quid frequentius, quàm verba V. Testam. in Novo verbotenus non referri, quando citantur: sed tantùm ad sensum respici? hoc itaque argumentum Socini, si bonum esset, loca quamplurima V. Testam. aliter legenda essent; & tota authoritas hodiernæ lectionis Bibliorum, non parum in dubium hac ratione vocaretur.

De vno vero Deo Israel, hæc verba accipienda esse, apertum est ex eo, quod scriptum est Luc. 1. v. 17. vbi de hoc angelo qui Ioh. Baptista est (vt est in confesso) legitur, *quod præcedet in conspectu ejus*, quo relativo denotatur Dominus Deus filiorum Israel vers. 16: jam verò Baptista non ante alterius faciem paravit vias, quàm in cujus conspectu præcessit, nam Zacharię verba sunt, *præibis ante faciem Domini, vt pares vias ejus*, quod moneo, ne quis excipiat, vnum & eundem non fuisse, ante cujus conspectum pręcessit angelus, & cujus paravit vias. Ineptus

essem,

essem, si pluribus hoc conarer ostendere, nam ipse Socinus, maximè responsione sua hoc intendit Malachiæ prophetiam de Deo illo accipiendam & in eodem illo impletam esse, ideoque ad majorem transeo.

Adversus majorem duas movet difficultates, I. est, Malach. prophetiã in Christo non impletam esse & propterea invalidam esse majoris consequentiam: hoc ex multis locis resp. adversarij est manifestum, non quod hoc neget, sed vt ostendat ex vi eorum, quæ hic adferuntur illud non sequi. *Socin. pag. 150. 153.*

Primò obijcit vt hoc probet: Christum non dicere, Malach. prophetiam in se completam, *dicturum alioqui ante faciem meam*: Respon. non video, quomodo in illa mutatione personarum, vlla sit vis, pro hac opinione, imò potius id firmat sententiam nostram, illa verba, *ante te*, de Chrsto accipienda, nam cum illa verba, *ecce mitto nuntium meum* &c. sint verba Dei, & subdat *ante faciem tuam*, quid convenientius quàm Christum hic intelligere? miror Socino hoc durum non esse, *mitto ante faciem tuam*, exponere *mitto ante faciem meam*. Vice versa si dixisset Christus, *ecce mitto angelum meum ante faciem meam*, hoc magis visum fuisset pro adversario facere, Deum, non Christum intelligendum. Tetiò si sic legit Christus, quia apud Malach. tum sic lectum fuit, sequetur & de Christo hoc prædictum fuisse & in eodem impletum esse, quod agnoscit adversarius, cum dicit pag. 150. nihil referre, vtrocunque modo legas. Denique Euangelista Marcus, Euangelij sui exordio, satis

apertè indicavit prædictam prophetiam in
Marc. 1. Christo impletam esse, cum dixit principium
cap. 1. v. Euangelij Jesu Christi Filij Dei, vt scriptum est
12. in Prophetis, *ecce ego mitto nuntium meum.*

Secundò obijcit pro hac prima evasione contra consequentiam majoris. *Ex Zachariæ*
Socin. *verbis nihil necessariò colligi, quàm Iohannem præ-*
pag. 150. *cessisse, ante faciem ipsius Dei ad præparandã viam ejus* Resp. Est quidem altissimus & Dominus Israel cujus Propheta Iohan. foret ejusdemque vias paraturus, sed dicimus Christum esse illum: Johannem Domino vias non parasse, nisi quia Christo præparavit, nam Patris & Filij vię non distinguntur, adeo vt Malach. prædictio de Deo, qui missurus esset angelum, ad pręparandam viam, ante faciem suam, nonnisi in persona Christi impleta sit, quod quia negat Socinus, confirmo ex Evangelistarum testimonijs & concionibus Johan. Baptistę pręcursoris: Johannes non fuit pręcursor nisi Christi, Deus ille adventurus inter Judęos, erat Christus nec Deus adveniebat, nisi quia Chriistus adveniebat: Johannes Baptista suo ministerio totus in eo erat, vt vię pararentur adventanti Christo, vt ex omnibus, quę de Johanne leguntur, manifestum est; itaque sine errore, nullam hic viarum pręparationem, imaginari possumus, quę Christum non respexerit, aut eundem excludat: nec ista viarum paratio, quę per veram ad Deum conversionem fieri debet, vt quis in judicio consistat, evincit, Johannem Deo viam parasse, non parando Chrisro, vt vult adversarius pag. 152. nec probat id verbis Luc. cap. primo

v. 16. vbi

v.16. vbi ille, cujus viæ erant parandæ, *per conversionem cordium patrum* &c. ut Malachias loquitur, *vocatur Dominus Deus*: nos enim Christum hunc dicimus: nam Christus is est, *cujus dies instat qui veniet & terram anathemate percutiet*, vt testatur Malachias, de eo cujus vias, Elias Propheta erat paraturus. Et hæc putamus de primâ difficultate satis esse quâ evertere conatur majoris consequentiam.

Sequitur altera, quæ hæc est, vaticinium hoc Malachiæ de Deo, in Christo impletum iri, *non quod Christus sit ipse Deus, sed quia Dei personam excellentissimâ ratione sustinuit*. Resp. De hac exceptione visum supra pag. 9. examinis nostri. Quod attingit pag. 149. de Deo, qui in Christo fuerit id eo ad Corinth. loco 2. nempe Cor. 5. v. 19. non dicitur, sed reconciliationem a Deo in Christo peractam esse, de hac phrasi nunc nihil amplius dicam, quia postmodum de eâ agendum erit. Nec vt ad rem redeam, qui alterius personam sustinent, sibi tribuunt, quæ ejus personæ sunt propria, hoc ipso, quod alterius personam sustinent: regnum regis, non dicitur vicarij regis: at Dei templum, Christi est, regnum verò regis si vicarius suum diceret, crimen lesæ majestatis committeret. Subditi non sunt ejus, qui principem repræsentat, nec ejus dicuntur, sed sunt & dicuntur principis esse: at Dominus Christus venit *vt salvet populum suum* Mat. 1. v. 21. & Johan. dicit εἰς τὰ ἴδια ἦλθε.

Socin. pag. 153.

CAP. I. Secundæ Claſſis argum.

De loco Pſalm. 2. verſ. 12.

HActenus prima Claſſis argumẽtorum fuit, ſequitur jam ſecunda, quæ continet varia teſtimonia pro Deitate Chriſti, ex ſolo V. Teſt. deprompta; inter illa autem primum occurrit ex Pſalm. 2. Argumentum quâ quidem hujus loci eſt ex verſu vltimo deſumptũ eſt; vbi ſic legitur. *Oſculamini Filium, vt non iraſcatur, & pereatis in viâ, cum exarſerit vel minimum ira ejus, beati omnes qui confidunt in eo*: argumentum hujus loci geminum facit Socinus pro ſententia noſtra, prius eſt illud, de perditione & beatitudine; alterum eſt fiducia in Meſſia collocanda. Syllogiſmus, ex primo argumento formatus, ſic habet: *ſolius Dei eſt ſervare & perdere: at Chriſti eſt hoc vt teſtatur hic locus Pſalmi.*

Socin. pag. 155. Socinus primò aſſumptionem negat, *quia in Pſalmo quidem dicitur, perituros illos, quibus Meſſias iraſcitur & beatos fore qui confidunt in illo, non verò Meſſiæ eſſe iſtam poteſtatem beandi & perdendi,*

Reſp. Nihil hîc aſſumptum quod ex Pſalm 2. revera non deſumptum, nam cum dicitur, *vt non iraſcatur & pereatis in via cum exarſerit vel minimum ira ejus*, ſatis profectò indicatur, iram illam cauſam eſſe perditionis impiorum, & quamvis verba in rigore ſumpta hoc non dicant, quod aſſumptum eſt, ſatis intera manifeſtum eſt plus quam ex mille ſacrarum literarum locis ejus eſſe punire & præmio afficere,

cujus mandatis homines morem gerunt aut immorigeri ſunt; imo non aliter impios exitio dandos quàm ab ipſo Meſſia, cui ſunt rebelles, hoc eodem Pſalm. v. 9. ſatis indicatum eſt, vbi ſcriptum eſt *confringes iſtos virgâ ferreâ.* Inſtat Socinus; *poſſe Dei beneficio prius Meſſiæ eſſe, vt non ſit alterum.* Reſpon. Punire ob neglectum Meſſiæ cultum aut ei confidentem beare, Meſſiæ neceſſariò eſt vt jam oſtendi; neutrum ejus communicatione gratiæ: eſt enim illud æternum exitium infligere & vitâ æternâ donare, proprium majeſtatis divinæ ſummæque poteſtatis; hanc verò poteſtatem dicimus eſſe tantum ejus qui per naturam & eſſentiam Deus eſt.

Secundò reſpondet, majorem dupliciter diſtinguendo. Primò *Dei imperium prorſus illimitatum eſſe; Chriſti verò regni ſui cancellis concluſum eſſe & limitatum*, & ſic aſſumptionem non eſſe veram. Verum dicimus, hanc diſtinctionem, eo ſenſu, quo, eam adverſarius proponit, ex humani cerebri lacunis hauſtam eſſe: nam cum duæ tantum in tota vniverſitate hominum claſſes ſint, juſtorum & injuſtorum, qui omnes & ſinguli ſubſunt poteſtati vitæ & necis, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus habet; quod apparet ex judiciali poteſtate ejus; cui ſi ſubducat quoſdam Socinus, falſi convincitur apertiſſimis ſacrarum literarum teſtimonijs; nam *ille judex vivorum & mortuorum* Act. 10. v. 42. *judicaturus orbem* Act. 17. verſ. 31. omne genu quod Deo curvabitur, Chriſto curvabitur, teſtante hoc Apoſtolo Rom. 14. v. 11, Hęc certè Socin. pag. 156.

 & alia

& alia complura loca, nullam patiuntur limitationem aut exceptionem: imperium autem vitæ & mortis tam latè extenditur, quàm judicij potestas, imò nulli judicij vis aut authoritas esset sine hoc imperio: vnde & imperij istius maximè mortalibus suspiciendi, notæ manifestę sunt: execrati abite à me in ignem æternum; & adeste benedicti Patris mei, possidete regnum. Cedò Socin. an abituri in ignem æternum, in quos Christus, sententiam condemnatoriam non laturus, an beandi qui à Christo non beandi? an Pater judicabit aliquos quos non judicabit Filius? contra quàm scriptum est, Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio Ioh. 5. v. 11.

Mat. 25. v. 34. 41.

Deindè cum ex sententiâ Socini, hoc Christi imperium vitæ & mortis, extendat se ad ea quæ quacunque tandem ratione ad regnum ejus pertinent (sic enim ille loquitur) tum si commonstrem ex ipsius, quam alibi nobis exponit opinione, omnes & singulos homines aliquâ ratione ad regnum ejus pertinere, evicero hanc distinctionem adversarij ineptam esse. Quod autem omnes & singuli ad Christi regnum aliquo modo pertineant patet ex eo, quod scribit, *omnibus hominibus satis prædicatum fuisse, cum ipse Christus, primum quasi in medio terrarum orbe illud annuntiaverit, & suos Discipulos deinde in vniversum mundum miserit, vt prædicarent Euangelium omni creaturæ & sibi testes essent vsque ad vltimum terræ: quare consilium Dei fuisse dici potest, ut omnes prorsus homines Christum nossent, eique fidem haberent: proinde si non pauci sunt, qui de Christo*

Resp. ad defens. Francisci Puccij cap. 10. pag. 325. 326.

de Christo nunquam audierunt, id justo Dei judicio, quamquam illi soli verè cognito, contra primum ejus decretum factum fuisse, statuendum omninò videtur. Hactenus Socin. Si ergo tale decretum aliquando fecit Christus, de præscribendâ omnibus & singulis fide, ijsdemque vitâ æterna promittenda, & de interdicenda incredulitate sub pœna mortis, profectò hoc non potuit sine imperio vitæ & mortis in omnes & singulos; aut alioqui, plus sibi authoritatis sumpsit quam par esset, quod nefas cogitare. Deindè cum dicat adversarius, si sunt, qui de Christo nunquam audiverunt, id justo Dei judicio, contra primum ejus decretum factum esse, satis ostendit, causas justi istius judicij in hominum improbitate latere, vtpotè, qui soleat semper, totum negotium dispositionis divinæ de salute hominum, ad humani arbitrij libripendem referre: hęc enim est illa Helena pro qua ille semper quoque pugnat, & sic veniunt considerandi vt inobedientes Christo; ergo ad regnum ejus spectant vt immorigeri, in quos proinde regi Christo jus mortis. Denique sentit adversarius cum suis, Christum omnium Salvatorem, quia omnibus vitam æternam est daturus, quod ille prorsus illimitatè accipit. Est itaque hæc prima distinctio extra & contra scripturas excogitata. Secùndò majorem ita supplet; *ille qui ex se habet imperium, scilicet vitæ & mortis, vel quod idem est perdendi & salvandi potestatem, ille est Deus ille vnus: at sic si assumatur falsum esse hoc de Christo, cum ille ex Dei dono habeat: sin verò major illimitatè accipiatur, tum illam falsam*

esse;

esse; nam inquit illa propositio solus verus Deus habet imperium vitæ & mortis, non aliter intelligi debet, quam illa solus verus Deus habet immortalitatem 1. Tim. 6. v. 16.

Ad enervandam distinctionem istam, qua dissolutam totius argumenti vim putat adversarius, ostendam imperium illud rei createæ incommunicabile esse: Deo illi vni quarto modo proprium; non esse imperium ex gratia & dono, in qua responsione pronum & puppim causę suę semper collocant Sociniani. Hoc imperium ergò subjectum suum non egredi, ita doceo. Ea ratione & modo Deus est Dominus vitæ & mortis, qua est Deus vnus: at vnus est simpliciter, ergò & ea ratione Dominus vitæ & mortis: quod & desertè dicit Esaias 45. v. 21. sicut enim ibi dicit *nullus Deus præter me, sic & se Servatorem dicit*, & postea *mihi curvabitur omne genu*, ergo Christus aut est Deus ille & Dominus, aut non est Dominus. Nullum porro est attributum, nulla actio, nullus titulus, qui magis, nobis ob oculos ponat Dei super res omnes eminentiam, ergo illud dominium non est alterius, quam hujus Dei. Profecto si quid est, in quo Dei sublimitas apparet, certe hoc est: nec adversarius hoc diffitetur; ergo necesse est statuamus, aut hoc Deum sibi servare, tanquam proprium insigne majestatis suæ, aut rem creatam sibi exæquare: aut si hoc donat ei qui non est Deus, sequetur, posse eum, se prorsus authoritate suâ & prærogativâ omni privare, a quo vel ipse Socinus abhorrere videtur pag. 25. nec sequetur æqualitatem non induci, quia statuit

Soci-

us quod Deus est Dominus a se, Christus
tione. Minime sequetur inquam, quid e-
mpedit exęquari re donatâ, eum cui dona-
i, a quo dono accepit, imò supra eum exal-
quod si rex aliquem admitteret in regiæ
itatis consortium, rex eum sibi dono & li-
litate suâ exæquaret; quod si in totum ce-
t imperium jam dono suo supra se exalta-
Tum verò rex quoque quamdiu rex est &
no se non abdicat, regię majestatis insignia
ini communicat, ergo nec Deus. Accedit
n vnus tantum in sensu antisociniano Deus
nctis patribus in V. Testam. fuerit agnitus,
sque solius cultus pręscriptus, & nullus prę-
eum prædicetur ibi Dominus vitæ & mor-
; cumque ista Deorum dualitas a Socinianis
ecta, ipsis sit præcipuum Christianæ religio-
mysterium, Davidi proinde incognitum, ne-
se est fateamur, cum Christus ibi prædice-
r Dominus vitæ & mortis, fuisse a patribus
nitum naturâ & essentiâ Dominum. Quod
tem Socinus ait, solum Deum habere impe-
um vitæ & mortis, sicuti habet immortalita-
m; id sine veritate dicitur: dispar enim in-
er hæc duo ratio est.

Transeo ad alterum argumentum ex loco Psalm 2. formatum quod sic habet. *Ille in quo est confidendum, est Deus ille vnus: at in Christo est confidendum*: Ergo: minor in textu est, major est in nobili loco Hieremię 17. per bonam consequentiam, imò etiam expresse valde: nam futile est quod Socin. adfert; *non sequi ex eo, quod maledictus est, qui confidit in homine, in Deo solo*

Alterum argum. ex Psalm. v. 12.

Socin. pag. 157. 158. *ſolo confidendum eſſe : eo inquit non excluduntur angeli, nec Chriſtus homo divinus, præſertim poſt glorificationem, poſtquam revera cœpit habere locum id, quod in Pſalm. 2. de ei confidendo, dictum eſt.* Potuiſſet Socinus eâdem operâ, multo plura nominare, qualia ſunt, aurum, argentum, beſtię, angeli mali, & alia infinita, idolatricæ fiducię objecta. Dico ergò unâ re nominatâ, per judicium de reliquis omnibus faciendum eſſe, quibus communis eſt ratio illa, propter quam, res illa excluditur, cur enim maledictus, qui confidit in homine, certè quia non eſt Deus ille Iſrael; procedit ergò hoc contra omnia, quæ non ſunt ille Deus. Quod ex verbis apud Prophetam ſequentibus facile colligitur, à Iehova autem recedit animus ejus: proſyllogiſmus ergò ex Ieremia petitus bonus: quod de Chriſto hîc reponit, prætereo, ne eadem nimium ſæpè repetere cogamur.

Dicit ſecundò, non ſimpliciter pronunciari *maledictum hominem illum qui in homine confidit, ſed qui ita confidit, vt ponat carnem brachium ſuum, id eſt in ipſis humanis viribus ſpem ſuam collocet, ſeu in homine ipſo per ſe citra ſpiritum ac virtutis divinæ opera:* Hoc ubi affirmavit Socinus, mox negat, cum ſtatim ſubdat poſt hęc verba *& cum neque hoc videretur ſatis, ad abſolutè pronunciandum quemquam maledictum additur poſtremò expreſsè & à Domino recedit cor ejus: vt ſcilicet intelligatur, Deum habiturum aliquam rationem illorum, qui licet homini cuipiam plus æquo confidant, humanis viribus id tribuentes, quod ipſius Dei proprium eſt, tamen interea ab ipſo Deo*

non

defficiunt, nec mentem ab ipso aversam aut alie-n gerunt : istam expositionem suam tum ap-cat ad fiduciam quam ille cum suis in Chri-locant.

Resp. Socinus ita exponit Prophetam, ac si mā prępositionē suā, maledictus &c. restrin-ret per secundā, secundā per teriam, cum se-entia, vel explicent antecedentia, vel æqui-lleant ijs, quod frequens apud sacros scripto-s. Et quis credat Prophetam ita propositio-em primam contraxisse, vt sic circumcisam & odificatam vt ita dicam, contradictoriam fa-eret tum suę tum universæ V. Testam. doctri-ę, de fidendo in vno illo Deo Israelis. Incom-atibilia profectò sunt in homine confidere, & Iehova non recedere sicut ἀσύστατα sunt Deo & idolis servire. Nec vllum apud Prophetas ut Mosen extat exemplum hominis, qui eo nodo credidit in Deum laudatâ fide, quâ Socin. hîc contendit credi posse. Addo si licuisset confi-dere in hominibus, cum Spiritibus ac virtutis divinę ope con sideratis; licuisset populo veteri in pluribus fiduciam suam collocare; hoc verò falsissimum est: nam consequenter eosdem & adorare & invocare licuisset, fiducia enim & a-doratio termini convertibiles sunt. Cætera quæ vibrat in Pontificios Mariælatras, Pontificijs re-inqui mus, illi viderint.

Caput II. Secundæ classis argum,
De loco Esa. 35. v. 4.

SEcundum secundæ classis argumentum no-bis esto Esa. 35. v. 4. *ipse adveniet & salvabit vos*

vos & v. 5. *tunc aperient se oculi cæcorum. Ille qui veniet & salvabit est Deus ille vnus : atqui Christus est ille qui venturus & salvaturus.* Primò excipit adversarius negando majorem : *potuit enim inquit Christus homo qui nasciturus erat, illorumque Deus futurus istâ appellatione insigniri.*

Socin. pag. 169. Resp. v. 2. dicit Propheta, *videbunt gloriam Iehovæ, decorem Dei nostri,* hîc nisi quis vltro desipere velit, necesse est fateatur, illa Prophetæ verba æqui pollētia esse: rursum v. 4. subdit, *ecce Deus* vester, & postea *ipse veniet*, nullus hic tergiversationi locus; manifestum Prophetam loqui de Deo illo vno : præterea cum toties apud Prophetam inculcetur illud *vnus Deus : ego Iehova Deus tuus sanctus Israelis Servator tuus* Esa. 43. v. 3. *Ego Iehova, nullus præterea, præter me, nullus Deus* Es. 45. v. 5. *nullusque amplius Deus præter me, fortis justus & Servator; nullus præterquam ego* : non ergo sentiendum, prædicari hîc Deum futurum, qui nondum existeret. Porro *si Deus vester*, non erat Deus ille vnus Israelis, qui jam tum erat, sed Deus futurus Israelis, jam hoc mysterium non fuit demum in Christiana religione revelatum, sed & in Judaica, cum clara hic si Socino credimus, prædictio contineatur hominis deificandi. Et vt magis commonstrem adhuc quàm vanum sit glossema Socini, dico illum hac suâ explicatione Prophetas facere quasi collatis signis & aperto marte *Ierem. 10. v. 11.* inter se confligentes. Clamat Ierem. *de Deorum excidio, qui cœlum & terram non fecerunt,* Es. *Socin. 170.* contra de Deo tali, qui in Deum exaltandus esset & ipsius Israel Deus & Servator foret. De-

nique

-e vt hoc postremò dicam, hîc agitur de
- qui jam tum erat, vt ex textus inspectione
-tum. Omitto quæ hic interserit de Deo
-, metaphorico, de nomine Dei, alibi enim
-tis.

-ecundò excipit negando minorem contra
-m varia objicit. 1. *Non liquere ex Mat. 11.*
-im Esa. de Christo explicandum. 2. *Quæ Chri-*
-ibi de se prædicat, satis per se esse, ad demon-
-ndum illum esse Messiam a Deo promissum. 3.
-n tantùm ista ibi commemorari, sed & alia, quæ
-oco illo Esa. non leguntur. 4. *Argumentum hoc*
-uperiorem classem referendum.

Resp. Ad primum, accommodationem ma- *Socin. pag. 171.*
-festam esse ex convenientia verborum & sen-
-s, in Propheta dicitur *veniet & salvabit*, apud
-uangelistam, *num ille qui venturus esset*: re-
-ondet Christus Prophetæ verbis, respexit er-
-o eò. Ad secundum respondeo ipsa quidem
-iracula per se satis demonstrare, illum esse
-Messiam a Deo promissum: *nemo enim potest*
-æc signa edere, nisi Deus sit cum eo Ioh. 3. vers. 1.
-Christus ad ea tanquam ad argumentum apo-
-dicticum veracitatis suæ provocat Ioh. 10. v. 37:
interea tamen hoc argumentum fortius proce-
dit si commonstretur in Christo impletas Pro-
phetarum prædictiones, quod hîc fit, vt alibi
sæpe ab Apostolis efficacissimæ rationes inde
deducuntur, ad persuadendam maximam istam
Christianæ fidei thesin, Iesum nempe esse Chri-
stum Act. 17. v. 2. 3. Act. 28. v. 23. & alibi. Sic
Servator noster, qui dixit, *opera quæ ego facio,*
testantur de me, quod Pater miserit me Ioh. 5. v. 36.

D dixit

dixit quoque ibidem, *ſcrutamini ſcripturas*, *quia vos videmini vobis vitam æternam in ipſis habere*; *& illæ ſunt quæ teſtificantur de me*. Ad tertium dico ea quæ non ſunt in loco Eſa. 35. legi in locis alijs, apud eundem Prophetam: quartum leve eſt, de ordine loci agens.

Urget vlterius, *hæc commodè poſſe, vel debere etiam, ad tempora liberationis ex captivitate Babylonicâ referri*. Nos reſpondemus cum doctiſſimo Franciſco Junio parallelorum primo ad hunc locum: verba ejus ſunt, *non debent loci ejuſmodi typicè potius quàm hiſtoricè accipi, ubi demonſtratur hiſtoricum eorum complementum*, hoc autem demonſtratur hîc. 2. Nihil hoc contra aſſumptionem noſtram, nam ſi hæc referenda ſunt ad vtramque liberationem tum typicam tum veram, quæ Chriſti eſt, perſtat aſſumptio. Poſſem

Socin. pag. 172. ergo præterire cætera, quæ hîc prolixius perſequitur Socin. quia minorem noſtram non convellunt; libet tamen nonnulla illi reponere, ad ea quæ hic profert ſatis inconſideratè.

Diſputat hîc nonnulla de verbo veniendi. *Quod ſi inquit, ad liberationem ex captivitate Babylonica, fateamur Eſa. prædictionem referri poſſe, jam conſtabit, quid in ea ſignificet, ipſum Deum venturum, & ſalutem daturum, ſi de uno Deo ſermo eſt; id eſt, non quidem, ipſius Dei perſonam venturam, ſed Dei favorem præſentiſſimum futurum, eſt ſane aut prorſus impoſſibile, aut certè Dei majeſtate indigniſſimum, ipſum aliter venire vt ſervet, quàm per ſui favoris ac virtutis præſentiam, & turpiter errat quicunque aliter ſentit.*

Reſp. Hoc ſi ad captivitatem Babylonicam

atur ex ſuppoſitione Socini, quomodo du-
illi eſſe poteſt,an Deus ille venturus Deus
nus ? nota autem dubij ſermonis eſt , ſi de
llo Deo ſermo eſt : nam cum hîc dicatur
ſervaturus ex captivitate Babylonicâ,
verò Chriſtus , poſt multa demum ſecula
eum evehendus, nullum alium , hunc Sal-
em fore,qui ſalvet ex captivitate Babylo-
, Socino cogitare promptum erit , niſi
n illum vnum,niſi forte tertium,aut quar-
Deum imaginetur,inter angelos aut homi-
cui competant hæc. Ad id quod dicit de
veniendi , eam non ſignare adventum per-
Dei ſed favoris ac virtutis præſentiam,
ndeo diſtinguendo : ſi Socin. intelligat a-
& non Deum ipſum ſervaſſe , ſed tantum
entiâ favoris & virtutis adfuiſſe ; ita vt ille
maximè propria & principalis iſtius ope-
n fuerit , & ipſa Dei perſona ab hoc actu
tionis propriè denominari nonpoſſit , tum
s ille falſus : ſin tantum excludat motum
em , non eſt quod reprehendo , ſed ſic nec
r,nec minor noſtra,per iſtam vocis venien-
terpretationem,vllo modo concutitur,nam
ſe res cum illâ voce veniendi habeat,illud
cuſſum manet & manere debet, eum qui
et & ſalvabit,eſſe Deum illum vnum.
ontendit vlterius,*prorſus impoſſibile,aut cer-*
i majeſtate indigniſſimum eſſe , ipſum aliter
. Verum ſic occurritur, eo ſi tacitè ſugil-
yſterium incarnationis Filij Dei , qui mo-
d nos veniendi,vt nos ſalvet,illi inter per-
divinas eſt proprius , turpiter errat ſic

 ſenti-

ſentiens: quod ſi meus ejus eſt, ſimpliciter hoc impoſſibile eſſe, aut Deo indignum, rogo vnde ſciat hoc? nam cum ille ſentiat cum ſuis Deum eſſentiâ finitum & ſpatijs circumſcriptum eſſe, quæ ratio, cui primas alioqui defe-runt, illi dictare poteſt, Deum loco moveri non poſſe, cum ſola eſſentiæ infinitas motum localem a Deo removeat. Quære deinde, qui ſentiat indignum Dei majeſtate motum localem, cùm non ſentiat, adventum per motum indignum eo cui Deus ille vnus per glorificationem & exaltationem ad dextram majeſtatis ſuę communicavit ea, in quibus maximè divinæ majeſtatis gloria & excellentia conſiſtit.

Rurſum contra majorem pugnat, implicitè negando illam: cum dicit verba illa, *ipſe veniet, explicari poſſe, quod per miniſtrum aliquem venturus, & non quod per ſe.*

Reſp. Falſum hoc eſſe, tum in liberatione typicâ, tum vera, nam vtrobique, Deus cauſa propria ſalvationis, & Deus ab adventu & ſalvatione denominatur, quia ipſe venit & ſalvavit, quod vtrobique eventus comprobavit, vide Eſa. 43. verſ. 14. &c. Eſa. 45. v. 1. & alibi paſſim: vtraque liberatio tales & tam eximias continet actiones, vt ſi de Deo & operibus ejus, ex verbo ejus ſapere velimus, ſine manifeſta in Deum contumelia, eas ad creaturas transferre non poſſimus, niſi quatenus fuerunt cauſæ inſtrumentales, Deo, vt cauſæ proprię & principali inſervientes. Accedit quod tenendus ſenſus verborum proprius, niſi obſtet ratio in contrarium; verba de Deo, non de miniſtro Dei loquuntur:

tur : quod si ego sequens interpretatio-
is modum, dixero Christum non ventu-
d judicandum viuos & mortuos per se,
ntum per ministrum , quomodo si sibi
t, me redarguet?
fert & illud *pronomen ipse, vel singularem*
m insinuare vel superfluum esse. Ad primum
quando Deus venit ad benefaciendum,
ille suos quidem habet gradus secundum
e beneficentiæ modum : non tamen ver-
ex vi suâ nativâ, aut hoc loco aut alibi
laritatem favoris insinuant. Ad secundum
voculam istam emphaticam esse, hîc nam
paret hoc ex contextu. 2. Apparet ex æ-
llentibus locis Esa.42.vers.6. Esa.43.v.2.
45.v.13. Postremò ait se contra majorem
gere potuisse, *ostendendo Deum tunc venire*
um aliquis ejus loco venit, & propterea *sin-*
quadam ratione Deum venturum dictum
, cum Christus venturus esset, quippe, quod
tus singulari quadam ratione, ejus loco ventu-
at, sed de hoc se dixisse dicit supra, quantum
ad præsens argumentum dissolvendum satis
utat, & postea amplius fortasse de hoc dicen-
; propterea eâ de re se noluisse hoc loco dis-
re.
ef. Videantur dicta a nobis supra. Addo si
dicatur Deum venire, quia Christus ve-
credendum erit, Deum Patrem venisse in
dum, pro qua tamen opinione, ne vnus
em apud Euangelistas apex, & mirum,
l Filius qui toties de suo, ne semel quidem
atris adventu monuit: quinimo si credi-

mus Filium, adventu ſuo in mundum Dei Patris vices ſuppleviſſe, adventus ille non tam Filij, quam Patris adventus reputandus erit. Accedit falſum hoc eſſe, Chriſtum veniſſe Dei Patris loco, venit ille, non ad Patris munus obeundum ſed ſuum, quod ipſius erat ex arcano & æterno Patris conſilio, & voluntariâ ejuſdem Filij ſubmiſſione: hinc enatæ iſtæ voces: hæc
Ioh.6.v. eſt autem voluntas ejus qui miſit me. Amen
39.40. amen dico vobis, nequaquam dedit vobis Mo-
44. ſes panem illum cœleſtem, ſed Pater meus dat vobis panem illum cœleſtem verum, non dicit ſe in panem cœleſtem datum vice aut loco Patris non venit vt ſibi miniſtretur, ſed vt miniſtret *καὶ δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἀντὶ πολλῶν*, quid? an ſuas hic vices obit an paternas ſupplet.

Caput III. Secundæ claſſis argum, *De loco* Eſa. 52. verſ. 5.6.

LOcus apud Eſa. cap. 52. v. 5. 6. ſic habet. *nunc autem, quid mihi hic eſt? dictum Iehovæ; nam captus eſt populus meus gratis, dominatores ejus ejulant, dictum Iehovæ, & jugiter quotidie nomen meum irritatur v. 6. idcirco experietur populus meus nomen meum, idcirco illo ipſo die, me eum, qui proloquitur, ecce me* &c.

Summa capitis eſt, Eccleſiam conſolari, & ad ſpirituale gaudium excitare, adventu & pręſentiâ Salvatoris Euangelizantis: nam hoc complementum hiſtoricum pręditionis hujus, teſte

Apostolo Paulo Rom. 10. v. 15. & v. 13. 14. 15. apertissimis verbis loquitur Propheta, de abjectione & ignominia Christi Servatoris nostri ejusdemque in excelsam gloriam, post perpessiones evectione, qui duplex status Christi prolixè & graphicè describitur cap. sequente. Si cui ergo hæc referre placet ad captivitatem Babylonicam, ad veram tamen & realem omnino referri debere, certum & indubitatum est; quia hoc suadet Apostolica authoritas omni exceptione major. Pro Socini explicatione, nulla militat evidens ratio. Itaque vis argumenti nostri non est, in hac aut illa voculâ præcise consideratâ, sed in toto contextu; deductio totius sermonis Prophetici, suggerit satis Deum in carne patefactum, nam ille fuit Euangelizationis hujus author & objectum Rom. 10. vers. 12. 13. 14. 15. ille *Deus in Zione regnans* vt Propheta v. 7. Socinus in eo multus est vt ostendat v. 6. agi de fideli præstatione promissorum Dei? sed quid tum, Deus in carne patefactus, hoc pacto fidem exolvit suam, nam πιςὸς ὁ λόγος, vt insignis Pauli locus ad Timoth. 1. cap. 1. v. 15. habet, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, Iesum Christum venisse in mundum, vt peccatores servaret. Particulatim non persequar, quæ hîc habet Socinus, in quibus multa interserit de liberatione ex captivitate Babilonica.

Socin. pag. 175. 178.

Rom. 10. v. 14. 15. 16.

CAP. IV. Secundæ Classis argum. *De loco* Esa. 45. vers. 14. 15.

QUartus locus est apud Esa. 45. vers. 14. 15. *hæc dicit Dominus labor Ægypti & negotiatio*

Socin. pag. 178. 183.

tiatio Æthiopiæ & Sabaim viri præstantes & sublimes ad te accedent, & tui erunt post te ambulabunt, vincti compedibus incedent & te adorabunt teque deprecabuntur. Tantum in te est Deus & absque te non est Deus: verò tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator. Tractationi hujus loci non immorabimur. Dico breviter: Quamquam pronomen te in istis verbis sit fæminini generis, vt & nomen possessivum tui, ac propterea hæc ad Ecclesiam & non ad Christum referenda videantur: verba nihilominus illa in te est Deus, Deus Israel Salvator de Christo exponenda, quia Christus proprijssimâ ratione Salvator, æternæ salutis author, eidem curvanda genua, quod vt supra intelleximus, Paulus Christo tribuit, hoc verò simul cum ijs quæ antecedunt tribuitur ei qui v. 15. est nominatus & descriptus. Locum Baruchi qui ex libro Apocrypho producitur Pontificijs relinquimus.

CAP. V. Secundæ Classis argum. *De loco* Zachar. 2. vers. 8. 12.

Socin. pag. 186.

LOcus sic habet *sic ait Iehova exercituum, post gloriam misit me contra gentes istas, quæ deprædatæ sunt vos: quia qui tangit vos, tangit pupillam oculi ipsius v. 13. nam ecce ego manum meam agitaturus sum contra illas, & erunt præda servis suis, ita agnoscetis Iehovam exercituum misisse me. v. 14. cane & lætare filia Ziionis, quia ecce venturus & habitaturus in medio tui, dictum Iehovæ*

hovæ v. 15. & adjungentes se gentes multæ Iehovæ, die illo erunt mihi populus, & habitante in medio tui me, agnosces Iehovam exercituum mittere me ad te.

Argumentum, quod ex hoc loco colligitur, sic habet. *Ille qui missus est ad gentes, est Iehova exercituum. At Dominus noster Iesus Christus est ille missus ad gentes, ergo ille est Iehova exercituum*: Socinus varia obijcit, tum contra propositionem, tum contra assumptionem Syllogismi hujus, inprimis verò contra propositionem.

Primò obijcit, *etiamsi sententia nostra de tribus personis, in vno Deo vera esset, & quantumvis certum quoque esset, istum & vocare se, & esse Dominum exercituum, qui se dicit missum a Domino exercituum, illationem tamen nec bonam, nec necessariam esse, Christum esse eum Dominum exercituum: ratio negatæ consequentiæ est, quia potest esse Sp. S. vel etiam Pater: nam verba ejus sunt: vt nihil dicam, quod vt supra movi, nulla causa est, cur Pater ipse, sive a Filio, sive a Sp. S. mitti non possit, si modo omnium trium & vniuscuiusque ipsorum eadem per omnia est dignitas, potentia atque majestas, vt ipsi Trinitarij contendunt, hæc ille.* Socin. pag. 187.

Resp. Incongruum esse de Sp. S. hæc intelligere, vt commonstrant circumstantię contextus hujus, & non pauca alia, quæ apud Zachariám leguntur, quæ lucem adferunt ijs, quę hic dicuntur; nam ille de quo hic est sermo, est *ille vir, qui insidebat equo ruso*: hic vir versu sequente dicitur *angelus*, nam pro eo quod Zacharias dixit versu 9. *dixit mihi angelus, qui allocutus est me*, dicit versu 10. *tunc respondens vir ille, qui* Zach. 1. v. 8.

 stabat

ſtabat inter myrtos, dixit: quo clarè exponitur nobis, angelum illum, qui allocutus eſt Prophetam, eſſe virum illum, qui ſtabat inter myrtos, & ſicut τὸ alloqui angeli vt ſic dicam, tribuitur viro ſtanti inter myrtos, ſic viciſſim τὸ ſtare viri inter myrtos v. 11. angelo Iehovę tribuitur: ille angelus Iehovæ, pro Eccleſiâ intercedit apud Deum verſ. 12. jam verò non Sp. S. ſed ſolus Chriſtus angelus fœderis, vt eſt apud Mala. 3. v. 1. Hic angelus eſt ille, qui dicit v. 12. & ſequentibus: *nam ſic ait Iehova exercituum* &c. nam aut intelligitur angelus ille, qui Prophetam alloquebatur Zach. 2. v. 7. aut angelus ille, qui ibidem huic angelo obviam proceſſiſſe dicitur: at non intelligitur angelus ille, ergo hic angelus, de quo nos dicimus; actiones enim ſub metaphoricâ locutione deprædationis & prædæ deſcriptæ, apertiſſimè huic angelo conveniunt: nam ipſe ſupra cap. prim. deſcriptus eſt, ſub formâ viri equo rufo inſidentis, & comparati ad bellum & prædandum: eſt ergo ille angelus Iehovæ, Chriſtus: nam ille ita habitavit in medio ſuorum, vt eſſent populus ejus;
Ioh. 1. hoc verò de Chriſto in Novo Teſtam. diſertè
v. 11. prædicatur; illi enim hoc Dominum peculia-
Ioh. 10. re eſt.
v. 16. Alterum membrum, primæ objectionis, ad-
Act. 8. verſus aſſumptionem, factę eſt; *Patrem etiam*
v. 10. *poſſe mitti, poſito ſententiam Trinitariorum eſſe ve-*
Pſalm. 2. *ram, de æquali dignitate ac majeſtate trium, & con-*
v. 8. *ſequenter Patrem intelligi poſſe.*
Eſa. 53. Reſp. Etiamſi Pater mitti poſſet, non ſeque-
v. 12. retur miſſum eſſe, a potentiâ enim ad actum

non valet consequentia: quinimo nunquam est missus; nunquam ita habitavit in medio populi, vt inde agnosceretur ipsum a Iehova exercituum esse missum, quod vtrumque affirmatur hoc loco, de eo de quo hic agitur. Nego itidem ex sententiâ orthodoxâ de trinitate sequi, Patrem posse mitti, nam quod Socinus ait in tractatione secundi argum. secundę classis pag. 167. vt aliquis posset quempiam mittere, satis esse: vt non sit minor ipso, quemadmodum adversarijs placet: hoc inquam sine veritate dicitur, præter hoc enim requirunt originem, sic enim Thomas Scholasticorum coryphęus prim. part. sum. quæst. 43. arti. 4. missio in sui ratione, importat processionem ab alio, & in divinis secundum originem, vnde cum Pater non sit ab alio, nullo modo convenit ipsi mitti, sed solum Filio & Spiritui S. quibus convenit esse ab alio. Secundò cum Pater non mittatur, nec unquam missus sit, nec Scriptura doceat, positâ æqualitate trium, Patrem posse mitti, nec expresse, nec per consequentiam, rogo vnde adversarius hoc sciat, cum sana ratio hoc non dictet, sed potius eum qui mittitur ab alio, ab alio esse in divinis, cum in rebus creatis ita comparatum sit, vt modus operandi secundum modum essendi sit, & quæ naturâ prius sunt, naturâ prius operentur. Cum itaque & naturalis rationis dictamini sit convenientissimum hoc, quod statuunt hac re orthodoxi, & ex scripturis habeamus Patrem non mitti, profecto non ineptè dicitur, Patrem non posse mitti, nam etiam, quæ ex Dei decreto & voluntate futura sunt, nunquam,

quam, dicuntur, fieri non posse. Sic dicitur ὥστε πλανῆσαι ἡ δυνατὸν καὶ τοὺς ἐκλεκτοὺς Math. 24. vers. 24.

Hæc de primâ Socini contra assumptionem nostram objectione, sequitur altera,

Altera contra assumptionem objectio est; hæc de Christo non accipienda, *quia post glorificationem ejus acciderunt, postquam sicut Christus, non potest dici missus, nisi in personâ Apostolorum, sic Sp. S. ipsemet dicitur esse missus: consequenter potius concludendum esse, istum alterum Dominum exercituum esse Sp. S.*

Resp. Non rectè dicitur, Christus in persona Apostolorum esse missus, si ipse tum non erat missus, sed tantum mittens Apostolos: non dicitur principem in persona legati sui esse missum, quia legatum misit: nec ferri hoc posset, Patrem esse missum in persona Filij, quia Filium misit: itaq; Christus non missus in persona Apostolorum, nisi absolute missus, ab activa enim missione non potest denominari missus. Quamvis verò Dominus noster Iesus Christus in terris versans, & munere Mediatorio fungens, frequenter eatenus dixerit, se missum esse a Patre, vis tamen & authoritas illi hac missione collata, non tantū ad tempus, quo in terris versatus est, sed etiam ad tempus exaltationis extenditur: nam secundum quod, missio illa dicit ablegationem quandam, quâ Filius, derelictâ sede & gloria majestatis suæ, venit in hunc mundum, desijt illa postquam ad Patrem profectus est, deserto mundo & consedit ad dextram majestatis eius: secundum quod verò missio illa dicit aut comprehendit

ehendit in se designationem & vocationē, ad unus mediatorium, post glorificationē etiam a perduravit. Dico amplius etiam legi in sais literis Christum post glorificationem suam issū esse, nam Act. 3. v. 20. legitur καὶ ἀποστείλη προκεκηρυγμένον ὑμῖν Jesum Christum & vltimo ejusdē cap. vobis primū Deus suscita- Filium suū Iesum misit, qui benediceret vo- s, vnoquoq; se avertēte a pravitatibus vestris.

Nunc de majore propositione, vbi verba So- ni sunt. *Istum qui dicit se esse missum a Domino ercituum, ex loci ipsius verbis, non constare, esse ominum exercituum: neque id ne semel quidem, dum sæpius hîc fuisse dictum. Tota autem vis est ipsis primis verbis; quibus rectè explicatis & in- lectis veritas patebit.* Socin. pag. 188.

Resp. Etiamsi hæc verba: *nam sic ait Iehova ercituum post gloriam misit me*, non videantur nc habere sensum, Jehovam exercituum mis- m esse, sed potius, hunc, angelum narrare ijs se Jehova exercituum missum esse (est enim con- nuatio sermonis, quo narratur quomodo ange- s angelum allocutus sit, quod apparet ex par- cula causali *ki*) firma manet nihilominus ma- r, eum qui missus est, esse Jehovam exercituū, m vt supra probavi, angelus hîc, est Christus, on aliquis angelus creatus, quod probatur nplius. 1. Angelo huic opus redemptionis & lvationis tribuitur, quod est Dei Jehovæ oprium, vt hic sumimus suo loco id demon- raturi Deo volente *misit me contra gentes istas, ce ego agitaturus sum manum meam contra illas.* Socin. pag. 191.

bijcit Socinus hæc de angelo creato intelligi posse;

posse; *certum enim inquit est & posse & solere a Deo mitti angelos, non ut simplices nuntios, sed tali potestate præditos ut ista & majora etiam de se affirmare possint, quod probat ex Gen. 18. & sequentibus, ex iis quæ in Ægypto in diserto sub Davide acciderunt cum populum numerasset: & sub Ezechia contra exercitum Senacherib.* Verum respondetur, etsi Deus angelorum operâ, tum in liberandis suis, tum puniendis hostibus usus, opera tamen eorum tantum ministerialis fuit, ista verò opera prædicare tanquam sua angelis, ac si causæ principis operis essent, non legitur. 2. Opera quę de angelis narrantur, sunt opera singularia, hoc verò opus liberationis, quâ illud de typicâ liberatione accipitur, est opus valde vniversale, multos particulares actus comprehendēs, ergo hoc non est angeli creati, nam hoc semper de se Iehova prædicat, proinde negatur, quod Socinus dicit, ista aut majora etiam angelos de se affirmare posse.

Secundò confirmatur, hunc angelum, non esse angelum creatum, nam vers. 14. dicit *Ecce vēturus & habitaturus in medio tui*; quę verba de eo accipienda, qui dixit supra *se missum esse*, nam quod Socinus ait pag. 192. Iehovam jam inductum loquentem istis verbis *canta & lætare Filia Ziion* nulla ratio probat: jam verò angelus creatus, non venit aut habitavit in medio Ecclesiæ Dei, ergo hic est increatus: interea illud etiam hîc animadversione dignum, istam Socini expositionem, hæc verba de Iehova exponentis, firmare majorem nostram ex toto hoc loco desumptam, cum nempe, cujus missio & adventus

ventus hîc promittitur, Iehovam esse. Tertiò confirmatur major ex v. 15. *quia gentes, quæ adjungentur Iehovæ, populus ipsius erunt*: ergo & ille, qui dicit, *erunt mihi populus*, non est angelus creatus, nam illi sunt ministratorij spiritus, non Domini populi Dei Heb. 1, 13. 14. subditur *& habitante in medio tui me*; hic alius esse non potest, quàm qui dixit, *erunt mihi populus*; additur, *agnosces Iehovam exercituum mittere me ad te*. Socinus ex v. 14. & antecedente parte v. 15. hyperbaton facit, & dicit angelum hisce verbis ad suam ipsius personam redire. Sed hoc inane est, habent enim hæc verba evidentem relationem ad immediatè antecedentia, & alioqui nihil operantur, si hîc tale sit hyperbaton.

CAP. VI. Secundæ Classis argum. *De loco* Zachar. 3. vers. 1.

LOcus sic habet. *Ostendit mihi Sacerdotem maximum stantem coram angelo Iehovæ, & Satanam stantem ad dexteram ejus, ut adversaretur ei & dixit Iehova Satanæ, increpet Iehova te Satan, increpet Iehova te.* Argumentum desumptũ, ex hoc loco tale sit: *cum duo hîc nominentur Iehova, sequitur Filium esse alterutrum, cum neque Sp. S. alter ille Iehova esse possit, neque creatus aliquis angelus. At duo hic nominantur nomine Iehovæ, ergo.*

Quæcunque respondet Socinus ad hoc argumentum, ea tendunt ad enervandam consequentiam

quentiam majoris: responsio ejus in duobus consistit. Primum est, *alterum illum posse esse Spiritum S.* Secundum est, *vnum tantum ex duobus revera Iehovam esse, alterum angelum creatum*. Primum responsum Socini consistere non potest, nam cum *Sp. S.* angeli nomine non veniat in scripturis, & Jehova ille, de quo, inter nos & adversarium, controvertitur, sit a Propheta angelus aliquoties appellatus, vt adversarius, confitetur pag. 196. necesse est, Filium Dei alterum illum Iehovam esse: nec est quod metuamus hîc causæ nostræ, a Socino retorquente, argumentum, a Theodoreto formatum, ex hoc loco, pro Deitate Filij, quia causa Filij, hic magis agi videbatur quam *Sp. S.* nam pontifex hic erat Filij Dei typus. Hoc verò ita retorquet adversarius: *fieri non posse, vt in ipsâ eadem visione, eodem temporis momento, quis & in sua propria persona verè, & in altera repræsentativè sive adumbratè appareat, altera ab altera manifestè distincta.* At respondetur hoc tam facile reijci, quàm adferri, quid enim impedit repræsentari in typo, vt futurum, eo modo, quo nondum erat, & interea alio modo præsentem esse.

Socin. pag. 196.

Secundum ejus responsum est, vt dixi, *alterum angelum, creatum* angelum esse. Missa disputatione illa sceptica, quam Socinus hic format nobis de angelis, nunc probans de hoc, nunc de illo angelo, accipienda hęc verba; istud tantum necessum est ostendere, angelum hunc non esse creatum angelum, hoc enim si obtineamus, consequentia majoris inexpugnata manet; hunc autem, non esse angelum creatum, proba-

nus ex nomine Iehovæ creaturis incom-
cabili, ſed hoc eſt illud τὸ κελνόμενον in-
s & adverſarium, de quo ex profeſſo erit
tum, in quarta claſſe argumentorum, vbi,
adjuvante, ſpero me commonſtraturum
ſario, principium nos non petere, cum ſic
ndemus.

CAP. VII. Secundæ Claſſis argum.
De loco Zachar. 12. verſ. 10.

Egitur Zach. 12. verſ. 10. *Effundam ſuper domum David & ſuper habitatores Hieruſa- ſpiritum gratiæ & precum & aſpicient ad me, m confixerunt. Syllogiſmus hypotheticus ſic ha- Si ille, de quo dicit Zacharias effundam ſuper num David & ſuper habitatores Hieruſalem ritum &c. & reſpicient ad me quem confixe- t, eſt verus Deus ille Iſrael, tum Chriſtus eſt rus ille Deus, vtpote de quo hæc dicuntur. At ve- m prius, ergo & poſterius.* Reſpondet primò Socinus, *hoc argumentum revera ad ſuperiorem ſſem pertinere, niſi enim inquit locus Iohannis eſ- , nihil prohiberet, quominus de metaphorica tan- m, eâque jam factâ confixione, hæc Dei verba ac- perentur.* At contra hoc argumentum perti- et ad claſſem præſentem, nam totum ſumitur x loco Prophetæ; hîc enim habemus Deum a Judæis transfixum: habemus hîc deſcriptam perſonam θεάνθρωπον paſsam; tantum no- men Chriſti deſideratur: vna propoſitio hic

Socin. pag. 200.

non est V. altera Novi Testam. vt supra; sed vtraque hujus syllogismi, quo ad substantiam, in Propheta continetur, quamvis enim istius transfixionis, quæ narratur a Propheta, luculentam expositionem habeamus, in verbis Johannis, ipsa nihilominus Dei Immanuelis nostri transfixio tradita fuit in V. Testam. vt complura alia, quibus tamen, clara intelligentiæ lux immissa, per Euangelij revelationem. Hac responsione præmissa, quæ litem de ordine movet, venit ad ipsum Syllogismum vt argumentationem factam labefactet.

Ac primò quidem majorem aggreditur, negando ejus consequentiam: contendit nimirum antagonista, confixione Christi Deum confixum dici, *non quia Christus essentia Deus, sed propter mysticam conjunctionem & amorem Dei; vult ergo Deum non in se confixum sed in alio, qui conjunctus illi & quem amabat, cujus confixionem suam reputaret: huic explicationi probandæ tria affert loca similia, vbi vni tribuitur, quod alteri competit propriè ob ejusmodi conjunctionem & reputationem, vt* I. *qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei Zach. 2. cap. 2. v. 12.* II. *Saule Saule quid persequeris me, & ego sum Iesus Nazarenus quem tu persequeris Act. 9. v. 45.* III. *Esurivi & dedistis mihi, & rursus, esurivi, & non dedistis mihi manducare Mat. 25. v. 32. 42.*

Verum respondetur. 1. Apertissimum discrimen esse inter hoc, de quo hic controvertitur, & exempla allata, nam in exemplis allatis, vel amorem tenerrimum, vel mysticam conjunctionem istius denominationis causam esse, nemo tam

imo tam cæcus, quin videat, aut eſsentiæ vnitatem inde concluſerit; adeo hæc clara, vt nullam aliam interpretationem ferre poſſint, talem verò aut amorem aut conjunctionem hic prædicationis iſtius cauſam eſse, nullus aut hic, aut alibi in ſcriptura apex eſt qui indicet. Sicut ergo aperta ratio dictat illa allata ſic accipienda, ſic etiam hæc verba propriè accipienda: ſenſus enim verborum proprius retinendus, vbi impropriæ acceptionis ratio non eſt evidens. Secundò in exemplis allatis diſtinctè aut nominantur, aut ſatis apertè indicantur diſtinctæ perſonæ, quarum vni, hæc propriè tribuuntur, alteri nempe Deo & Chriſto impropriè. Nam in primo, populus Judaicus & Deus expreſsè nominantur. In ſecundo, Dominus & fidelis ejus. In tertio fratres Domini & Dominus; hic verò vnus tantum transfixus narratur. Tertiò quandocunque afflictiones eorum, qui Deo cariſſimi, Deus ſibi tribuit & ſuas reputat, tum ſemper fit eorum mentio, at hoc loco id non fit, ergo. Adverſarij explicatio nova & inſolens eſt, imo mutilum & imperfectum relinquit ſenſum, nam fingit Deum dicere ſe rransfixum eſſe, citra quod declaret in quo transfixus ſit, aut ſe transfixione affici, nulla facta mentione propter quam illud fiat, aut cujus illa ſit. Quartò contortam eſse hanc interpretationem, prçterquam quod ſimplex & planus verborum ſenſus ſatis oſtendit, evincitur Apoſtoli Johannis authoritate, qui duobus in locis, mentione de hac transfixione facta, neutro in loco, hoc transfigi interpretatus eſt, alterius transfixionem ſuam

reputare aut eâ affici; sed in sensu exponit proprio, de Christo qui in passione sua transfixus est. Facessat igitur hæc portentosa interpretatio Socini, vel ipsis Judæorum magistris incognita, qui de Messia interficiendo dictum hoc exposuerunt, vt testatur Petrus Galatinus lib. 4. cap. 2. de arcanis Catholicæ veritatis. Postremò illam divinorum oraculorum interpretationem stolidam esse necesse est, quâ admissâ monstra ac portenta opinionum ac dogmatum invehuntur (vt Socini verbis vtar). Talis autem hæc Socini, quod sic ostenditur: si Pater transfixus, quia Filius transfixus, jam non est quod explodam, si quis dixerit Patrem passum, mortuum: nec portentosum erit in Christianâ fide credere in Deũ Patrem sub Pontio Pilato passum. Dicam Christum non crucifixum in persona sua, sed alterius crucifixionẽ & mortem suam reputasse. Sic tota scriptura, in Bęotiũ ænigma transformari posset.

Contra minorem objicit. Primò negando *hæc de Deo dici, quæ refert Zacharias.* 1. *ratio est, quia voculæ illæ, ad me, sunt irreptitiæ, & quod ex Iohan. verbis satis constet, ipsius tempore voculas illas, in isto loco non fuisse lectas; aut certè quod a Iohan. locus iste ad Christum accommodatus fuerit, secundum eam lectionem, qua illas non haberet, cur enim, inquit, alioquin eas planè omisisset?*

Socin. pag. 202.

Resp. Ut supra responsum est ad similem exceptionem adversarij super locum Malachiæ. Quod dicit secundò, *saltem a Iohañe, locum istum accommodatum fuisse, secundum eam lectionem, quæ illas non haberet* (cur enim alioquin eas planè omisisset?) revera nihil est. Nam primò pugnat in

hisce

hiſce verbis ſecum ipſe adverſarius; nam ſi Iohannes vſus lectione, quæ illas nō haberet, vt ad Chriſtum accōmodaret, non eſt cur denuo quærat, cur eas omiſerit, eo enim vult ſignificatum, voculas illas non eſſe probatæ lectionis, aut nihil operantur. Dico ſecundò vnam tantum lectionem revera eſſe probam: eſt ergo illa lectio incorrupta, quæ illas voculas habet, aut illa quæ illas non habet; cum ergo ſine errore dici non poteſt, Johannem Apoſtolum aut malâ fide aut ignorantiâ peccaſſe, in producendo hoc teſtimonio, dicendum eſt eum locum accommodaſſe ſecundum lectionem incorruptam, ſive vt revera apud Prophetam extitit, etſi locum ad verbum non reddidit.

Secundo probat has voculas in textum irrepſiſſe, *quia ſtatim ſubjungitur: & plangent ſuper eum, vt in planctu ſuper vnigenitum: ex quibus inquit verbis apparet, non de eoipſo, qui loquitur, ſed de alio ſupra verba fieri, & ſic redundare illud, ad me, quod ibi legitur.* *Socin. pag. 203.*

Reſp. Fallit adverſarius fallaciâ non cauſæ vt cauſæ; non enim mutatio perſonarum infrequens in ſacris, meminiſſe etiam debebat Socin. ſcriptum a ſe, in reſponſione ad argum. ex Zach. 2. v. 8. pag. 192. haud raro apud Prophetas Iehovam de ſeipſo in tertiâ perſonâ loqui; ibidemque pag. ſequenti ad locum iſtum Hierem. cap. 27. in quâ ſimilis enallage reperitur, qualem Zachariæ 12. eſſe dicimus: verba ſunt verſ. 1. & ſequente: *fuit verbum hoc ad Hierem. a Iehova edicendo, ſic edixit Iehova mihi.* Viden? Propheta, qui in tertiâ perſonâ de ſe locutus,

mox in prima perſona loquitur. Talis enallage perſonarum occurrit Eſa. 1. v. 29. nam pudefient propter lucos quos deſideraſtis *ypſchu* in tertia perſona pudefient, pro *tipſchu* in ſecunda perſona, pudefietis: item Malach. 2. v. 15. vbi ſcriptum reperitur & in vxorem adoleſcentię tuæ ne perfidè agat *ijbegod* pro *tibegod* perfide agas. Talis enallage perſonarum occurrit Eſa. 42. v. 20. Mich. 7. v. 15. 19. Sophon. 2. v. 12. & alibi: ſic Luc. 1. v. 42. dicit Eliſabeta *benedicta tu*, de matre Domini in ſecunda perſona: mox per enallagen in tertia perſona verſ. ſequente, *vnde hoc mihi vt mater Domini veniat ad me.* Talis enallage ibidem denuo occurrit v. 44. & ſequente, ita ad Rom. 7. verſ. 4. dicitur vos eſtis mortificati in ſecunda perſona, mox in prima ἵνα καρποφορήσωμεν τῷ θεῷ. Talis enallage occurrit 1. Cor. 10. v. 6. in prima perſona, ne concupiſcamus res malas, mox verſ. ſequente cum mutatione perſonę, ne igitur idololatræ eſtote & rurſum ne ſcortemur neque tentemus neque murmurate.

Tertia negationis ratio eſt, *locum hunc a Iudæis corruptum eſſe admodum veriſimile eſſe, quia erat prædictio in ſignis de Ieſu Nazareno clavis confixo: ſicut inquit ſimilem locum corruperunt Pſalm 22. v. 17. ita vt quamvis veræ lectionis, etiam in quibuſdam hebraicis codicibus, teſtimonia appareant, tamen vulgò apud eos profoderunt manus meas & pedes meos legatur ſicut Leo manus meas & pedes meos. Cujus lectionis ineptitudo ſimiliter vt hic ejus falſitatem prodit.*

Reſp. Temeraria nimis hæc opinio eſt, obſtat

ſtat codicum conſenſus, qui non eſt ſuper locum Pſalm. 22. propterea exemplum hoc impertinens eſt. Secundò probationes non deſunt, locum illum Pſalmi aliter legendum eſſe, Maſora magna notat ſcribendum *caran*, vitium ergo Maſoræ authoritas hîc indicat. Deinde etiamſi illa lectio probetur *caari*, interpretatio tamen illa Judæorum nullo modo ferenda; *ſicut leo*, obſtat enim maſoræ parvæ authoritas quę notat, duo caari cum kamets eſſe in duplici ſignificatione, ſemel hoc loco iterum Eſa. 38. v. 13. vbi extra controverſiam ſignificat leonem, vnde ſequitur in Pſalmo accipiendam illam vocem in alia ſignificatione, quę aliâ eſſe non poteſt, quam foderunt, vt græci & chaldæus paraphraſtes ſunt interpretati, quocunque ergo modo ſcribatur in fonte, evincitur Maſoræ authoritate de perfoſſione pedum & manuum hęc accipienda. Locum quidem confidenter affirmat adverſarius a Judæis corruptum eſſe, quod ſi verum eſt voluntariâ Judęorum culpâ factum eſſe mirari ſubit tanta religione Maſoram hujus loci ab ipſis traditam & conſervatam, quâ loci integritas reſtitui poſſit & corruptio detegi. Addo poſtremo loco vtramque vocem aut textualem aut marginalem eſſe in Biblijs caru autem textuale eſſe oportere, ratio grammaticæ etiam evincit, quia in hoc loco ſervile non eſt, quia kamets habet ante literam gutturalē cui ſub ſcribitur cateph pathach, cum deberet habere patach, omitto quod ſcriptio illa ſicut leo orationem truncat. Nihil ergo in eo, quod ad hunc Pſalmi locum

attulit Socimus, virium, ad probandum, locum Zachariæ corruptum esse.

Hactenus de prima objectione adversus minorem, sequitur altera, quæ sicut præcedens negavit, hæc de Deo dici, sic hæc negat confixionem illam de Deo accipiendam.

Verba ejus sunt in appendice libri, *Etiamsi hebraica lectio, quam hodie habemus, omnino incorrupta esse statuatur, posse tamen ex hebræo verti ita, vt nulla in eo, quemadmodum nec in loco apud Iohan. cap. 19. Dei Israelis confixi mentio fiat, hoc nimirum pacto: & aspicient ad me cum illo quem confixerunt, quam lectionem probat authoritate Marci Marini Canonici regularis.*

Resp. Primò istam lectionem, affixi ellipsin hic fingere, sine causa. 2. Obstat huic lectioni maximè nativa & communis vocis *Eth* significatio: est enim articulus accusandi casus communiter, personam notans patientem; at lectio hæc voculæ istius lectionem activam facit. 3. Obstat communis omnium authoritas, qui de Messiæ passione hunc locum exposuerunt omnes. 4. Obstat denique authoritas Euangelistæ & Apostoli, omni exceptione major, quem apparet locum illum ita non legisse: nam verba
Ioh.19. v.37. ejus sunt: ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν: quæ ad ver-
Apoc. 1. v.7. bum sonant, aspicient ad quem transfixerunt, non ergo legit Apostolus Johannes, cum eo aspicient. Sic in Apoc. videbit eũ omnis oculus, etiam qui eum transfixerunt: vtroq; loco, Apostolus Ioh. eum, qui transfixus est, objectũ aspectus facit, non aspicientem; quę duo toto cœlo differunt. Est ergo manifesta detorsio.

Secun-

Secunda classis argumentorum sic fuit: pervenimus jam ad tertiam argumentorum classem, quæ ex varijs locis N. Testam. sumuntur.

CAP. I. Tertiæ Classis argum.

De loco Math. 16. vers. 17.

VErba loci sunt Σὺ εἶ ὁ χριστὸς ὁ ὑὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος. Cum nos Jesum Christum, Dei Filium dicimus, intelligimus a Patre genitum per communicationem ejusdem essentię divinę, quam Pater a seipso vel sine origine habet, hanc vnam & solam, causam esse dicimus, cur Dei Filius dicitur, proprius, naturalis, vnigenitus &c. Socinus verò negat præfractè hanc causam, & Iesum Christum Dei Filium dicit, ratione naturæ humanæ, quia miraculosè Sp. S. operâ conceptus & natus est, eatenus esse vnigenitum & naturalem Dei Filium. 2. Ratione unctionis seu similitudinis cum Deo, in sanctitate, sapientiâ, immortalitate & inprimis cœlesti & supremâ potestate, & quia ea ex Dei dono habet, hanc potiorem causam esse putat, cur vnigenitus Dei Filius dicatur. Breviter totã rationẽ filiationis Filij Dei generatim consideratã in duobus ponit. 1. in miraculosa nativitate 2. in officio & donis, sive in eo, quod Christus ille. Huc omnia recidunt aut ad hęc referuntur quodammodo, quæ prolixè & operosè admodum hic disputat, varias rationes, causas, modos progressus, gradus, filiationis excogitando. Ego

verò si ostendero, Filij Dei ope fretus, cujus causam hîc ago, fictitia esse quę adfert, in cerebro humano nata, non ex scripturę fontibus deprompta evicero Dei Filium esse, quia a Patre genitus per essentiæ ejusdem communicationem, hoc autem confido me facturum non humanę rationis præsidijs innixum sed principijs altioribus Scripturæ sacræ, facessere enim debet in rebus fidei humana ratiocinatio, quæ se attollit adversus cognitionem Dei.

Syllogismus sic habet. *Si Christus est genitus ex Patris substantiâ, est ille vnus & idem Deus cum Patre: at Christus sic est genitus, ergo est vnus & idem ille Deus cum Patre.* Ad hunc Syllogismum bifariam respondet adversarius, primò negando assumptionem, deinde etiam negando majoris consequentiam.

Socin. pag. 205.

Minoris negationem in vniversa sua disputatione firmat tripliciter. Primò probando talem generationem esse, ἐκ τῶν ἀδυνάτων, secundò refutando prosyllogismos varios, quibus orthodoxi istam propositionem stabiliunt: tertiò aperiendo veriores modos, vt ille quidem existimat prætumidè, secundum quos Jesus Christus dicatur genitus á Patre. Prima ejus prolatio, quâ suadere conatur negationem factam, est, *impossibile esse, Christum sic esse genitum, quia si sic genitus esset, necesse esset essentiam divinam, aut partibilem, aut multiplicabilem, aut eandem numero pluribus personis communicabilem: at nullum horum est possibile, vt de duobus primis modis fatentur adversarij & postremum implicat.*

Resp. Essentiam nec partibilem in partes,

nec multiplicabilem esse confitemur: interim hoc addo si sibi constet in sua sententia Socinus, mirum non immeritò videri posse, quomodo ille sentiat essentiam non multiplicabilem, per veram & realem productionem, cum proprietates Dei præstantissimæ, per quas vita Dei se actuat, sint multiplicabiles & multiplicatæ, vt habet adversarij sententia de Filio Dei: non enim magis essentia constituit Deitatis conceptum, quàm vita & nobilissimę Dei proprietates, imò illa & hæ excellentius, quam essentia, prout illa distinguuntur nostro concipiendi modo, per formales conceptus. Secundò cum adversarius ait implicare, essentiam vnam numero, in pluribus personis esse, non probat nisi petitione principij; nudam tamen affirmationem suam, fundamentum certissimum ac firmissimum causæ suæ facit; sed bene se habet, quod hoc fundamentum ex scripturis non astruat, sed ex ratione petat, quam non oportet esse Dominum, sed pedissequam scripturę, non ratio fidei norma, sed fides rationis, quam propterea sancti Patres, non malè appellârunt rationem rationis. Profecto satis ex his & alijs Socini & asseclarum locis apparet, tum hoc, tum Trinitatis dogma, & alia fidei mysteria, primitus rejecta ab ipsis, quia ab eorum religioso assensu, naturalis eorum ratio abhorruit; inde scripturas sacras, per novas violentas & detortas interpretationes, ad suam commenta, per pravam rationem concepta, quadrare coegerunt. Sed ad rem. Hoc falso itaque fundamento posito, super angu-

lari

lari lapide rationis ſuæ, aggreditur evertere rationes minoris.

Prima inquit ratio, quam afferunt ad probandum, quod Chriſtus ſit genitus ex ſubſtantia Dei Patris, eſt, *quia eſt Filius Dei vivi; proprium autem viventium eſt, gignere ſibi ſimile in naturâ.*

Socin. pag. 206.

Reſp. Cum Petrus dicit ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ζῶντος, ſeparat illum ab omnibus alijs filijs, & procul dubio cum eum talem confitetur, putet intelligendam confeſſionem iſtam eo ſenſu, quo revera paſſim in ſcripturis docetur eſſe Dei Filius. Quod autem dicit Socinus vocem viventis, nomini Dei, ſive in verbis Petri, ſive alibi addi, ad diſtinguendum Deum verum, & vitam in ſeipſo habentem, ab idolis & falſis Dijs, qui res ſunt mortuæ, vel certe vitam in ſeipſis non habentes, & oſtendere hoc Dei Epitheton, in verbis Petri, cujus & qualis Dei Chriſtus ſit Filius, non autem qualis Filius, hoc non eſt prorſus verum: nam Joh. 6. verſ. 57. Pater non opponitur idolis cum dicit Chriſtus καθὼς ἀπέστειλέ με ὁ ζῶν πατὴρ & ſubdit & ego vivo per Patrem: potuit ergo & hoc loco illud epitheton viventis, in verbis Petri oſtendere, qualis ille Filius eſſet.

Socin. pag. 207.

Secunda ratio eſt, *quia Chriſtus eſt Filius Dei unigenitus*, cum a generatione Filium dici certum ſit, rationem generationis hîc concipiendam propriam ſtatuimus, quâ genitum eſſentiam ſuam & naturam habet a generante, abſtrahendo tamen ab hac incomprehenſibili generatione, proprietates varias naturalis generationis.

Socin. pag. 207.

Filius unigenitus.

rationis. Fundamentum hujus thesios nostræ est quoad prius: nimirum generationem hanc, esse actum, quo generatum essentiam & naturam habet a generante, quia maximè nativa vocum significatio retinenda est, vbi non obstat ratio in contrarium: hîc nulla talis. Quod ad secundum attinet, varias nempe proprietates physicæ generationis abstrahendas esse, ab hoc altissimo mysterio, cui nihil in naturâ simile, eo probatur; quia scriptura hoc docet & suadet fieri: exempli gratiâ, in naturali generatione duo concurrunt principia, mas & fęmina, in hac divina generatione Patrem tantum principium statuimus, quia solus Pater a Filio agnoscitur, & in scripturis prædicatur: in naturali generatione gignens & genitum specie non essentiâ individuâ unum sunt, in hac hyperphysica generatione res secus se habet, nam scriptura vnam tantùm Deitatem prædicat, quam tamen de Patre & Filio prędicat. In natura generans tempore antecedit genitum; hic gignens & genitum annis pares, nam egressus ejus a diebus seculi Mich. 5. v. 2. & scriptura cum aliorum generationes narrat, exordium temporis satis indicat: at hunc nobis inducit vnigenitum, nullum nobis tempus signans, quo generatio illa contigit. Physica generatio fit propter conservationem speciei vt natura in individuis caduca, per continuatam individuorum successionem, perpetuitatem quandam consequeretur: vt non obscurè ętiam indicatum est a Christo Domino, Luc 20. v. 36. Hæc divina, nō quæ procedit ex naturali necessitate,

ſitate, ac propterea blaſphemè ineptit Oſtorod. cum cap. 7. inſtitut. Ierm. ex hac generatione, quam nos in divinis eſſe dicimus, infert ſequi Deum mortalem eſſe: quamvis autem tam putida argumentatio vix reſponſione digna videatur & manifeſtâ conſequentiæ falſitate laboret, libet tamen hîc hominem ex proprijs ipſorum hypotheſibus retundere. Dicit ex generatione Filij Dei ex ſubſtantia Patris concludi poſſe Dei mortalitatem: regero, ergo Sociniani ſtatuant Filium a Patre genitum Deum, per communicationem gratioſam Deitatis, quia Pater (abſit dicto blaſphemia) mortalis eſt: iterum ſtatuant Jeſum a Deo Patre ex Maria virgine natum, quia ſibi a morte metuebat: adoptio eſt actus legitimus naturam imitans ad liberorum ſolatium inductus Romanis non tantum ſed & Græcis & veteribus Judæis ſolenne fuit alienos adoptione adſciſcere: dicant ergo Deum non habere filios adoptivos, quia æternus & immutabilis eſt. Sed ad rem redeo, dicimus itaque Dei Filium eſſe, quia ex Dei ſubſtantia genitus eſt, & ratione hujus vnigenitum dici, quod apparet ex eo, quod iſti vnigeniturae modi, quos novos excogitavit Socinus, cum veritate non conſiſtunt.

Objicit Socinus primò *Dei Filium dici vnigenitum, quia pluribus modis, alijs Dei Filijs omnibus antecellit, licet non ipſe ſolus ſit ex eo genitus, ſiquidem & alij inquit ex Deo geniti ſunt; addit alibi etiam in ſacris literis vnigenitum Filium, ſive vnicum dici illum, qui non ſolus ex Patre ſuo eſt genitus, probat exemplum Iſaaci qui vnigenitus*

Socin. pag. 208.

Abra-

Abrahami Filius appellatur Gen. 22. v. 2. & 12. Heb. 11. v. 17. certum ſi quidem eſt eo ipſo tempore, pro quo ita appellatur, non ſolum ipſum Iſaacum extitiſſe, ex Abrahamo genitum, ſed etiam Iſmaelem: hæc ille.

Vult ergo hîc Chriſtum vnigenitum dici, non quia ſolus genitus generatione, toto genere & ratione, differente, a generatione aliorum filiorum Dei, hoc eſt, non hoc dici, quia ex ſubſtantia Dei Patris eſt genitus, ſed generatione gradu excellentiæ, a generatione reliquorum filiorum Dei differente, vt Iſaac qui generatus generatione Iſmaeli communi, dicitur tamen vnigenitus, quia Iſmaeli antecellebat.

Reſp. Primo conſequentiam negari poſſe, dato Iſaacum vnigenitum dici ratione præcellentię in vna & eadem ratione generationis, Filium Dei ſic quoque vnigenitum dici: do rationem negationis hanc, apertiſſimum eſt Iſaacum non tantum ex Abrahamo genitum, ſed & Iſmaelem & alios, at alios etiam genitos ea generatione ex Deo, qua Filius Dei, hoc eſt illud quod nos negamus. Accedit, quod ipſi adverſarij negant, Filium Dei vnigenitum eſſe, eo modo, quo Iſaac vnigenitus eſt, cum dicunt ipſum etiam vnigenitum dici, quia virtute Dei ex virgine natus eſt, nam propter hanc cauſam nominat Socinus Dei Filium naturalem Dei Filium ac propterea vnigenitum, ſic Iſaac non fuit vnigenitus Patris, nam non ſolus ex Patre Abrahamo genitus. Deinde reſpondeo negando Iſaacum vnigenitum Abrahami appellari Filium nam in fonte non eſt vox vnigenitus *Socin. pag. 217. 236.*

ſed

sed *jachid*, quod Hebræis est vnicus geniturâ, successione, solitudine, *jechidecha* sonat ad verbum vnicum tuum: habet quidem Apostolus ad Hebr. vocem μονογενῆ, sed cum respexerit ille, ad loca illa Genes. vbi habetur vox, vnicum, dicimus non strictè & propriè redditam istam vocem, per vocem μονογενῆ: potest enim esse vnicus, qui non sit vnigenitus, mortuis reliquis.
Gen. 21. v. 10. Gal. 4. v. 30. Dices, Ismael non erat mortuus, ergo adhuc obstat difficultas, quam sic diluo: Ismael pro filio non reputabatur, solus Isaac admissus ad hæreditatem, & vnicus ille, in quo promissiones Abrahamo factæ erant complendæ, quò manifestè respexit Apostolus ad Hebr. cum istâ descriptione additâ (qui promissiones acceperat) tantopere nobis exaggerari voluit admirabilem illam Abrahami obedientiam; vnicum ergo non simpliciter appellavit, sed vnicum, cui promissiones factæ, & in quo illi semen vocaretur. Postremò respondeo dici posse vnigenitum Abrahami Filium (quamquam vt jam ostensum est, hoc revera scriptum non reperiatur) quia illi ex Sarâ erat vnigenitus. Non probavit ergo Socinus, quod probare intenderat, Isaacum vnigenitum dici: & sic nondum patet, Filium vnigenitum dici ratione excellentiæ alicujus in generatione cum alijs communi, sive vnigenitum dici, quia alijs cum ipso genitis antecellit.

Socin. pag. 208. 209. Secunda evasio Socini est, *vnigenitum dici, quia Patri carissimus fuit, quod probat ex Salom. Proverb. 4. vers. 3. qui dicit se vnigenitum fuisse coram matre suâ, quamvis non esset solus, ex eadem matre, Davidi natus, vt expreßè habetur 1. Paral. 3*

v. 5. Græcam translationem, propterea, tam in duobus locis Gen. quam Proverb. habere ἀγάπητον, seu ἀγαπώμενον.

Resp. Primò negari posse consequentiam, vt de exemplo superiori dixi. 2. Nego Salomonem vnigenitum dici, (nam quod Lyra & Vatablus hîc adferunt, illos fuisse non Davidis, sed Uriæ filios, non videtur textui satis convenire) vnicus dicitur, non vnigenitus, illa autem multùm differre jam ostensum est. Neque vnicus simpliciter dicitur, sed secundum quid, quia vnicè dilectus, vt verba textus indicant: ita Latini dicunt, amat me vnicè: & sic Isaacus Abrahamo erat vnicè dilectus: quo respexerunt Græci, cum transtulerunt vocem Hebraicam *Iachid ἀγάπητον*: Christus absolutè semper dicitur vnigenitus, nec unquam dicitur hujus vel illius rei respectu vnigenitus, sed semper in sensu absoluto.

Subdit Socinus, *vnici vocem cum ad Filium refertur, idem valere quod vox vnigenitus, & præter manifestam rationem id docere locum ad Hebr. 11. v. 17. vbi in Latinâ versione vox vnigenitus est, in Græcâ μονογενὴς.* Resp. Quantum hæc valeant, judicet lector ex dictis. Pergit Socinus, vt fidem nobis faciat, vnigenitum idem esse quod dilectum, dicens *vnici vocem vsurpatam quandoque pro dilectione vnicâ, vt Psalm. 22. v. 20. Psal. 35. v. 13.* At respondeo. 1. Hoc οὐδὲν πρὸς ἔπος esse, nostra controversia non est de vnico, sed vnigenito. 2. Dico expositionem istam non esse ejus loci, sed significare vult David animam suam solitariam & derelictam esse, ac propterea

Socin. pag. 209.

divinæ opis indigam. Sic Pſalm. 25. v. 16. reſpice ad me, gratiam mihi fac, quia ſolitarius & pauper ſum.

Inſtat amplius *a Deo Patre declaratam videri vocem vnigeniti per vocem dilecti, cum tam in baptiſmo, quàm in transſiguratione, vbi illum, quàm maximè commendare voluit, Filium illum ſuum dilectum, eum appellavit, in quo ſibi complacuiſſet: nec quicquam amplius illi tribuit, ex quo concludi poteſt vnigeniti appellationem, vtpote ad eum commendandum omnium appoſitiſſimam, appellatione iſta illius dilecti Filij fuiſſe expreſſam.*

Reſp. Uterque titulus ſummopere nobis commendat Filium, ſed quia vterque de Filio vſurpatus, nullo modo ſequitur eandem vtriuſque ſignificationem eſſe, & quid ſi Pater vocem vnigeniti addidiſſet, nihil apud præfractos adverſarios proficeretur, quibus hoc impoſſibile Deum habere Filium per generationem propriam; qui enim perſuaſiſſimum habet rem impoſſibilem eſſe, ille non credet eam factam, quacunque tandem ratione illa enuntietur in ſcripturis, ſemper enim alium ſenſum verbis affinget, vt præconceptum ſuum de impoſſibilitate thema mordicus retineat. 2. Dico, a Socino res diverſiſſimas confundi, amari & generari, amantur non tantum geniti, ſed & non geniti a nobis: rurſum non tantum vnigeniti diliguntur a parentibus, ſed & pluresgeniti (detur venia vocabulo) quomodo ergo amatum eſſe, diceret vnigenitum eſſe. Nemo mortalium me intellexerit ſic loquentem, ſi per hic dilectus meus, intelligam, vnigenitus meus: non eſt dubium

bium quin Filius Dei Patri dilectus, sed propterea hæc non sunt confundenda. 3. Si vox vnigeniti notat dilectum, tum non habemus in scripturis, claris & proprijs terminis expositum, Filium originem habere a Patre, quâ Filius est; quatenus enim quis generatur, Filius est, & quâ Filius est genitus est ab alio, aut ergo Filij origo a Patre non est exposita nobis, aut istis vocibus nobis exposita est. 4. Hac interpretatione vnigeniti propria vineta cadit adversarius, si enim notat hæc vox vnicè dilectum Deo, non autem qui solus ex Deo genitus est, jam non est dicendus vnigenitus, quia solus a Deo ex virgine natus, jam nec Salomon sic vnigenitus, nec Isaac quoque secundum adversarium. 5. Si vnigenitum esse, valeret dilectum esse, jam dilectionis divinæ non objectum diceretur, sed terminus, sic enim de nobis loquitur scriptura, qui per dilectionem sumus Dei Filij 1. Ioh. 1. v. 3. at Filius non per dilectionem Dei Patris Filius, sed paternæ dilectionis objectum. 6. Sequeretur inde electos Dei tam, imò magis esse vnigenitos, quàm Dei Filium: nam summa Dei charitas, non illa quâ Filium dilexit, sed quâ nos dilexit: commendat suam erga nos charitatem Deus eo, quod cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus sit. Rom. 5. v. 8. Profectò si Deo vnicè dilectum esse, est vnigenitum esse, non Dei Filius, sed nos Dei vnigeniti, & cum Deus sic dilexerit mundum vt Filium suum vnigenitum dederit, jam maximè mundus erit vnigenitus Dei Filius. Ioh. 3. v. 7. Cum juxta hanc explica-

tionem plurimi ſint Filij vnigeniti, non ita illimitatè, abſolutè & generaliter loqui debuiſſet Scriptura, vnum aliquem certum & definitum intelligens, hoc tamen facit Scriptura, vnum aliquem certum & definitum intelligens, effert tamen ſimpliciter & abſolutè, ſic Deus dilexit mundum vt Filium ſuum vnigenitum dederit, qu d ſane non faceret ſi plures eſſent.

Socin. pag. 210. Tertia evaſio eſt, *Chriſtum vnigenitum dici, quia ſolus hæres conſtitutus, & in illo ſolo ſemen filiorum Dei vocandum fuit, Gal. 3. v. 17. vt Iſaac propterea vnigenitus Abrahami Filius vocatus.*

Reſp. 1. Cum tantùm legatur, quod ille vnicus ſucceſſor futurus, vt patet ex hiſtoriâ Geneſ. & vnicus cui promiſſiones factę, vt explicat ſcriptor ad Hebr. nihil hoc contra nos, nam de Chriſto non tantùm hæc dicuntur, ſed & quod vnigenitus Dei Filius. 2. Et ſi hæc connexa ſunt in Filio Dei, ſunt tamen res diſtinctæ, ſic cum Apoſtolus Iſaac τόν μονογενῆ appellavit, aliud quid intellexit, quàm cum dixit promiſſiones illi fuiſſe factas, non a promiſſionibus dicitur genitus, ſed a generatione, nam promiſſio Dei fuit, generatio parentum: ſic etſi in Dei Filio conjuncta ſint, vnigenitum eſſe, & hæredem omnium eſſe, non ſunt tamen vnum & idem: filiatio hæreditatis fundamentum eſt non idem cum illâ: filiatio antecedit, hæreditas ſequitur: tota hominum vniverſitas, jura & natura hæc diſtinguunt: ſcriptum eſt, *quod ſi Filij etiam hæredes*, Roman. 8. verſ. 17. 3. Eadem ratione vnigenitum eſſe, & poſſe alijs conferre jus filiorum Dei, etſi ejuſdem

ſint

ſint ſubjecti, differunt tamen inter ſe, & ſuos diſtinctos conceptus habent.

Quarta evaſio Socini eſt, *appellationem vnigeniti Chriſto conveniſſe, quia eo tempore, quo in terris mortalis egit, nullus alius homo, adhuc talis Dei Filius erat, qualem eſſe oportet eum, qui ſub N. Teſtam. iſtâ appellatione ſit dignus.* Reſp. Juxta hoc commentum, deſijt Chriſtus vnigenitus Dei Filius eſſe, poſt reſurrectionem & glorificationem. Stoica paradoxa hoc ſuperat, & reclamat Scriptura, quæ de illâ vnigeniturâ, vt re præteritâ non loquitur, ſed vt de re ad huc durante & præſentiſſimâ, non enim dicitur fuiſſe, ſed eſſe Filius Dei vnigenitus. 2. Si a cœleſti prorſus & divinâ vivendi ratione Chriſtus diceretur Filius Dei vnigenitus, jam non fuiſſet Filius vnigenitus cum mitteretur, ſed poſteaquam miſſus eſt, per divinam & ſanctiſſimam vivendi rationem, iſtum titulum ſibi paulatim comparâſſet: ſed hæc alieniſſima a Scripturis ſunt, ergo & illud quod comminiſcitur Socinus. 3. Quâ fronte negat Socinus ante reſurrectionem Chriſti fuiſſe filios, qui iſtâ appellatione ſub N. Teſtam, digni, cum omnes credentes, perpetuâ N. Teſtam. & ipſius Filij Dei ſententiâ, iſta appellatione digni ſint: aut ergo nulli fideles fuerunt ante reſurrectionem Chriſti, aut falſa Socini aſſertio, fideles fuiſſe apparet ex cap. Ioh. 17. vt alia omittam.

Hiſce miſſis, venit ad titulum proprij, fide prius datâ, antequam hanc reſponſionem concludat, ſe alias cauſas allaturum, cur Chriſtus, vnigenitus Dei Filius dicatur: nos verò

quia illa huc ſpectant, etiam hoc loco examinabimus.

Socin. pag. 236. 218. Quinta ergo evaſio eſt, Chriſtum ideo eſſe & dici Filium Dei vnigenitum, *quia a Deo genitus eſt ex Mariâ virgine, per talem actionem, quæ aliquatenus reſpondeat, ſubſtantiali generationi, ſive actioni illius, ex cujus ſubſtantiâ quis generatus: vult ergo vnigenitum dici, quia ſolus miraculosè a Sp.S. conceptus.*

Reſp. 1. Si hæc eſſet cauſa effectiva filiationis Chriſti, ſicut generatio naturalis, cauſa eſt effectiva filiationis noſtræ, tum Chriſtus eſſet Filius Dei ſecundum carnem, factus non tantum ex ſemine Davidis, Rom. 1. v. 3. ſed & Dei, non tantum ex Patribus quod ad carnem attinet, Rom. 9. v. 5. ſed & ex Deo. Sic non tantum ſuſcitatus eſſet, ex fructu lumbi Davidis, ſed & Dei, ſuo modo. Nec genealogia ejus, ſatis bene ab Euangeliſtis contexta, qui atavos, abavos, proavos, ejus narrantes, parentis proximi & præcipui non meminerunt. Memento inquit Apoſtolus, 2. Tim. 2. v. 6. Jeſum Chriſtum ſuſcitatum fuiſſe ex mortuis, ex ſemine Davidis, ſecundum Euangelium meum, mirum Apoſtolum non meminiſſe ſubſtantiæ a Deo immiſſæ, ſi hujus novi dogmatiſtæ Euangelium, cum Paulino conſentit. 2. Ineptum eſt ſentire Chriſtum Dei Filium vnigenitum eſſe eo ſenſu quo nunquam appellatus fuit Filius, cum toties tamen Filius Dei appellatus ſit. 3. Cum generatio carnalis, opponatur generationi ex Deo, generatio carnalis non eſt dicenda generatio ex Deo. Et cum Filij Dei ex Deo nati, opponantur

ponantur ex carne natis, ſane non ſunt audiendi illi, qui vnigenitum Filium Dei, ex Deo natum fingunt carnaliter. 4. Si Chriſtus ratione carnalis generationis, Filius Dei vnigenitus, non fuit quâ talis hæ res æternæ vitæ, nam carnali generatione, ad vitam æternam non proficitur. Rom. 9. v. 6. 7. 8. 5. Si Chriſtus ratione iſtius generationis ſecundum carnem, Dei Filius vnigenitus, tum fideles excellentiori ratione filij Dei, quàm vnigenitus Dei Filius: confirmatur, nam excellentius eſt regeneratum eſſe ſecundum gratiam, quam ita generatum eſſe ſecundum naturam, nam ſic pronunciavit hac de re Salvator ipſe, Luc. 11. v. 27. 28. ſi enim magis beat renatum eſſe (hoc enim eorum eſt, qui audiunt & obſervant ſermonem Domini) quàm ſic matrem eſſe Domini; beat etiam magis renatum eſſe, quàm ſic natum eſſe. 6. Si propter miraculoſam conceptionem vnigenitus Dei Filius, tum Iſaac & Johannes Baptiſta etiam vnigeniti Dei Filij, & ſi modo quodam imperfectiore, nam natus vterque ex parentibus, ſecundum naturam e mortuis, vnde & hîc Dei virtus defectum naturæ ſupplere debuit in vtroque; cum tantum in generatione Filij, ſupplendæ fuerint viri partes, nam Dei Filius ex virgine natus. 7. Nec malè etiam probatur Chriſtum non eſſe Dei Filium carnaliter, ex loco ad Heb. 7. v. 3. vbi Melchiſedec inducitur, ſine Patre, ſine Matre, ſine genere: nec initium dierum neque finem habens; ſed aſſimilatus Filio Dei manere ſacerdos in æternum.

Chryſoſtymus, Theophylactus, Ambroſius,

 in li-

in libro de ijs qui mysterijs initiantur, Gregorius Naziazenus in calce orationis quartæ de Theologiâ, & reliqui, tam Græci quàm Latini expositores, communiter hoc interpretantur, ratione divinitatis ejus æternæ & humanitatis: ἀγενεαλόγητος est, quia ratione æternę ex Patre generationis, seriem generis non habet. Hanc Patrum expositionem, tanquam puerilem ridet Socinus cum suo Smalcio, quæ tamen expositio probatur hisce rationibus. Primò quia verba simpliciter sonant de æternitate Melchisedechi & quod originis expers; & cùm revera hoc non fuerit, nihil aliud ista volunt, quàm majores ejus, ortum, obitumque ejus non narrari: sacerdotij promissionem generi Melchisedechi non fuisse factam, aut extraordinariam ejus institutionem istis verbis fuisse significatam, asserere, minis profecto longè petitum est: si enim hoc voluisset Apostolus, non dixisset nec parentes, nec genus ejus narrari, sed dixisset potius, nihil de sacerdotio familiæ ejus locutum fuisse Sp.S. Quàm dura & inconcinna hæc interpretatio, sine Patre sine Matre, exponere, majores quidem habuit, sed sacerdotij dignitas ad eos non spectavit; & si hoc Scriptura Mosaica intendisset, non reliquisset eum agenealogeton; sed de genere & familiâ ejus loquens, nihil de sacerdotio ejus locuta fuisset: sic Scriptura non tacuit de tribu Iuda, quamvis sacerdotium Filij, qui ad similitudinem Melchisedechi exoritur, non pertinuit ad tribum Iuda, nam dicit Apostolus vers. 14. *palam est enim, e tribu Iuda exortum esse Dominum nostrum, cui tribui nihil de*

Socin. pag. 222. 223.

sacer-

ſacerdotio locutus eſt Moſes. Secundò, hæc prima verba, ſine fundamento, ad ſacerdotium referri patet, quia Apoſtolus eò non retulit, ſed tantùm verba poſtrema: nam in vitæ perpetuitate a parte poſt, tantùm dicit Melchiſedechum aſſimilatū Filio Dei, ad perpetuitatem ſacerdotij ſignificandam: ideoque neque illa etiam verba, nec initium dierum habens, ſunt reſtringenda, ad initium in functione ſacerdotali: non enim in ſcripturis reticetur tantum tempus, quo incepit ſacerdotium, ſed & quo vita incepit: Accedit, quod in iſtâ imaginariâ ſacerdotij perpetuitate a parte ante, nulla eſt aſſimilatio Melchiſedeci ad Chriſtum, quæ hîc ex mente Socini eſſe debet, qui iſtis verbis adumbratam vult perpetuitatem ſacerdotij, quam Chriſtus revera habet, Chriſtus enim Sacerdos eſt in æternum, non ab æterno: at in perpetuitate imaginariâ, ſecundum eſſentiam & vitam a parte ante, optima eſt aſſimilatio Melchiſedeci ad Chriſtum, qui a parte ante, eſſentiâ & vitâ æternus eſt, ſecundum divinitatem, non ſecundum ſacerdotium. Itaque aſſimilatio in ſacerdotio non eſt alia, quàm ratione æternitatis a parte poſt, ſicut expreſsè author ad Hebr. aliquoties hanc rem, hoc Capit. nobis explicavit, nam hoc verſu 3. dicit aſſimilatum Filio Dei manere ſacerdotem in perpetuum, ita & verba Pſalm. 110. ſonant: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec.* Et ſic in ſacerdotio ſucceſſorem non habere, eſt Apoſtolo ad ſimilitudinem Melchiſedeci exoriri, vt patet ex verſ. 15. ſic verſ. 24. iſte, propterea, quod in ęternum ma-

net, ἀπαράβατον habet ſacerdotium; non agit de anteceſſore, ſed ſucceſſore, non de exiſtentiâ ab æterno, ſed de exiſtentiâ in æternum, tractans hoc grave argumentum, de ſacerdotio Chriſti, ejuſdemque cum Melchiſedeci ſacerdotio convenientiam.

Tertiò verba iſta ſine Patre ſine Matre, de ſacerdotio non accipienda patet, quia ſic contra naturam typi & umbræ tota rei veritas, tam eſſet in typo & umbrâ, quàm in re, typo ſignificatâ: at ſi hæc referantur ad originem, tum quod de typo ſecundum quandam ſimilitudinem verum, ſecundum ſubſtantiam & veritatem, verum erit de re typo ſignificatâ.

Obijcit Socinus, *quod ſi de initio vitæ, auctor loqueretur, vox dierum fuiſſet omiſſa, & dictum, nec initium, nec vitæ finem habens.* Reſp. Frivola ſubtilitas eſt: ſynonima ſunt initium dierum & initium vitæ, vſitatâ ſcripturæ phraſi, dies hominis ſunt vniverſum vitæ ejus tempus, Pſalm. 39. v. 5. *fac vt experiar Iehova, finem meum, menſura dierum meorum quid ſit, experiar quàm durabilis ſim.* Pſalm 90. v. 12. *Doce nos numerare dies noſtros*, ſic etiam cœlorum duratio nomine dierum exprimitur.

Obijcit ſecundò, *impertinentia hæc eſſe, niſi de ſacerdotio intelligantur*: nego, faciunt ad illuſtrandam dignitatem ſacerdotis Chriſti, ergo faciunt ad rem, de quâ ibi agitur; nam dignitas ſacerdotij, pendet ex dignitate ſacerdotis, quam vt ob oculos, nobis ponat Apoſtolus, tam multa de Melchiſedeco narrat, vt, quod rex Salem, rex juſtitiæ, decimas ab Abrahamo acceperit;

perit; hinc Apoſtolus, ſpectate verò quantus hic fuerit; ſic hoc ad Melchiſedeci dignitatem facit, quod æternus inducatur.

Loci hujus tractationem concludens Socinus, ait, *animadvertendum eſſe, non dixiſſe divinum iſtum ſcriptorem Chriſtum ſeu Filium Dei, fuiſſe aſſimilatum Melchiſedeco, ſed contra Melchiſedecum Filio Dei: vt ſc. intelligamus, non omnia quæ de Melchiſedeco dicit, eadem in Chriſto eſſe: ſed illis ea omnia contineri, quæ de Chriſto in Melchiſedeco vult fuiſſe adumbrata.* Reſp. Cum ſimilitudo nihil aliud ſit, quàm convenientia quæ eſt inter duo, idem eſt, ſive dicam, Filium Dei aſſimilatum Melchiſedeco, ſive contra Melchiſedecum Filio: exempli gratiâ, ſi hic paries albedine illi aſſimilatur, eo ipſo ille paries, etiam aſſimilatur huic, ac propterea quod ex vnâ loquendi formulâ intelligitur, intelligitur etiam ex alterâ; & ſi ex eâ qua vſus Apoſtolus, intelligendum, non omnia, quæ de Melchiſedeco dicit, eadem in Chriſto eſſe, idem intelligendum foret de locutione alterâ. At verò hoc Apoſtolum intendiſſe, illo loquendi modo, nullo mdo apparet, ſcilicet vt intelligeremus, aſſimilationem non eſſe in omnibus, nam ipſe adverſarius putat, jam ſe oſtendiſſe, quomodo ijs omnibus, quæ de Melchiſedeco dicuntur in Chriſto aliquid adumbratum ſit.

Et hactenus oſtendi contra quintam evaſionem Socini, Chriſtum non eſſe Filium Dei vnigenitum, per generationem ex Mariâ virgine, quia verò adverſarij pro ſententiâ ſuâ vnum proferunt locum, de eo videre operæ pretium erit.

erit. Locus est apud Lucam cap. primo v. 35. *Sp.S. superveniet in te & virtus altissimi inumbrabit te, propterea etiam, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Socin. pag. 223. 228.

Resp. 1. Operationem istam Sp. S. causam esse, quæ dedit Christo homini, Filium esse Dei: quia per istam operationem, facta est hypostatica vnio duarum naturarum. 2. Dico consequenter istam Sp.S. operationem, non esse causam, per quam Dei Filius est Dei Filius, sed esse causam illationis, ex quâ hoc infertur, vel non esse causam consequentis sed consequentiæ. 3. Dico hanc expositionem probandam propter rationes expositas pag. 61. 4. Dico Socini expositionem adulterinam esse, quia nullum locum profert nec proferre potest, vbi Christus dicatur vnigenitus Dei Filius, propter humanam naturam, vt sic, vel ob eam nudè & præcisè cośideratam.

At contra insurgit Socinus, *dicens, interpretationem istam coactissimam esse, & ratiocinationem continere pessimè conclusam.* Dixerat Bellarm. libro primo de Christo cap. 6. conceptionem de Sp.S. signum, non causam esse, cur Christus dicatur Dei Filius, confirmatâ responsione suâ ex Bernardo. Cujus verba sunt, *decuit enim, vt si Dei Filius, hominis filius fieri vellet, non nisi ex virgine nasceretur, & si virgo paritura esset, non nisi Deum pareret.*

Hæc arrodit Socinus, tria opponens. 1. *Concesso decuisse Filium Dei ex virgine nasci, hoc tamen non converti, alium quempiam, ex Dei voluntate, etiam ex virgine nasci potuisse.* 2. *Quod ex*

priori

priori dependet, potuisse virginem decentissimè, ex Dei voluntate, eum parere, qui non sit Deus. 3. Si parere debuit Deum, non sequitur Filium esse debuisse.

Resp. Primò, hoc non tam de absolutâ potentiâ Dei dici, cujus viæ imperuestigabiles, quàm, de congruitate, quam mens humana, hîc excogitare potest. Ad tertium *si parere debuit Deum, non sequi Filium esse debuisse*, pro solutione dico, illationem istam bonam esse, positâ revelatione, quod nemo alius, quam Dei Filius ex virgine nasceretur: propterea etiam angelus ex operatione Sp. S. virgini superventum efficaciter inferre potuit, quod ille, qui ex virgine nasceretur, Filius Dei esset: potuit inquam angelus sic inferre, quia revelatum illi erat, quod Dei Filius ex virgine nasceretur, per virtutem Dei, cum itaque sic nasci, proprium quarto modo Filij, rectè inde infertur. Dico amplius, cum non sit revelatus, nec promissus vllus alius partus virginis, quàm ille vnus, quo Filius, vt Iesus noster esset, pareretur, colligitur profectò ex partu virginis non alium, quàm Filium parituram, ac propterea angelus rectè ex operatione Sp. S. conclusit, quod ille qui ab illâ nasceretur, Filius Dei vocandus esset. Dices, prædictum quidem erat ab Esa. virginem parituram, sed non erat prædictum per operationem Sp. S. parituram, ac propterea, posito, quod ex loco Esa. inferatur, virginem non nisi Filijparam fore, idem inferri non posse ex hac operatione Sp. S. Verùm respondeo æquipollere hæc, & alterum in altero implicitè contineri, virginem enim conci-

concipere aliter, quam per virtutem Dei impossibile est. Quod ad Patrum expositionem attinet, qui hanc virtutem altissimi, ipsum verbum sunt interpretati, quam prolixè insectatur Socinus pag. 224. 225. dico quamvis simplicissimum sit per virtutem altissimi non verbum sed Sp. S. intelligere, ea tamen quæ Socinus adfert ad istam sententiam refutandam, arguens, propter sententiam vnius, non necessariam præsentiam alterius, ex obumbratione, verbum in virginem descendisse, non concludi, aut sequi hinc angelum ineptivisse vel Nestorianismum hinc induci &c. Ea omnia tam facile reijciuntur quam afferuntur; ideoque non videntur omnia & singula pressiori responsione, digna. Hæc ergo de quintâ Socini evasione dicta, sunto.

Socin. pag. 238. 239. 240. 241. 242. 243.

Sextò contendit, *Christum vnigenitum dici, propter similitudinem cum Deo, in sanctitate, sapientiâ, immortalitate, & cœlesti dominatione, ei a Deo illo vno per gratiam collatâ: hanc filiationem ait, suos habuisse gradus & progressus, secundum quos non semel neque vnâ ratione a Deo genitus sit, & filiationem istam sentit consummatam, per sessionem ad Dei dextram.* Quia verò in hac sextâ evasione, potissimum expositum habemus, omne id, propter quod Jesum Christum Dominum nostrum, Deum, Dei Filium, Dei vnigenitum Filium Christomachi Sociniani confitentur, imò in totum comprehensum, omne id, quod illi divini tribuunt, sequestratâ solius naturæ humanæ, admirabili origine, pravam illam fidem in Deum & Filium ejus contumeliosam,

& profunditates illas non Dei, ſed Satanæ, ſubdolo artificio, humani ingenij fucatas, ſpero me fretum auxilio ejus (cujus cauſam hic propugno) conſcius tenuitatis meæ, per ſcripturas ſacras & detecturũ & everſurum. Ut autem hoc tantò melius procedat, confirmabimus primo ſententiam orthodoxam. 2. Adverſariorum evertam. 3. Refutabo Deo volente, quæ adfert antagoniſta.

Confirmatur itaque primò veritas ſententiæ orthodoxæ, ex ijs omnibus, quæ in primâ & ſecundâ argumentorum claſſe hactenus attulimus. 2. Probatur ex ijs ſcripturæ locis, quæ Chriſto divinitatem & filiationem tribuunt; non ſolum ante hanc deificationem & filiationem, cujus exordium non altius, quam tempus baptiſmi aut tentationis in deſerto; verum etiam ante incarnationem, ante Abrahamum, ante mundum & rerum creatarum primordia, Spiritus Prophetarum πνεῦμα χριστοῦ fuit 1. Pet. 1. v. 11. hoc eſt Spiritus qui Chriſti, non Spiritus Chriſti, quia de eo prophetavit; nam hoc ſequentibus verbis dicitur ab Apoſtolo προμαρτυρόμενον τὰ εἰς χριστὸν; & cum Spiritus Chriſti dicitur vox Chriſti, nunquam eſt objectum Rom. 8. v. 9. Gal. 4. v. 6. Chriſtus ante diluvium fuit Dei Filius, nam in diebus Noe per Spiritum ſuum prædicavit 1. Pet. 3. v. 19. priuſquam Abraham exiſteret ego ſum: Chriſtum verò eſſe, & Dei Filium vnigenitum eſſe, tempore non diſtinguunt Sociniani, cum idem & exiſtentia & filiationis exordium ponant, generationem ex virgine: at *erat Deus & apud Deum in prin-*

in principio, Ioh. 1. v. 1. &c. *Hodie genui te*. Psal. 2. v. 7. *Egressus ejus inde a principio, a diebus seculi* Mich. 5. v. 2. Hunc locum postremum animus est hic vindicare a Socinianorum elusionibus.

Primò excipit Ostorod. cap. 7. Institut. Germ. *Etiamsi versio Germanica Lutheri probaretur, quæ sonat, welchs außgang von anfang vnd von ewichkeit her gewest ist, hunc locum tamen, pro æternâ Filij Dei generatione non concludere, quia generationis mentio non fit, sed tantùm existentiam ejus ab æterno probare: ad eundem fere modum excipit Catechism. Racov. vbi de cognitione Christi: id inquit testimonium, de generatione ex essentiâ nihil prorsus habet: generationem verò præternam nullâ probat ratione.*

Resp. 1. Negando, hinc non tam inferri æternam Filij generationem, quàm hinc infertur æterna ejus existentia; imò tantum ab est vt æterna generatio hinc non inferatur, vt æternitas existentiæ non inferatur, nisi ob æternam generationem: non enim ex hoc loco concluditur ab æterno esse, nisi quia egressus ejus ab æterno. 2. Dico disertè indicatam esse generationem, voce egressus, aliud enim quid per istum egressum concipi non potest, qui factus est antequam hic mundus esset. 3. Egressum illum de nativitate exponendum, dubium esse non potest, nam sacerdotes & scribæ ab Herode requisiti, vbi nasciturus esset Christus, illum egressum Messiæ, nativitatem ejus sunt interpretati, ergo, egressus ille alter, etiam de generatione exponendus. 4. Dico ex hypothesibus adversariorum, contra quos agitur, qui gregales Serveti & similium

audire

audire nolunt, ſequi, ſi exſtitit ab æterno, genitum eſſe ab æterno, quia illi non dividunt in Chriſto eſſe, & Filium eſſe; præterea ſequi dico, ſi genitus eſt ab æterno, ex eſſentiâ eſſe genitum; nam confitentur ipſi, nihil ante mundum, præter Deum fuiſſe.

Secunda exceptio eſt, in Hebræo eſſe, *a diebus ſeculi, dies verò ſeculi, idem eſſe quod dies antiquos, vt Eſa. 63. v. 9. 11. Malach. 3. v. 4. mentionem hîc fieri initij & dierum quæ in æternitate locum non habent: conſequenter Oſtorodio hoc eſt ex proſapiâ Iudæ, & domo Davidis exortum eſſe: ita etiam Catechiſmus Racov. hunc locum eludit, ſcribens ſententiam hujus loci eſſe, Chriſtum originem nativitatis ſuæ, ab ipſo principio, & antiquis annis ducturum, ab eo tempore quo Deus in populo ſuo, regem ſtabilivit, quod reipſâ in Davide factum eſt, qui, & Bethlemita fuit, & author ſtirpis & familiæ Chriſti.*

Reſp. Verum quidem eſſe *Gnolam* notare, non tantùm æternitatem ſed & longi temporis durationem, ſed interea ex naturâ rei, de quâ agitur, deducenda eſt vocis ſignificatio: Eſa. 63. v. 9. legitur *Ieme gnolam, diebus ſeculi*, ſed loci circumſtantia & ſubjecta materia ſatis oſtendunt, per dies ſeculi, non niſi longi temporis durationem intelligi poſſe: nam dicitur, *Angelus faciei ejus; ſervavit eos dilectione ſuâ; & clementiâ ſuâ ipſe vindicavit eos, & imponens ſibi, bajulavit eos, omnibus diebus ſeculi*: at hîc contra, res de quâ agitur, evincit hoc *gnolam* æternitatem eſſe. Vox *Kedem* notat etiam ante, antequam, æternitatem, Deus *Kedem* prioritatis,

qui à principio, id est ab æterno. Sic Pſ. 55. verſ. 20. *Ioſcheb Kedem*, *habitans æternum* Thargum habet *min le Kedamin*, *ab initio ſedenti ſuper ſolium ſuum*, *in cœlis cœlorum*. Opinionem ergo contrariam, non juvat quod dicitur, mentionem hîc fieri, initij & dierum quæ in æternitate locum non habent; nam non dicitur egreſſus ejus à principio, eâ mente, ac ſi tum demum contigiſſet, tum temporis & rerum omnium principium fuit, ſed egreſſum jam tum fuiſſe factum: Dies verò in æternitate non eſſe, juxta phraſin Scripturę non dicitur, nam apud Iobum habemus, cap. 10. v. 5. *An ſimiles, diebus mortalium, dies tui ſunt? aut anni tui ſimiles diebus viri?*

Jam preſſius ad rem, contendunt itaque adverſarij, nihil aliud iſtis verbis ſignificatum, quam Chriſtum hominem ex veteri proſapia Judæ, & ex Davidis ſtirpe oriundum fore. Verum hunc ſenſum, ne fidiculis quidem iſtis verbis extorſeris, nam illa nullo modo agunt, de antiquitate ſtirpis, ex quâ Meſſias erat oriundus: locus nativitatis hîc indicatur: quod de tribu Juda exoriturus, aut ex Davide genus duceret, hîc ne verbum quidem. Et quis non videt hæc adferri à Propheta, ad deſcribendam & illuſtrandam dignitatem ejus, qui in Iſraele Dominator futurus erat? omnes Judæi habebant olim genealogias ſuas? Apoſtolus Paulus ex tribu Benjamin, Philip. 3. v. 5: quæ ergo in eo dignitas, quod quis ex tribu Juda natus. Dicent hoc ſummopere ad commendationem ejus facere, quod ex regiâ Davidis ſtirpe erat oriundus: at hoc etiam infimæ ſortis hominum

fuit

fuit vt notum est. Hisce sic disiectis, restat hîc doceri, æternam Filij, ex Deo Patre, generationem. Nam primò verba illa *holam* & *kedem*, tam posse notare æternitatem, quam principium temporis & durationem longam; vocem dierum additum voci *holam* æternitati non obesse, satis confido à me demonstratum esse. Significatio æternitatis materiæ subjectæ accommodari tantùm hîc potest, quod hîc probare non est opus, cum Sociniani nullam generationem Filij Dei agnoscant, ante eam, quæ est ex virgine. Hæc ergo de loco Micheæ dicta sunt.

Tertiò ergo veritas sententiæ orthodoxæ confirmatur, ex eo, quia illi soli dictum, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, ac rursum, *ego ero ei Pater & ipse erit mihi Filius*: quæ verba, nisi accipiantur de generatione, specie distinctâ, ab ijs modis, secundum quos, angeli & homines, filij Dei sunt, hoc est de generatione ex substantiâ, non vera erit hæc assertio Apostoli: confirmatur, nam alij modi communes sunt, & in ijs tantum distinctio secundum gradus, at si Dei Filius diceretur filius secundum eminentiæ gradum, in generatione communi, non diceretur simpliciter Filius, nec simpliciter negandum esset, angelos esse filios: sic Dei filij, qui regeneratione filij sunt, omnes, indiscriminatim dicuntur filij Dei, etsi maximum discrimen inter Apostolum Paulum & vnum ex parvulis istis, de quibus Christus Dominus, Mat. 8. vers. 35: nec proferre potest adversarius locum aliquem ex Scripturis sacris, vbi quis, ob singu-

laritatem quandam, in eodem filiationis genere, dicatur solus filius, filius vnigenitus, aut simpliciter filius, vt qui sic non filius, negetur esse filius: fundamentum itaque tantæ in Apostolo confidentiæ est quod dicimus.

Quartò confirmatur ex eo, quod toties & tam frequenter appelletur nomine Filij Dei, simpliciter sine ullo addito; Math. 14. vers. 33. *verè Dei Filius es*: Mar. 1. v. 1. *principium Euangelij Iesu Christi Filij Dei*: Mar. 5. v. 7. *Filij Dei altissimi*: Ioh. 5. v. 25. *mortui audient vocem Filij Dei*, &c. Confirmatur ex eo quod toties, & tam frequenter, appellatur simplici nomine filij, factâ Dei mentione, sub nudo nomine Patris, Ioh. 3. v. 35. *Pater diligit Filium*, & vers. 36. *qui credit in Filium, & qui non obtemperat Filio*, Ioh. 5. v. 19. *non potest Filius a semetipso operari, nisi viderit Patrem operantem: quecunque ille facit, Filius pariter facit*, & v. 20. *Pater amat Filium, & omnia monstrat ei*, & v. 21. *sicut Pater suscitat mortuos, ita & Filius, quos vult vivificat* &c. Tales locutiones apud Iohan. frequentissimæ: hæ sanè & similes locutiones, si simplici Dei verbo, humanos sensus submittamus, quid aliud nobis ingerunt, quàm illos prorsus naturâ esse pares, & solâ origine distingui: nam etiam voces illæ Patris & Filij, in humanis naturæ & essentiæ vnitatem & paritatem, per omnia judicant.

Quintò non obscurè innuitur, hæc ex Dei substantiâ generatio, quoties Christi hominis, generatio limitativè enuntiatur: verbi gratiâ, cum dicitur, *ex fructu lumbi Davidis esse, quod ad carnem attinet*, Act. 2. v. 30. item, *de Filio suo, facto*

facto ex semine Davidis secundum carnem, declarato Filio Dei potenter, secundum Spiritum sanctificationis, Rom. 1. v. 3. 4. *sic dicitur ex patribus esse secundum carnem, qui est Deus super omnia benedictus.* Duæ itaque naturæ in Christo, & duæ generationes secundum essentiam: nam sunt alioqui ineptæ istiusmodi restrictiones, si non sit Dei Filius, nisi ratione vnctionis & collationis divinarum qualitatum, quibus rebus sublime hoc filiationis genus, secundum Socinianos & comprehenditur & absolvitur: nihil inquam istiusmodi restrictiones operantur, nisi concedamus esse factas à Sp. S. ad distinguendas duas secundum essentiam generationes; sequetur enim alioquin, nullum hominum esse, cujus generatio sic limitativè enuntiari non possit: nam cum homines parentibus debeant quod sint, ab alijs aut artibus sunt imbuti, aut ad virtutem instituti, aut ad munus aliquod & dignitatem promoti; cum itaque non ita limitentur generationes aliorum hominum propter causas hujusmodi; sed id solùm observatum sit, quando sermo est de Filio Dei, necesse est causam hîc peculiarem & propriam esse. Quid enim cæteroquin impedit de Davide, Saule idem dicere, illos nimirum, ex Patribus secundum carnem esse; quia filiatio regiæ dignitatis, ex Dei dono, illis contigit: Salomon sic etiam, ex Patribus secundum carnem, quia sapientiam, divitias & gloriam, Dei munificentiâ est consecutus. Dico amplius istas restrictiones, necessariò indicare, duas naturas substantiales, quia collateraliter & juxta se invicem positæ, de vno & eodem

eodem supposito, quod est Dominus noster Jesus Christus, prædicantur; nam vnus & idem dicitur homo esse, *ex semine Davidis*, juxta quod collateraliter, alterum illud ponitur, *quod Filius Dei:* ita ad Rom. 9. idem qui quatenus homo *ex Patribus esse*, dicitur, etiam dicitur esse *Deus benedictus*, vtrumque collateraliter prædicatur: at si Christi Deitas & filiatio divina, tantùm essent humanitatis qualitates, jam persona Christi, non posset ab illis denominari, nisi per denominatam ab ijs humanam naturam, at in istis loquendi modis contra fit: verbi gratiâ, non dicimus, ille est homo & dives, sed homo dives: est homo & sapiens, sed homo sapiēs; ita qualitates non prædicantur de suppositis suis collateraliter cum substantijs, & distinctè ab ijsdem, sed tantum cum substantijs suis, ab ijs denominatis; hîc verò immediata vtriusque prædicatio vt dixi; non ergo Christus, quâ homo, est Filius Dei juxta hanc quintam evasionem, secundum quam, tota Christi Deitas humanitatis quoddam accidens est.

Sextò ostenditur, Filium ex Dei essentiâ genitum, & vnum essentiâ cum Patre Deum, ex ijs locis, qui dicunt, *in cœlis fuisse, ex supernis venisse, supra omnes esse, exivi* inquit *à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum & proficiscor ad Patrem.* Ioh. 3. v. 13. 31. Ioh. 6. v. 62. Ioh. 16. v. 28. Dicitur *in sinu Patris esse* Ioh. 1. v. 18, quæ causa quod arcana Patris habeat perspectissima, dicit *se esse in cœlis* cum in terris ageret: quæ evincunt, aliam fuisse in Christo essentiam præter humanam.

Hæc

Hæc adverſarij varijs exceptionibus illudunt. *Excipit Catechiſmus cap.de perſonâ Chriſti,deſcendere de cœlo, poſſe figuratè accipi, quemadmodum Iacob. 1. v. 17. omne datum bonum: & Apocal. 21. v. 2. 10. vidi civitatem ſanctam, Hieruſalem novam deſcendentem a Deo, e cœlo,* &c. Reſp. Nos non argumentari, ex nudâ deſcenſionis voce, ſed quia ita dicitur deſcendiſſe, vt in cœlis tamen eſſet; quod ſi verum, neceſſe eſt, Chriſtum, qui ſic deſcendit, præter humanam eſſentiam, etiam divinam habuiſſe, ideoque hoc totum, quod in deſcenſione Chriſti, per incarnationem comprehenditur, non ſufficienter, per donationem a Deo factam, exponitur; quamvis veriſſimum ſit, maximum Dei donum in eo eſſe, quod Chriſtus de cœlo deſcenderit, & θεάνθρωπος ſit factus. Socin. reſp. primâ ad Volanum pag. 28. hoc refert, ad miraculoſam ex virgine conceptionem, quod nos non negamus ſed ἀμφοτέροις amplectimur, deſcenſionem Chriſti miraculoſâ Dei virtute contigiſſe, ſed neque per hoc infringitur, vt liquet cuilibet, diſcurſus à me factus.

Excipit idem Catechiſmus ſecundò, *hæc dici de filio hominis, qui cum perſonam inquit humanam neceſſariò habeat, Deus naturâ eſſe non poteſt*: ſed exceptio ſic formata, nihil niſi petitionem quæſiti crepat. Oſtorod. in Inſtitut. Germ. cap. 16. ait illud ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ verſ. 13. & illud Ioh. 6. verſ. 62. ὅπου ἦν τὸ πρότερον contigiſſe poſteaquam Chriſtus incarnatus; ac proinde hoc reſpectu naturæ ejus humanæ intelligendum eſſe: ſed neque ſic hoc argumentum de

manu nobis excutitur; nam falsum est Christum in cœlis fuisse, secundum humanitatem, antequam eò post resurrectionem ex mortuis ascenderet. Pergit dicens *participium ὁ ὢν verti posse per erat*: sed quid tum? nihilominus inde evincitur præexistentia ejus, antequam filius hominis fieret. At replicat Smalcius cap. 4. libri de divinitate Christi, Ostorodius loco dicto, magnum arcanum in scenam allaturi, *Christum secundum humanam naturam in cœlis fuisse, ibique edoctum a Deo Patre & institutum, exemplo Mosis, qui in monte Sinai, per quadraginta dies conversatus & collocutus fuit, priusquam Deus, per eum, populo suo, voluntatem suam exponeret & præscriberet* Exod. 34. vers. 18: idem confirmant exemplo Pauli, qui in tertium cœlum raptus; istam verò ascensionem Christi contigisse putat Smalcius cum fuit in deserto.

Resp. Nimis ficulnea sunt argumenta illa ad fidem faciendam isti thesi: quinimò audacem illam assertionem, & novam fidem, Sociniani cerebri figmentum esse, probamus hisce nixi rationibus. 1. Hæc ascensio, non est revelata, nec in totum, nec ex parte, nec tempus narratur, nec locus vbi, nec quandiu in cœlis conversatus sit, nec quando redierit, nec vlli oculati testes aut ascensionis aut reditus narrantur; hinc profectò inferre possumus, hanc ascensionem, merum ens rationis esse, quod nullibi existentiam habet, nisi in intellectu Sociniano: nam cum ista res, maximum contineat mysterium, non tam altum, apud omnes Euangelistas, eà de re silentium esset. 2. Narrant Euangelistæ,

gelistæ, vbi egerit Dominus, per quadraginta dies, nempe in cœlis non hæsisse, sed in deserto fuisse, ibi jejunasse & a Diabolo tentatum fuisse: nihil hîc memorabile contigit, quod non narrent, istius jejunij tempore, in cœlis fuisse, cogitare fas non est; nam etiam eo tempore, à Diabolo tentatus fuit, vt testatur Lucas cap. 4. v. 2. 3. Dico, cessante causâ cessat effectus, causa propter quam adversarij suspicantur, imò id planè se ita habere, persuasissimum habent, vt Smalcius testatur cap. 4. de divinitate Jesu Christi, nulla est: nam voluntas Dei mundo revelanda, non poterat illi incognita esse, jam tum enim antequam in desertum ageretur, aderat ei Spiritus plenitudo, Luc. 4. v. 1. quâ Spiritus plenitudine hoc effectum esse, vt verba Dei loqueretur, Johannes Baptista disertè testis est, Ioh. 3. v. 33. 4. Quam hoc ab omni vero abhorret, Christum solenniter a Patre suo creatum, & inauguratum esse, doctorem orbis; postmodum paternis colloquijs, cœlesti sapientiâ, quam profiteretur, imbuendum, & cum hęc res tanti momenti sit ad conciliandã authoritatem Filio Dei & doctrinæ ejus, mirum Petrum non meminisse, cum scriberet, 2. Pet. 1. vers. 16. Neque juvatur hæc opinio exemplis istis Mosis & Apostoli Pauli, nam ista in sacris revelata sunt clarissimè, nec etiam Apostolus Paulus in tertium cœlum raptus, vt gentium doctor fieret 2. Cor. 12. v. 4.

Tertiò objicit Ostorod. Instit. Germ. cap. 16. *falsos Prophetas in mundum quoque exijsse, & Christi verba ad Apostolos esse: sicut misit me in*

nem Euangelij, & dono regenerationis factum esse Filium: nam cum, si Socino fides habeatur, Christus cum justitiâ natus non est, quæ illi in infantem non cadit, & rationis vsum in homine ejusque actionem requirit; necesse est, vt talis regeneratione sit, quę in adultis non est alia, quàm per sermonem Euangelij, cujus illis nucleus & anima in præceptis & promissis consistit.

Socin. pag. 244.

Secundò, si Christus ratione sapientiæ & sanctitatis divinæ, Dei Filius esset, sequeretur inde, cùm esse Filium Dei & Deum, vnum sint realiter, Christum esse Deum, quâ justus & sanctus: consequenter etiam Apostoli Dij fuerunt, quorum sapientia & sanctimonia admirabilis, dono Dei & Christi, vt Christus Dei.

Tertiò, si Christus Dei dono Filius esset, jam prædestinatus esset, vt adoptaretur in Filium vnigenitum: imò tam admirandus esset Dei amor erga Jesum Christum, quàm erga nos.

Quartò, si totus Christus, quantus qualis est, secundum gratiosum Dei beneplacitum est id, quod est, tum magis est Christus & Mediator sui, quàm nostri causâ: nam sibi comparavit hoc pacto divina omnia, adeò vt in Deum exaltatus sit: at Scripturæ prædicant perpetuò, totam hanc mediationis rationem, nostri causâ à Deo ordinatam, & à Christo susceptam esse.

Quintò, si Filium vnigenitum esse, est nomen officij, qualitatum & actionum, nudus homo mirabiliter ex virgine natus, missus in mundum: & Dei charitas, quæ tantopere prædicatur, in eo non erit, quod Filium suum vnigenitum

tum nobis dederit, ſed quod hominem dederit ex Mariâ virgine natum, vt eſset & fieret Filius vnigenitus, eundemque nos docuiſse, miracula feciſse, ſanctè vixiſse, Deo nos reconciliaſse, erunt exegetica tantùm, nobis declarantia, quid ſit eſse Filium vnigenitum. Quin etiam, per iſtam filiationis rationem perit & evaneſcit, quod tantâ admiratione protulit Apoſtolus, Rom. 8, v. 32: nam adeo jam mirum non eſt, Deum proprio Filio non peperciſse, vt mirum potius fuiſset, ſi peperciſset. An mirum eum mori, qui moriturum ſe prædixerat? An mirum illum vitæ innocentiâ & paſſione comprobâſse veritatem doctrinæ, qui hoc ipſo erat Dei Filius? & quomodo non eſset paſsus, cum ſic pati, ſit eſse Filium? adeo, vt ſi paſsus non fuiſset, Filius non fuiſset: & quomodo non traderetur morti, qui aliâ ratione, nec verus Deus, nec perfectâ ratione unquam Filius eſse potuit?

Poſtremò, eò profligatur hic error, quod contra Scripturæ authoritatem, Chriſtum factum eſse Filium contendit, paulatim adoleviſse in perfectum Dei Filium, vt internus noſter homo renovatur indies; quia enim ſanctificatio filiorum Dei, ſuos hîc habet progreſsus, multæ ſunt in Scripturis voces, quæ illud ſatis apertè indicant; vt cum dicuntur fideles *renovari indies*, 2. Cor. 4. v. 16: *creſcere, vt ſint templum ſanctum Domino*, Eph. 2. v. 21: *in Chriſtum adoleſcere*, Epheſ. 4. v. 15. nihil tale de Filio Dei legitur; quem tamen volunt Sociniani, quotidianos progreſsus in iſtâ filiatione feciſse: Et quæſo, vbi didice-

laritatem quandam, in eodem filiationis genere, dicatur ſolus filius, filius vnigenitus, aut ſimpliciter filius, vt qui ſic non filius, negetur eſſe filius: fundamentum itaque tantæ in Apoſtolo confidentiæ eſt quod dicimus.

Quartò confirmatur ex eo, quod toties & tam frequenter appelletur nomine Filij Dei, ſimpliciter ſine ullo addito; Math. 14. verſ. 33. *verè Dei Filius es*: Mar. 1. v. 1. *principium Euangelij Ieſu Christi Filij Dei*: Mar. 5. v. 7. *Filij Dei altiſſimi*: Ioh. 5. v. 25. *mortui audient vocem Filij Dei*, &c. Confirmatur ex eo quod toties, & tam frequenter, appellatur ſimplici nomine filij, factâ Dei mentione, ſub nudo nomine Patris, Ioh. 3. v. 35. *Pater diligit Filium*, & verſ. 36. *qui credit in Filium, & qui non obtemperat Filio*, Ioh. 5. v. 19. *non poteſt Filius a ſemetipſo operari, niſi viderit Patrem operantem: quecunque ille facit, Filius pariter facit*, & v. 20. *Pater amat Filium, & omnia monſtrat ei*, & v. 21. *ſicut Pater ſuſcitat mortuos, ita & Filius, quos vult vivificat* &c. Tales locutiones apud Iohan. frequentiſſimæ: hæ ſanè & ſimiles locutiones, ſi ſimplici Dei verbo, humanos ſenſus ſubmittamus, quid aliud nobis ingerunt, quàm illos prorſus naturâ eſſe pares, & ſolâ origine diſtingui: nam etiam voces illæ Patris & Filij, in humanis naturæ & eſſentiæ vnitatem & paritatem, per omnia judicant.

Quintò non obſcurè innuitur, hæc ex Dei ſubſtantiâ generatio, quoties Chriſti hominis, generatio limitativè enuntiatur: verbi gratiâ, cum dicitur, *ex fructu lumbi Davidis eſſe, quod ad carnem attinet*, Act. 2. v. 30. item, *de Filio ſuo,*

facto

facto ex ſemine Davidis ſecundum carnem, declarato Filio Dei potenter, ſecundum Spiritum ſanctificationis, Rom. 1. v. 3. 4. *ſic dicitur ex patribus eſſe ſecundum carnem, qui eſt Deus ſuper omnia benedictus.* Duæ itaque naturæ in Chriſto, & duæ generationes ſecundum eſſentiam: nam ſunt alioqui ineptæ iſtiuſmodi reſtrictiones, ſi non ſit Dei Filius, niſi ratione vnctionis & collationis divinarum qualitatum, quibus rebus ſublime hoc filiationis genus, ſecundum Socinianos & comprehenditur & abſolvitur: nihil inquam iſtiuſmodi reſtrictiones operantur, niſi concedamus eſſe factas à Sp. S. ad diſtinguendas duas ſecundum eſſentiam generationes; ſequetur enim alioquin, nullum hominum eſſe, cujus generatio ſic limitativè enuntiari non poſſit: nam cum homines parentibus debeant quod ſint, ab aliis aut artibus ſunt imbuti, aut ad virtutem inſtituti, aut ad munus aliquod & dignitatem promoti; cum itaque non ita limitentur generationes aliorum hominum propter cauſas hujuſmodi; ſed id ſolùm obſervatum ſit, quando ſermo eſt de Filio Dei, neceſſe eſt cauſam hic peculiarem & propriam eſſe. Quid enim cæteroquin impedit de Davide, Saule idem dicere, illos nimirum, ex Patribus ſecundum carnem eſſe; quia filiatio regiæ dignitatis, ex Dei dono, illis contigit: Salomon ſic etiam, ex Patribus ſecundum carnem, quia ſapientiam, divitias & gloriam, Dei munificentiâ eſt conſecutus. Dico amplius iſtas reſtrictiones, neceſſariò indicare, duas naturas ſubſtantiales, quia collateraliter & juxta ſe invicem poſitæ, de vno &

eodem supposito, quod est Dominus noster Jesus Christus, prædicantur; nam vnus & idem dicitur homo esse, *ex semine Davidis*, juxta quod collateraliter, alterum illud ponitur, *quod Filius Dei*: ita ad Rom. 9. idem qui quatenus homo *ex Patribus esse*, dicitur, etiam dicitur esse *Deus benedictus*, vtrumque collateraliter prædicatur: at si Christi Deitas & filiatio divina, tantùm essent humanitatis qualitates, jam persona Christi, non posset ab illis denominari, nisi per denominatam ab ijs humanam naturam, at in istis loquendi modis contra fit: verbi gratiâ, non dicimus, ille est homo & dives, sed homo dives: est homo & sapiens, sed homo sapiēs; ita qualitates non prædicantur de suppositis suis collateraliter cum substantijs, & distinctè ab ijsdem, sed tantum cum substantijs suis, ab ijs denominatis; hîc verò immediata vtriusque prædicatio vt dixi; non ergo Christus, quâ homo, est Filius Dei juxta hanc quintam evasionem, secundum quam, tota Christi Deitas humanitatis quoddam accidens est.

Sextò ostenditur, Filium ex Dei essentiâ genitum; & vnum essentiâ cum Patre Deum, ex ijs locis, qui dicunt, *in cœlis fuisse, ex supernis venisse, supra omnes esse, exivi* inquit *à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum & proficiscor ad Patrem.* Ioh. 3. v. 13. 31. Ioh. 6. v. 62. Ioh. 16. v. 28. Dicitur *in sinu Patris esse* Ioh. 1. v. 18, quæ causa quod arcana Patris habeat perspectissima, dicit *se esse in cœlis* cum in terris ageret: quæ evincunt, aliam fuisse in Christo essentiam præter humanam.

Hæc

Hæc adverſarij varijs exceptionibus illudunt. *Excipit Catechiſmus cap. de perſonâ Chriſti, deſcendere de cœlo, poſſe figuratè accipi, quemadmodum Iacob. 1. v. 17. omne datum bonum: & Apocal. 21. v. 2. 10. vidi civitatem ſanctam, Hieruſalem novam deſcendentem a Deo, e cœlo,* &c. Reſp. Nos non argumentari, ex nudâ deſcenſionis voce, ſed quia ita dicitur deſcendiſſe, vt in cœlis tamen eſſet; quod ſi verum, neceſſe eſt, Chriſtum, qui ſic deſcendit, præter humanam eſſentiam, etiam divinam habuiſſe, ideoque hoc totum, quod in deſcenſione Chriſti, per incarnationem comprehenditur, non ſufficienter, per donationem a Deo factam, exponitur; quamvis veriſſimum ſit, maximum Dei donum in eo eſſe, quod Chriſtus de cœlo deſcenderit, & θεάνθρωπος ſit factus. Socin. reſp. primâ ad Volanum pag. 28. hoc refert, ad miraculoſam ex virgine conceptionem, quod nos non negamus ſed ἀμφοτέροις amplectimur, deſcenſionem Chriſti miraculoſâ Dei virtute contigiſſe, ſed neque per hoc infringitur, vt liquet cuilibet, diſcurſus à me factus.

Excipit idem Catechiſmus ſecundò, *hæc dici de filio hominis, qui cum perſonam inquit humanam neceſſariò habeat, Deus naturâ eſſe non poteſt*: ſed exceptio ſic formata, nihil niſi petitionem quæſiti crepat. Oſtorod. in Inſtitut. Germ. cap. 16. ait illud ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ verſ. 13. & illud Ioh. 6. verſ. 62. ὅπου ἦν τὸ πρότερον contigiſſe poſteaquam Chriſtus incarnatus; ac proinde hoc reſpectu naturæ ejus humanæ intelligendum eſſe: ſed neque ſic hoc argumentum de

manu nobis excutitur; nam falsum est Christum in cœlis fuisse, secundum humanitatem, antequam eò post resurrectionem ex mortuis ascenderet. Pergit dicens *participium ὁ ὢν verti posse per erat*: sed quid tum? nihilominus inde evincitur præexistentia ejus, antequam filius hominis fieret. At replicat Smalcius cap. 4. libri de divinitate Christi, Ostorodius loco dicto, magnum arcanum in scenam allaturi, *Christum secundum humanam naturam in cœlis fuisse, ibique edoctum a Deo Patre & institutum, exemplo Mosis, qui in monte Sinai, per quadraginta dies conversatus & collocutus fuit, priusquam Deus, per eum, populo suo, voluntatem suam exponeret & præscriberet* Exod. 34. vers. 18: idem confirmant exemplo Pauli, qui in tertium cœlum raptus; istam verò ascensionem Christi contigisse putat Smalcius cum fuit in deserto.

Resp. Nimis ficulnea sunt argumenta illa ad fidem faciendam isti thesi: quinimò audacem illam assertionem, & novam fidem, Sociniani cerebri figmentum esse, probamus hisce nixi rationibus. 1. Hæc ascensio, non est revelata, nec in totum, nec ex parte, nec tempus narratur, nec locus vbi, nec quandiu in cœlis conversatus sit, nec quando redierit, nec vlli oculati testes aut ascensionis aut reditus narrantur; hinc profecto inferre possumus, hanc ascensionem, merum ens rationis esse, quod nullibi existentiam habet, nisi in intellectu Sociniano: nam cum ista res, maximum contineat mysterium, non tam altum, apud omnes Euangelistas, eà de re silentium esset. 2. Narrant Euangelistæ,

gelistæ, vbi egerit Dominus, per quadraginta dies, nempe in cœlis non hæsisse, sed in deserto fuisse, ibi jejunasse & a Diabolo tentatum fuisse: nihil hîc memorabile contigit, quod non narrent, istius jejunij tempore, in cœlis fuisse, cogitare fas non est; nam etiam eo tempore, à Diabolo tentatus fuit, vt testatur Lucas cap. 4. v. 2. 3. Dico, cessante causâ cessat effectus, causa propter quam adversarij suspicantur, imò id planè se ita habere, persuasissimum habent, vt Smalcius testatur cap. 4. de divinitate Jesu Christi, nulla est: nam voluntas Dei mundo revelanda, non poterat illi incognita esse, jam tum enim antequam in desertum ageretur, aderat ei Spiritus plenitudo, Luc. 4. v. 1. quâ Spiritus plenitudine hoc effectum esse, vt verba Dei loqueretur, Johannes Baptista disertè testis est, Ioh. 3. v. 33. 4. Quam hoc ab omni vero abhorret, Christum solenniter a Patre suo creatum, & inauguratum esse, doctorem orbis; postmodnm paternis colloquijs, cœlesti sapientiâ, quam profiteretur, imbuendum, & cum hęc res tanti momenti sit ad conciliandā authoritatem Filio Dei & doctrinæ ejus, mirum Petrum non meminisse, cum scriberet, 2. Pet. 1. vers. 16. Neque juvatur hæc opinio exemplis istis Mosis & Apostoli Pauli, nam ista in sacris revelata sunt clarissimè, nec etiam Apostolus Paulus in tertium cœlum raptus, vt gentium doctor fieret 2. Cor. 12. v. 4.

Tertiò objicit Ostorod. Instit. Germ. cap. 16. *falsos Prophetas in mundum quoque exijsse, & Christi verba ad Apostolos esse: sicut misit me in*

mundum, ita & ego eos in mundum misi, nec eos extra mundum fuisse, cum exierunt in mundum.

Resp. Vis argumenti nostri non est in verbis veniendi, missionis, exeundi, per se sumptis, sed in eo, quod dicitur, exijsse, venisse, missus esse, qui erat in cœlis, cum exiret, mitteretur: & cum hoc secundum humanam, non competat Christo, necesse est secundum divinam extitisse, nisi cum Ario velit Spiritum creatum fuisse Christum. 2. Aliâ ratione exivisse Christum quàm Apostolos, eo probatur, quia Christus ita exijt in mundum vt à Patre exierit, quo non tantùm missio significatur, sed notatur, personam missam fuisse apud Deum, cum mitteretur; quod lex contrariorum evincit; nam exij à Patre, opponit proficiscor ad Patrem: consequenter manifestum est, hîc inter Christum & Apostolos ejus discrimen; propterea ex missione, exitu à Patre, esse in cœlis rectè infertur, Christum fuisse antequam ex virgine nasceretur. Urget amplius ibidem, *probari non posse, Christum esse missum, antequam natus est.* Verùm hoc nodum non tangit; nam hoc est illud quod asserimus; Christum exijsse, missum esse per incarnationē & vnionem hypostaticam. Aliam adhuc putat esse rimam, quâ elabatur: probari à se posse gloriatur, *missionem Christi esse factam, posteaquam natus ex Mariâ virgine*: duplici Scripturæ testimonio hoc confirmare studet: primò verbis Christi ad Pilatum, *ego adhoc natus sum, & in mundum veni, vt testimonium perhiberem veritati,* Ioh. 18. v. 37. secundò Apostoli Pauli ad Gal. 4. v. 4. *Deus emisit Filium suum factum ex muliere.*

Resp.

Resp. 1. Ex dicto Christi evinci non posse, illa tempore distingui, imò ne quidem re, alterum alterius exegeticum. 2. Dico, missionem tempore nativitate non posteriorem, evinci, ex fine missionis, qui est functio muneris Prophetici; ad quam obeundam vt missus, ita & natus est: in loco Pauli quoque non dicitur, natum jam fuisse, cum à Deo mitteretur, imò verba Pauli sic accipienda non esse doceo, quia eadem ratione ab Apostolo additur *γενόμενον ὑπὸ νόμου*: si velint ergo, Christum natum, missionis factæ objectum esse; pari jure coguntur fateri, Christum legi subjectum, vt eos qui legi erant subjecti, redimeret, vt adoptionẽ acciperemus, vt ibidem subjungit Apostolus, hujus missionis objectum fuisse; at hoc falsum est, ergo & illud prius; missus enim est, vt Mediator & redemptor noster esset, ita & Christus missus & factus est ex muliere: nec aliud voluit significare Paulus, quàm Filium Dei missum esse, qui ex muliere natus est. 3. Dico, etiamsi totum concederetur, exijsse à Patre, missum esse, venisse in mundum, posteaquam ex virgine natus est; nihilominus tamen inde concluderetur æterna Christi præexistentia: nam ille qui exijt, venit, missus est in mundum, dicit se esse vel fuisse in cœlis.

Sic se ergo habet confirmatio sententiæ orthodoxæ: sequitur jam eversio sententiæ *Socini* de Filio Dei vnigenito, quæ sexta evasione continetur.

Primò, si Christus, ratione sanctitatis, Dei Filius vnigenitus esset, sequeretur per sermo-

nem

nem Euangelij, & dono regenerationis factum esse Filium: nam cum, si Socino fides habeatur, Christus cum justitiâ natus non est, quæ illi in infantem non cadit, & rationis vsum in homine ejusque actionem requirit; necesse est, vt talis regeneratione sit, quę in adultis non est alia, quàm per sermonem Euangelij, cujus illis nucleus & anima in præceptis & promissis consistit.

Socin. pag. 244.

Secundò, si Christus ratione sapientiæ & sanctitatis divinæ, Dei Filius esset, sequeretur inde, cùm esse Filium Dei & Deum, vnum sint realiter, Christum esse Deum, quâ justus & sanctus: consequenter etiam Apostoli Dij fuerunt, quorum sapientia & sanctimonia admirabilis, dono Dei & Christi, vt Christus Dei.

Tertiò, si Christus Dei dono Filius esset, jam prædestinatus esset, vt adoptaretur in Filium vnigenitum: imò tam admirandus esset Dei amor erga Jesum Christum, quàm erga nos.

Quartò, si totus Christus, quantus qualis est, secundum gratiosum Dei beneplacitum est id, quod est, tum magis est Christus & Mediator sui, quàm nostri causâ: nam sibi comparavit hoc pacto divina omnia, adeò vt in Deum exaltatus sit: at Scripturæ prædicant perpetuò, totam hanc mediationis rationem, nostri causâ à Deo ordinatam, & à Christo susceptam esse.

Quintò, si Filium vnigenitum esse, est nomen officij, qualitatum & actionum, nudus homo mirabiliter ex virgine natus, missus in mundum: & Dei charitas, quæ tantopere prædicatur, in eo non erit, quod Filium suum vnigenitum

tum nobis dederit, ſed quod hominem dederit ex Mariâ virgine natum, vt eſset & fieret Filius vnigenitus, eundemque nos docuiſse, miracula feciſse, ſanctè vixiſse, Deo nos reconciliaſse, erunt exegetica tantùm, nobis declarantia, quid ſit eſse Filium vnigenitum. Quin etiam, per iſtam filiationis rationem perit & evaneſcit, quod tantâ admiratione protulit Apoſtolus, Rom. 8, v. 32: nam adeo jam mirum non eſt, Deum proprio Filio non peperciſse, vt mirum potius fuiſset, ſi peperciſset. An mirum eum mori, qui moriturum ſe prædixerat? An mirum illum vitæ innocentiâ & paſsione comprobâſse veritatem doctrinæ, qui hoc ipſo erat Dei Filius? & quomodo non eſset paſsus, cum ſic pati, ſit eſse Filium? adeo, vt ſi paſsus non fuiſset, Filius non fuiſset: & quomodo non traderetur morti, qui aliâ ratione, nec verus Deus, nec perfectâ ratione unquam Filius eſse potuit?

Poſtremò, eò profligatur hic error, quod contra Scripturæ authoritatem, Chriſtum factum eſse Filium contendit, paulatim adoleviſse in perfectum Dei Filium, vt internus noſter homo renovatur indies: quia enim ſanctificatio filiorum Dei, ſuos hîc habet progreſsus, multæ ſunt in Scriptutis voces, quæ illud ſatis apertè indicant; vt cum dicuntur fideles *renovari indies*, 2. Cor. 4. v. 16: *creſcere, vt ſint templum ſanctum Domino*, Eph. 2. v. 21: *in Chriſtum adoleſcere*, Epheſ. 4. v. 15. nihil tale de Filio Dei legitur; quem tamen volunt Sociniani, quotidianos progreſsus in iſtâ filiatione feciſse: Et quæſo, vbi didice-

didicerunt, eum, cum esset Filius Dei vnigenitus, vnigenitum tamen Filium Dei non fuisse? natum fuisse Filium Dei vnigenitum, & gignendum postmodum? Precatus quidem est Dei Filius Ioh. 17. v. 5. vt Pater ipsum glorificaret; sed nusquam vt filiatione consummatâ se dignaretur: ideoque cum Christus ante resurrectionem, fuerit Dei Filius vnigenitus; nec vllum argumentum in Scripturâ sit pro eo, quod factus sit Dei Filius vnigenitus, collocatione ad dextram Dei, ineptè etiam in eo collocatur: Nec etiam beata immortalitas, propriè loquendo, filios Dei facit, nedum vnigenitum, cum communis sit: sed est filiationis consequens, & hæreditas filiorum Dei. Sic Apostolus Rom. 8. v. 23. *redemptionem corporis nostri*, adoptionem impropriè appellavit, quia fructus & effectus est adoptionis. Ita filij Dei dicuntur, qui filij resurrectionis: quia resurrectio effectus & fructus filiationis est; vel in impropria significatione, filij Dei dicuntur oppositè ad filios hujus seculi.

Sed ne nimium prolixi simus, jam tertio loco examinabimus ea, quæ attulit adversarius, ad stabiliendam opinionem suam; quæ quidem responsione adhuc opus habere videbuntur.

Socin. pag. 238. Primò producit Hilarium in Psalm. 2. *qui eum*, inquit, *& in nativitate ex virgine, & in baptismo, & in resurrectione à mortuis generatum fuisse agnoscit, non declaratione tantùm; sed etiam effectu ipso, per adeptionem ejus cum Deo similitudinis, quam antea vel omnino non habebat, vel non tantam.*

Resp.

Resp. Injuriam fieri Hilario, dum Socinus authoritate Patris errorem suum palliat: nam ille fautor Photinianismi non fuit, vt qui libros duodecim de Trinitate scripsit, & modi illi varij, secundum quos statuit, Filium Dei aliquoties genitum, nullà ratione Socinianismum sapiunt: nam ille mystica quadam ratione, sæpius à Patre nasci intellexit, vt nihil interim accederet divinæ naturæ, sed tantùm humanæ: *aut in hoc*, inquit, *dicatur nasci, quod esse declaratur: nobis enim quodammodo gignitur, cum hoc intelligimus esse, quod prius ignorabamus.*

Secundò producit locum Psalm. 2. Act. 13. v. 33. Rom. 1. v. 4. Locus ille, Psalm. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, intelligendus, innuere arcanam illam generationem, quâ Filius Patri ὁμοούσιος; quod ex sequentibus demonstratur: nã regibus Filij hujus cultus religiosus imperatur; nomen Dei tetragrammaton ei tribuitur, & beati dicuntur, qui confidunt in eum. Hodie dici potest, Deum Filium genuisse, quia est ens permanens & immutabile ab æterno in æternum. Scio multos esse, tum veterum, tum recentiorũ, qui ipsum locum Psalmi intelligunt, de generatione κατὰ φανέρωσιν: verum proprietas verborum pugnat magis pro sensu proprio, à quo non esse recedendum, nisi gravibus de caussis, commune Theologorum pronuntiatum est. Suadet præterea hanc interpretationem gravissima Apostoli authoritas, qui istum locum nobis sic interpretatus est, Hebr. 1. v. 5. vt in nullum, nec angelum, nec hominem quadret, quod eo est comprehensum: hoc autem non est resurgere

De loco Psal. 2. v. 7.

gere ex mortuis, etiamsi Apostolus, hoc dicto Psalmi est vsus pro resurrectione Christi: nam ille intelligendus de generatione secundum manifestationem. Dices ergò, & dictum Davidicum sic exponendum. Resp. Ratio dispar est: ibi nulla cogit necessitas, hîc aperta ratio: ille locus quasi primitivus est, hic ex eo derivatus, & expresse ad resurrectionem Christi ex mortuis relatus: & quid convenientius, quàm vno loco, rem ipsam cõtineri κατ' ἀλήθειαν, in altero κατὰ φανέρωσιν. Ut Mal. 8. vers. 17. Iacob. 2. v. 23. Nego itaque, illa Psalmi verba ad Christum accommodari eà mente, ac si revera in Filium Dei fuisset genitus per resurrectionem ex mortuis. Nec probat hoc gravis ille ad Rom. locus, ad quem locum verba Socini sunt. Idem Paulus, qui Psalmi verba, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, ad Christi resurrectionem accommodaverat; ad Rom. scribens, disertè ait, Christum ex resurrectione mortuorum definitum, id est, constitutum fuisse Filium Dei, est enim Græcè ὁρισθέντος: quæ vox non prædestinatum aut declaratum, vt Latinæ interpretationes ferè habent; sed definitum, vt Castellio vertit, id est, constitutum propriè significat.

Socin. pag. 239.

Socin. pag. 241.

Tota hujus rationationis vis est in voce ὁρισθέντος, quam dicit non declaratum, sed constitututum significare: in quo fallitur aut fallit: nam ὅρος vsitatâ significatione Græcis est definitio. Aristot. lib. primo Topic. cap. 4. ὅρος μὲν λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων: & non tantùm vox ista notat, definiendo declarare, sed declarare simpliciter etiam; nam Græcis ὁρίσματα dicun-

dicuntur, quæ Latinis indicativa: neque etiam ὁρίζομαι significat, constituo, eo sensu quo Filium hîc constitutum vult, hoc est reipsâ factum; sed notat tantùm constitutiones mentales & immanentes, quæ decreta & destinationes: quod Socinus agnovisse videtur, cum mutato consilio, arripit vocem *prædestinati*, in patrocinium causæ suæ. Nam verba ejus sunt. *Quamquam, si vocem, prædestinati, retineas, quam vulgata editio habet, multò magis apparebit, Christum ante resurrectionem, Filium Dei plenè ac perfectè non fuisse, cùm hac ratione, ne ex ipsâ quidem resurrectione talis continuò extiterit; sed tantùm vt talis esset prædestinatus fuerit: id quod verè dici potest, si resurrectionis nomen, pro ipsâ modò, (vt Pauli verba sonant) resurrectione à mortuis accipias, citra ea, quæ illam postmodum sunt consecuta.*

Resp. Etiamsi ista lectio probaretur, non propterea hinc efficitur, quod vult Socinus, Christum non fuisse Filium cum resurgeret, aut per resurrectionem Christum fuisse prædestinatum ad istam perfectissimam filiationem: est enim ejusmodi interpretatio vocis *prædestinati* prorsus violenta: non enim resurrectione prædestinatur Christus, nam illa tantum medium executivum esset in hac sententia: *prædestinatio est decretum ipsum*: hoc immanens & internum est, & opus mentale; at resuscitatio actio transiens est & potentiæ.

Socinus, qui pro arbitrio quidlibet hîc ex quolibet elicit, & instar Chamæleontis se habet; postquam dixisset ex loco hoc ad Rom. 1. immortalitatis similitudinem Christum resur-

 rectione

rectione ex mortuis adeptum; mox, immutatâ sententâ, negat rursum, resurrectione ex mortuis naturam immortalem reipsâ induisse: rursum cum resurrectio hoc loco ad Rom. 1. nunc immortalitatem contulerit, nunc gradum tantùm illi, ad immortalitatem consequendam, fecerit; & locus ille Psalmi, & hic ad Rom. ejusdem sint argumenti, illum tamen, vt citatur Actor. 13. placuit Socino non immortalitatem tantùm, sed plenam simul Christi glorificationem, & ad Dei dexteram sessionem significasse: de quibus dispiciendum, quas habeant vires.

Socin. pag. 240.

Socin. pag. 239.

Opponο itaque, quod verius, resurrectione subsecutos exaltationis gradus, isto Psalmi dicto ex mente Apostoli, non fuisse connotatos; aut saltem ex ijs, quæ ibi adfert Apostolus, non liquere ipsum hoc intendisse: nam si sensisset assertum à se hoc dicto Davidico, cœlestem Christi dominationem, & æternum in cœlis regnum, non subjunxisset alterum testimonium ex Esa. Propheta, ad probandum Christum veram & æternam immortalitatem consecutum resurrectione ex mortuis, quam testimonio Psalmi secundi astruxerat; tantum abest ergo vt Apostolus intellexerit immortale & cœleste regnum, isto Christi testimonio à se comprobatum, vt ne quidem veram immortalitatem, sed resurrectionem ipsam tantummodo isto dicto à se comprobatam existimaverit. Nec verba antecedentia pro adversario concludunt: *& nos vobis Euangelizamus eam promissionem, quæ Patribus facta est, Deum videlicet eam explevisse*

filijs

filijs illorum, nobis suscitato Iesu: nam etiam promissio Patribus expleta est, resurrectione Christi ex mortuis, vt & incarnatione, vt suprà legitur: hujus è semine Deus, secundum promissionem, excitavit Israeli Servatorem Jesum. Porrò Christum post resurrectionem, eâ demum potestate præditum, vt planè servare posset, suis benedicere ac beatos reddere, hoc est πρῶτον illud ψεῦδος, quod nos negamus: nam & benedixit *remittens peccata*, dum in terris ageret, & *vnicâ oblatione conservavit in perpetuum, qui sanctificantur*, & *omne judicium sibi datum* dixit, & *se in seipso habere vitam*; quam potestatem Domini nostri, malè Socinus, & contra veritatem, ausus est terminis rerum præsentis vitæ circumscribere: nam istam suam vivificandi potentiam, & judicij authoritatem, Christus ipse, optimus dignitatum suarum interpres, sic non circumscripsit; sed disertè ad mortem & vitam extendit, cum dixit. *Amen, amen, dico vobis, adventat tempus, & nunc est, quum mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint vivent: sicut enim Pater habet vitam in seipso, sic dedit & Filio habere vitam in seipso, & authoritatem ei dedit, etiam judicium exercendi, quatenus filius hominis est. Ne hoc miramini, nam veniet hora, quâ omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus: & prodibunt, qui bona fecerint, in resurrectionem vitæ: qui mala egerint, in resurrectionem condemnationis.* Ergo nulla fuit Christi potestas post resurrectionem, quam antea revera non habuit, etsi non exerta & manifestata, vt post ejus ad dexteram sessionem; nec defuit ei in angelos

Luc. 5. v. 20.
Heb. 10. v. 14.
Ioh. 5. v. 22.
Socin. pag. 239.
Ioh. 5. v. 25. 26. 27. 28. 29.

imperium Mat.4. verſ. 11. & vt ſuprâ demonſtratum tractatione loci Pſalm.97.

Obijcit locum Act.2,v.36. *vbi legitur, Ieſum Nazarenum, qui crucifixus fuerat, factum à Deo Dominum & Chriſtum.* Reſp. Actu ſecundo: nam hoc effectum Dei virtute, vt morte hoſtibuſq; ejus profligatis omnibus, glorioſiſſimè dominaretur: inde verò non ſequitur, dignitatem illam regiam, quoad actum primum, in illo non reſediſſe. Addo quod Deus illum Chriſtum, hoc eſt Meſſiam fecit: nulla enim neceſſitas cogit hanc vocem Chriſti, ad ſolam regiam dignitatem reſtringere; dum ſic potenter aſſeruit eſſe Chriſtum, quod etiam fuit, dum in terris ageret. Quod ſi adverſarius contendat, eum factum eſſe Chriſtum, ita vt antea non fuerit, quod hîc factus dicitur; dicam nos habere *pontificem qui conſedit ad dexteram throni majeſtatis* *Heb.8. v.12.* *illius, in cœlis; qui ſanctuarij miniſter, ac veri illius tabernaculi:* ſanctuarij autem miniſter eſt pontificiali interceſſione ſuâ, quam tum revera obire cœpit, poſtquam cœlum ingreſſus eſt.

Quia verò, vt ſuprà dixi, ſentit Socinus cum ſuis, Chriſtum ab ipſâ reſurrectione ſuâ, non fuiſſe immortalem; placet etiam advertere ad ea, quæ in hanc rem adfert. Eum ergo revera *Socin. pag. 242.* immortalem non fuiſſe, probat primò, quia revera comedit ac bibit; quod ij inquit facere nequeunt, qui naturam immortalem habent.

Reſp. Chriſtus non edit & bibit, ex naturali neceſſitate vt antea, ſed ex diſpenſatione voluntariâ, in reſurrectionis argumentum, vt probant loca vbi ediſſe aut bibiſſe legitur. Luc.24.v.30. 41.Ioh.21.v.13.

Secun-

Secundum ejus argumentum est; *quod discipuli eum aspicere aut agnoscere non potuissent, si fuisset immortalis*. Resp. Christum corporis sui gloriam ex dispensatione non exeruisse; neque hoc pacto Apostolorum sensibus imposuit, vt malè argumentatur Socinus.

Tertiò contra Christi immortalitatem obijcit *vestigia vulnerum quæ non sunt corporis immortalis*. Resp. Nulla est ratio, propter quam magis credibile sit, vestigia vulnerum in glorificatis corporibus non futura, quàm futura; nam vulnerum vestigia, militum qui strenuè pugnaverunt, ornamenta sunt: sic Apostolus noster gloriatur, se circumferre in suo corpore, signa peractæ pugnæ, pro causâ Christi: ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto, Gal. 6. v. 17. Quocirca irrationale non est, martyres circumlaturos vulnerum suorum cicatrices post resurrectionem; in quam sententiam inclinat Augustinus lib. 22. de civitate Dei cap. 20: verba ejus sunt. *Nescio, quo autem modo, sic afficimur, amore martyrum beatorum, vt velimus in illo regno in eorum corporibus, videre vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt, & fortasse videbimus: non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, & quædam quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit*: hæc Augustinus. Deinde respondere possumus, œconomicè hoc factum. Post hæc redit ad filiationem suam, quam statuit in sapientiâ & sanctitate consistere; *vtramque perfectam in hoc mundo fuisse asserit, neutram tamen Christo naturalem fuisse*. *Hoc primùm, quod ad sapientiam* *Socin. pag. 243.*

attinet, probat testimonio Luc. 2. v. 52. subdit, de justitiâ & integritate vitæ divinâ ac cœlesti res ipsa loquitur: quandoquidem ea in infantem non cadit, & rationis usum in homine, ejusque actionem requirit; hancque non minus, quam sapientiam, unà cum ætate in Christo auctam fuisse, quamvis prout ferebat ætas, semper perfecta fuerit.

Resp. 1. Quomodo vobis, qui humanam tantùm naturam in Christo agnoscitis, sapientia Christi hîc perfecta fuit, cum diem judicij ignoraverit? 2. Sapientiâ profecisse secundum divinitatem negamus. 3. Justitiam nullam esse, quam quæ in actione consistit, id quidem secundum Socini hypotheses ita est, qui & creationem hominis in justitiâ negat, & corruptionem originariam, & veram regenerationis gratiam, sed secus se res habet secundum veritatem: quæ omnia & singula, adversus ipsum & ipsius similes demonstrare, non est præsentis loci. 4. Justitiam habitualem in Christo auctam fuisse, non probat locus allatus, etiamsi Christus per continuatum, & non interruptum obedientiæ cursum, sanctitatem suam exerendo, se magis magisque Deo & bonis omnibus probaverit.

Hactenus de sextâ evasione Socini, contra titulum unigeniti, ex quâ voce formata fuit secunda ratio, pro sententiâ Orthodoxâ de generatione Filij, ex substantia Patris. Sequitur jam tertiæ rationis examen, quæ est quod proprius Dei Filius vocatur.

Socin. pag. 211. Socinus contendit vocem *proprij* in N. Test. non habere aliam vim majorem, *quàm interdum*

signifi-

ſignificandi aliquid omnino ſuum, id eſt, quale nemo alius habeat, vt in loco illo, & vnicuique ſeminum proprium corpus. 1. Cor. 15. v. 38. & ſæpiſſimè nihil aliud ſignificare, quàm ſimpliciter ſuum, aut ſuum ipſius, id eſt non alienum :, vt cùm dicitur Chriſtum non per ſanguinem hircorum & taurorum; ſed per proprium ſanguinem ingreſſum fuiſſe in ſancta, Hebr. 9. verſ. 12: aut cum Paulus dicit 1. Cor. 6. verſ. 18. eum qui ſcortatur, in proprium (ἴδιον enim eſt in Græco) corpus peccare: vbi Latina editio habet, ſuum: tertiam aliam ſignificationem, non credo hujus vocabuli in N. Teſtam. inveniri: utracunque autem ſignificatione dixerit Paulus, Deum non peperciſſe proprio Filio, nihil, ex ipſius vocabuli vi, concludi poteſt, de generatione ex Dei Patris ſubſtantiâ: nihil enim vetat, quominus Chriſtus ſit Dei Filius peculiaris & ſuus, non autem alienus, & tamen non ſit generatus ex ipſius Dei ſubſtantiâ.

Reſp. Cum filius, alicujus proprius filius dicitur, intelligitur ejus eſſe filius, non alienus: quamvis verò in acquirendo rerũ dominio, varij ſunt modi, ſecundum quos, quis rem, quæ non eſt ſua, ſuam facere poteſt, vnus tamen tantùm modus eſt, quo quis proprius alicujus filius fieri poteſt: hic modus eſt generatio naturalis ex ſubſtantiâ parentis. Aut ergo Filius Dei ex ſubſtantiâ Patris eſt genitus, aut non eſt proprius Dei Filius.

Dicit adverſarius, nihil vetat, quominus Chriſtus ſit Dei Filius peculiaris & ſuus, non autem alienus, & tamen non ſit generatus ex ipſius Dei ſubſtantiâ: hoc eſt quod nego, quia

aperta ratio, & ipsissima definitio proprij filij reclamat; non enim proprium filium appellamus eum, in quem quis jus & potestatem habet, sed proprium dicimus eum, qui naturaliter ex nobis est genitus: quod autem dicit, filius peculiaris & suus, hoc amphiboliâ laborat; nam non explicat, quid per istam peculiaritatem intelligat: filius enim adoptivus, peculiari ratione filius est: qui peculiaris filius est, non est hoc ipso proprius filius: vice versâ, qui proprius filius est, non est hoc ipso peculiaris filius: sola generatio proprium filium facit, & nisi Filius Dei peculiaris Dei Filius à generatione denominetur, proprius filius non erit.

Et cum proprius Dei filius, vnus tantùm sit (quod nec adversarius negat, aut in dubium vocat) non potest à modo filiationis communi, secundum gradum Filio Dei peculiaritantùm, ille solus Filius Dei proprius dici: nã sic, tam Deus est Dominus & proprietarius aliorum filiorum suorũ, quàm Filij ejus Domini nostri Jesu Christi; imò magis, pretio enim empti sumus. Quod si intendat, nomine peculiaris, generationem ex virgine, per operationem Sp. S.? 1. Respondebo, istum productionis modum filium non facere. 2. Cum respectu istius generationis, nunquam sit dictus Dei Filius, certum est ob istam causam hîc non dictum proprium filium. 3. Sic periret & evanesceret prorsus energia Apostolicæ argumentationis, per istiusmodi proprietatis explicationem; quod absit.

Rom. 8. v. 33. Hoc quod Deus proprio Filio non pepercit, tam est admirandum & incomparabile Apostolo, vt irrefra-

irrefragabiliter hinc inferri perſuaſiſſimum habeat: Deum omnia nobis cum eo gratificaturum; hujus verò illationis vis non conſurget, ex illâ proprij Filij ratione, quâ homo ille Jeſus Chriſtus, ex Mariâ virgine natus: ergo Apoſtolus ad aliud quid, longè auguſtiùs reſpexit, cum Dominum noſtrum, Dei Filium proprium dixit: nam, vt ſuprà demonſtratum confido, majus eſt regeneratione eſſe Dei Filium, quàm iſto admirabili modo, à Deo ſecundum naturalia productum eſſe: & ſic plus eſſet, Apoſtolum Paulum pro nobis eſſe paſſum, quàm Deum Filio proprio non pepercisſe, quod quàm paradoxum ſit in fide, nemo eſt, quin facilè videat.

Subdit Socinus, *vis rationis adverſariorum in eo tota eſt, quod proprius opponatur metaphorico.* *Socin. pag. 212.* Reſp. Vis noſtræ rationis eſt in definitione proprij Filij; & qui proprius filius eſt, conſequenter eſt propriè, & non metaphoricè filius.

Smalcius apud Smigloci. pag. 55. lib. primo de Chriſto vero & naturali Dei Filio, proprium opponit communi: at ſic ſi loquatur, quia Filius Dei non communi, ſed propriâ ratione Filius, ridiculus eſt: nemo enim ſic proprium filium dixerit: ſin intelligat filium proprium, hoc eſt talem, quem Deus non habet cum alijs communem, ſic ridiculè argutus eſt: nam nullum Dei jus in filios ſuos commune eſt, & nullus eſt Dei filius communis; nec filius Dei diceretur rectè proprius filius à ratione & modo filiationis, illi cum alijs communi.

Quartam rationem, quod Chriſtus verus Dei Filius, præterimus, tum quia in textu non di-

ſertè ſic ſcriptum extat, tum quia ex ijs, quæ
1. Ioh. 5. v. 20. jam dicta ſunt, reſpondendum erit ad ea, quæ hîc ab adverſario, quod cauſam principalem attinet, reponuntur.

Quinta ratio eſt, quod Chriſtus dicatur naturalis Dei Filius, non quidem expreſsè, ſed ſecundum rem; quod Bellarminus voluit tantùm, cum ſcriberet lib. prim. de Chriſt. cap. 6. *dicitur naturalis, nam dicitur imago, ſeu character hypoſtaſis paternæ.*

Socin. pag. 215. Socinus duo hîc agit. Primò reſpondet ad locum illum ad Heb. 1. v. 3: inde agit de titulo ipſo *naturalis & adoptivi.*

Locus ſic habet: *ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ*: quamvis autem vox *paternæ* non legatur hîc conjuncta voci hypoſtaſis; ex ijs tamen, quę hîc dicuntur, colligitur, hîc Patrem ſubintelligendum eſſe: etſi enim relativum ejus, non Patris vocem ſed Dei, quæ anteceſſit, refert, vt ſcribit Socinus, evidenter tamen ex loci circumſtantijs colligitur, voce Dei Patrem inſinuari; nam Deus, de quo loquitur Apoſtolus, eſt Deus, qui locutus eſt nobis in Filio; eſt ille, qui nulli angelorum dixit, Filius meus es tu. At Filius Patris tantùm Filius eſt.

Socin. pag. 216. Sententia ejus de hoc loco eſt, *Chriſtum characterem hypoſtaſis ejus dici, non quia ex ſubſtantiâ ipſius ſit generatus; ſed quia ipſum Deum, alioqui inaſpectabilem nobis aſpiciendum exhibet, id eſt ejus voluntatem atque potentiam, ſibi perfectiſſimè patefactam, & ſecum quatenus fieri poteſt, & quatenus ad nos pertinet, perfectiſſimè communicatam,*

nobis

nobis ostendit, & quoad licet ob oculos ponit; ita vt Deum ipsum contemplemur, cum Christum contemplamur, quod quidem attinet ad salutem nostram, vbi non requiritur, vt ipsam Dei substantiam, expressam ante oculos habeamus, sed tantùm voluntatem ac potentiam: nec verbum hypostasis, cum hoc loco Dei hypostasis nominatur, ipsam Dei substantiam verè ac propriè significat, sed perinde est, ac si scriptum fuisset, ipsiusmet Dei.

Totum hoc, ratione cujus, splendor gloriæ & character hypostasis ejus dicitur, refert Socinus, quantum quidem ex hisce verbis colligi potest, ad patefactionem voluntatis & potentiæ divinæ, nimirum quod Deus velit obedientiam & æternam vitam cultoris, eamque conferre potens, hæc enim intelligere solent Sociniani, passim nomine voluntatis & potentiæ. Ob duplicem itaque patefactionem, passivam quâ Deus voluntatem & potentiam suam Christo revelavit; activam quâ ille illam nobis revelavit, dicit splendorem sive refulgentiam gloriæ & characterem hypostasis vocatum.

Sed quo pacto Deus, se & voluntatem suam, nobis revelavit in Filio, claris verbis Apostolus proposuit, v. primo: non est ergo existimandum, verbis obscuris, idem hoc vers. repetere. 2. Non qui revelat alteri gloriam suam, & sibi revelatam alijs sermone manifestat, propterea splendor seu refulgentia gloriæ ipsius est; nisi cum illo gloria splendescens communicetur. Cui insignia principis decreta revelantur, aut qui revelat ea, hoc ipso non habet in se refulgentem principis gloriam; sed ille tantùm, in quem

in quem princeps gloriam suam transfundit: ita Christus non est paternæ gloriæ ἀπαύγασμα, nisi quia illa ipsa gloria in illo refulget: Radius solaris participat de luce solis, & fulgor solaris etiam in radio splendescit: ita propria notio characteris est, rem à quâ deducitur, assimilatione quadam repræsentare, vt sculptilia & imagines pictæ, similitudine quadam repræsentant aliquid. Cui principis arcana revelantur, nõ ob hoc principis imago dicitur: aut is ex quo voluntas & potentia principis cognoscitur, non est hoc ipso imago principis: legati non sunt regum imagines. 3. Peccat in eo Socinus, quod ex hypostasi hac præcepta & promissa cudit Euangelica, cum Apostolus simpliciter dixerit subsistentiæ ipsius, cum dicitur ille est res subsistens, sine vllo additamento, non intelligam, nisi desipere velim, eum decretum aliquod fecisse, de re aliquâ dandâ aut faciendâ, & me ad id præstandum potentiam habere, sed intelligam id naturâ & revera subsistens: tutius ergo simplicem verbi divini ductum sequi, quam ad glossas tam longè petitas confugere. 4. Et profecto per sententiam istam, quâ Filius dicitur essentialis splendor, & substantialis imago Patris; dignitati horum verborum, in quibus incomparabilem Filij Dei excellentiam, tam graphicè descriptam habemus, satisfit; non verò per istam Socini, per quam commune redditur hoc, in quo proprius & incommunicabilis Christi honor situs est; sic enim etiam Apostoli splẽdor gloriæ & character hypostasis Dei, vbi enim Deus nobis, quoad salvificam cognitionem,

nem, ſe magis & plenius aſpiciendum exhibuit, quam in diviniſſimâ illâ Epiſtola ad Rom. & hac ad Hebr. quas ab Apoſtolis accepimus? Socinus qui alienas excogitavit rationes, propter quas Jeſus Chriſtus propriè Servator noſter dicatur, ſublatis veris primam in eo ponit lib. prim. de Servat. cap. 2, quod ſalutis viam nobis anuntiavit, & cum iſtam inde difficultatem enaſci videret, ita diſſolvere conatus eſt. Verba ejus ſic ſonant.

Is propriè aliquid annuntiare dicitur, qui primus aliquid novum verbis affert, aut patefacit, quique ſolus ab initio ad ejuſmodi munus obeundem delectus eſt, cuique cæteros deligendi, qui ab eo edocti, ejus vice ac nomine, idem deinde munus obeunt, eſt data authoritas, talis autem eſt Chriſtus. At qui poſtea idem afferunt quidem, vel patefaciunt, ſed nomine & vice illius qui eos edocuit, & authoritate ſibi traditâ huic muneri deſtinavit, minus propriè anuntiare dicuntur; tales ſunt Apoſtoli & cæteri Ieſu Chriſti Diſcipuli.

Reſp. Nulla ratio evincit, hæc omnia requiri, vt quis propriâ ratione dicatur aliquid anuntiaſſe; nam ſi plures nuntij novi aliquid habeant ab vno nuntio, ab eo ſint edocti, & ejus vice ac nomine idem obeant, & divulgent, quod à primo nuntio acceperunt, propriè nihilominus anuntiare dicuntur: quod ni concedat Socinus, ne Chriſtus quidem anuntiavit propriè, nam illi primũ hoc arcanũ à Deo fuit revelatũ, vt Apoſtolis à Chriſto, & vice ac nomine Dei & Patris ſui idem munus obijt, ad quod nulla illi per naturam authoritas, ſed tota ex gratioſo

Dei

Dei Patris dono derivata: ita ergo Apostoli effulgentia gloriæ Dei & character hypostasis ejus; ipsis enim Deus voluntatem & potentiam revelavit suam, eamque alijs ob oculos posuit: nam si patefactio illa duplex, causa istius denominationis, ad rem non facit, sive alicui primò contingat, sive non; sive refulgentia mediata sit, sive immediata. Hinc efficitur necesse esse ad tutandam propheticam Christi dignitatem in revelatione mysteriorum Dei, pro fundamento ponere, esse Filium Dei per naturam, & vt ratione propriâ ipsi Deum nobis conspiciendum exhibeat, sit imago Dei substantialis, quæ in carnata deducit nos ad incomprehensibilem Dei cognitionem. Unde Tertullianus contra Praxeam, *Vicarium se Patris ostenderat, per quem Pater & videretur in factis, & audiretur in verbis, & cognosceretur in Filio, facta & verba Patris administrante quia invisibilis Pater.*

Ex hisce sic dictis de loco ad Corinth. 2. Cor.4.v.4.& Col.1.v.15. judicium fiat. Quod verò hîc ait Socinus, non substantiæ Dei sed tantùm voluntatis ac potentiæ cognitionem, attinere ad salutem nostram, ita crudè & illimitatè enuntiatum, non est verum: quod quia adversarius simpliciter affirmat, nos negare illud contenti erimus, quia hoc disputare non est præsentis argumenti.

Sequitur jam alterum membrum exceptionis Socini, ad quintam rationem, in quo disceptat, de titulo naturalis & adoptivi.

Socin. pag. 217. Socinus. *Dico igitur naturalem Filium, hîc secundum ipsorum adversariorum verba, opponi adoptivo*

ptivo sive ascititio Filio, id est ei, qui, cum aliquando non esset Filius, postea ex gratiâ & beneficio factus est Filius: ergo qui Filius natus est, & Filius semper fuit, is profectò adoptivus sive ascititius Filius non erit, & consequenter erit naturalis Filius, nam quid alioqui etiam naturalis est, quàm naturâ suâ talis, id est natus talis? hinc apparet adversariorum error, qui sibi ipsis contradicentes & oppositionem adoptivi & naturalis, quam ipsimet statuunt, minimè servantes, progrediente disputatione, naturalem Filium eum tantum intelligunt, qui ejusdem naturæ atque essentiæ omnino sit, cujus est Pater: & Bellarminus hîc satis apertè negat, Christum fore verum, ac naturalem Dei Filium, nisi sit ex Dei substantiâ genitus. Et, cum manifestè vt in alijs etiam quæstionibus fit, gratiæ naturam in hac quæstione opponant tamen postea, non quidem naturam, sed necessitatem quandam videntur gratiæ opponere, dum concludunt Christum gratiâ fore Dei Filium nisi sit ex Dei substantiâ genitus.

Resp. Filius naturalis est, qui ex substantiâ parentum genitus est. Sic jurisconsultis libri naturales tantùm sunt, qui ex nullis penitus nuptijs justis vel injustis, sed ex quasi soluto legibus commercio nati sunt; sic dicti, quia naturali conjunctione, ac velut conniventibus legumlatoribus, nascuntur. Naturales liberi opponuntur adoptivis, hinc adoptare est, alienum sibi adsciscere in Filium: sic Moses a filiâ Pharaonis adoptatus, & Theseus ab Regeo: vnde & nomen sortitus est; Græci enim thesin appellant adoptionem, vt Plutarchus in Theseo; hinc in sacris vox υἱοθεσίας, cum de gratiosâ

nostri,

nostri, in Dei filios adoptione, agitur: jurisconsultis etiam adoptio nomen generale est, nihil aliud significans, quàm gratuitam quandam electionem alicujus in filium. Quia verò homines, ab hominibus non sunt, nisi per generationem; hinc necesse est, quòd, qui adoptantur ab hominibus, prius naturales aliorum filij sint, nam potestas creandi aut producendi eos, quos adoptant in filios, deest illis, quæ si adesset, possent non alienos tantùm, hoc est ab alijs natos adoptare, sed & creatos & productos à se adoptare: nam hoc tantùm de intrinseco conceptu filij adoptivi est, vt non sit per naturalem generationem ex substantiâ parentum filius, sed per gratuitam electionem adoptantis: consequenter filium adoptatum aliquando non fuisse Filium, adoptioni non essentiale, sed accidentarium est: nec qui filius adoptatus est, necesse est vt prioritate temporis, prius sit filius naturalis: ergo & angeli filij adoptivi quamvis creati Filij, & non malè locutus Bellarm. & vnâ cum ipso Wiekus, cum angelos Dei Filios adoptivos nominârunt, sed potius Socinus, qui satis inconsideratè hoc negat.

Nihilo plus valet, quod ibidem dicit; *propriè loquendo, ne homines quidem ipsi, qui Dei filij adoptivi, filij dici debent, quamvis nec nati sint ab initio, nec creati Dei filij, adoptivus enim filius is est, qui pro filio quidem habetur, sed tamen revera non est filius: atqui homines qui Dei filij sunt, aut dicuntur, præsertim Christiani, revera sunt filij Dei, vt quidem filios Deus generat: propterea eos genuisse Deus dicitur.*

Resp.

Resp. Adoptivum esse filium, qui pro filio quidem habetur, sed non est filius naturalis; ideoque propriè loquendo, homines qui Dei filij sunt adoptivi filij dici debent: adoptivus enim filius is est, qui pro filio quidem habetur, sed tamen revera naturalis filius non est: quod autem filij adoptivi, gratiâ regenerationis, etiam sunt filij, hoc ipsum essentialem adoptionis formam nec tollit, nec vitiat; sed ex gratiâ adoptionis fluit, & beneficium est in gratiosâ illâ adoptione comprehensum: sic in humanis, quem adoptat Pater bonus, ad virtutem format & formari curat; nemo tamen propterea, nisi insulsè, dixerit, eum filium propriè adoptivum filium non esse.

Per hanc veram naturalis & adoptivi filij tum descriptionem tum distinctionem, patet similiter erroneum hoc esse: *qui filius natus & filius semper fuit, is adoptivus filius non erit*: nam hoc absque limitatione non est verum; naturalis enim non est, nisi natus ex substantiâ ejus, cujus naturalis filius est & dicitur per veram & propriam generationem; ideoque non adversariorum contradictio aut error hîc est, sed Socini, qui naturalem filium intelligit eum, qui ejusdem naturæ atque essentiæ omnino non est, cujus est Pater. Distinctionem gratiæ & naturæ in subjectâ materiâ generationis Filij Dei observamus religiosè, & si hoc statuatur narurali generationi Filij Dei peculiare esse, quod sit ex substantiâ Patris necessariò genitus; gratia nihilominus necessariæ & naturali Filij Dei generationi non opponitur, quâ necessaria est, sed

Socin. pag. 217.

quâ naturalis: illam verò distinctionem negligit Socin. quam minimè negligere debuit: nam filium Dei, qui ex gratiâ natus est filius hominis, propter istam causam, naturalem Dei Filium vocat: rursum naturalem filium, vocat Dei Filium, qui tamen ex Patris sui substantiâ est, vt jam audiemus.

Socin. pag. 218. Sic enim progreditur adversarius. *Dico igitur, Christum meritò dici posse Dei Filium naturalem, quia natus est Dei Filius, tametsi ex ipsâ Dei substantiâ non fuerit generatus, natum autem illum fuisse Dei Filium, aliâ ratione, quam per generationem ex ipsius Dei substantiâ, probant angeli verba Luc. 1. v. 55.* Idem Socin. plenius & apertius exponens, quomodo Dei virtus, in Christo homine in Mariæ virginis vtero formando, seminis viri, vel potius viri ipsius vicem suppleverit; sic ait: *Nec sanè consequitur, quia Christus homo in virginis vtero, ex ipsâ Dei substantiâ non sit genitus, idcirco ex solâ virginis substantiâ eum fuisse generatum: nec Mennonitis danda est occasio ejusmodi malè conclusis rationibus, in suo errore perseverandi. Sed quemadmodum vrgendum est, Christum hominem ex virgine matre, non minus sumpsisse, quàm alij homines ex matribus suis sumant: sumere autem ex ipsis sacris Literis, & physicis etiam, si opus sit, rationibus demonstrandum: sic non est negandum Dei virtutem in virginis vterum substantiam aliquam creatã immisisse, aut ibi creasse, ex quo Christus, juncto eo, quod ex ipsius virginis substantiâ sumpsit, verus homo generatus fuerit: qui propterea vt homo, non matrem tantùm, nempe virginem ipsam habuerit; sed patrem quoq; nẽpe ipsum Deum.*

Resp.

Reſp. De verbis angeli, & hac confictâ filiationis ratione copiosè actum in examine quintæ rationis, propter quam Socin. Dei Filius vnigenitus Dei Filius: iſta verò producendi ratio, poſito quod vera eſſet, nullo modo Chriſtum Filium Dei naturalem faceret, cum ſic productus, non ſit ex Dei ſubſtantiâ genitus, ſed ex ſubſtantiâ à Deo creatâ productus, quod evertit veritatem naturalis generationis, in quâ omne generatum de ſubſtantiâ generantis: & hic filiationis modus, Filium Dei ſupra angelos, qui creati ex nihilo, aut primos homines, quorum vnus de terrâ formatus, alter ex coſtâ viri, non attollit: nam ex nihilo formare angelos, nobiliſſimas eſſentias, hominem de luto aut coſtâ formare, majus omnipotentiæ divinæ opus, quam hominem ex virgine producere: in quâ naturæ vigor eſt ad generandum. Accedit quod mera ſit aſſeverandi audacia in Socino & ſuis, dicere creatã eſſe à Deo in vtero virginis ſubſtantiam, aut creatam imminiſſam eſſe, ex quâ juncto eo, quod ex virginis ſubſtantiâ ſumpſit, Chriſtus homo formatus ſit. Prophetæ & Apoſtoli vno ore, hîc nonniſi ſeminis Abrahami, Iſaaci, Iacobi, Davidis &c. meminerunt: hinc tamen aliud Euangelium nobis anuntiat, de materiâ creata aut immiſſa à Deo, hoc ſolo tibicine nixus, quod virgo conceptura dicitur, quia Sp. S. superveniret, & virtus altiſſimi inumbraret; cum hoc nihil aliud, quàm quod virginis ſubſtantia ſit ſanctificata, eidemque vis plaſtica indita. Hactenus de quintâ ratione.

Sexta ratio eſt, quam impugnandam ſibi ſu-

mit: quod videlicet talis Dei Filius ſit Chriſtus, vt angeli præ ipſo appellentur ſervi: qui tamen alioqui ſunt filij adoptivi.

Socin. pag. 228. Reſpondet Socinus, in hac ratione pro conceſſo ſumi, nullum eſſe Dei filium, niſi vel adoptivum; vel ex ipſius Dei ſubſtantiâ genitum, quod tamen falſum eſſe, in ipſâ Chriſti perſonâ ſuprà demonſtratum eſt.

Antitheſis, nullus eſt Dei Filius, niſi vel adoptivus, vel ex ipſius Dei ſubſtantiâ genitus, quod verum eſſe ſuprà demonſtratum eſt.

Socin. pag. 229. Progredimur ad vltimam & ſeptimam rationem, quæ ſic habet. Quod Chriſtus propterea fuit à Iudæis accuſatus, quod ſe faceret Dei Filium; non fuit autem accuſatus, quod ſe faceret Filium Dei non proprium, ſeu adoptivum; ipſi ſiquidem Iudæi ſe tales Dei Filios appellabant, qui etiam legis ſuæ meminerunt, ſecundum quam mori deberet, quia Filium Dei ſe feciſſet. Hanc autem accuſationem Chriſtus non deluit, ſed vt veram admiſit: & in iſtâ confeſſione, quod nimirum eſſet talis Dei filius, qualem ſe eum feciſſe Iudæi dicebant, mortuus eſt.

Socinus duplicem reſponſionem adfert; vnam ad illam Iudæorum accuſationem, quod ſe faceret & diceret Filium Dei. Summa reſponſionis eſt, *Filium Dei eſſe idem eſſe re & ratione, quod Chriſtum.* Secundò tractat de lege illâ, quam Iudæi vrgebant apud Pilatum adverſus Chriſtum, ex eâ nihil concludi ait, quam Jeſum ſe dixiſſe, & feciſſe Chriſtum.

Soci. pag. 230. 231. Prima reſponſio proponitur pag. 230. 231.

Hanc

Hanc ſic exorditur : *ex iſtâ ratione , nihil aliud concludi poteſt , quàm Chriſtum ſe feciſſe ſingularem quendam Dei Filium : iſtud autem nos conſtanter agnoſcimus & confitemur.*

Reſp. Qualis ſit illa ſingularitas , jam ſæpè eſt inculcatum : Filium Dei aliâ ratione ſingularem Dei Filium eſſe, hinc concludi poteſt : & hoc eſt illud ipſum , quod Chriſtianus orbis , in ſinceritate fidei perſiſtens , ſemper & conſtanter agnovit, & confeſſus eſt , & adhuc per Dei Patris & Filij ejus gratiam agnoſcit & confitetur.

Pergit Socinus. *Iam ſi quis diligenter inſpiciat factam ad Chriſtum à Caipha & alijs Iudæis interrogationem, an eſſet Dei Filius, intelligit omnino, aliud nihil eos , Filij Dei , & quidem ſingularis cujuſdam Filij Dei nomine, intellexiſſe quàm Chriſtum: apud Mat. enim cap. 26. v. 63. & Marc. 14. v. 61. Caiphas illum interrogat,* an ſit Chriſtus ille Dei, ſeu benedicti Filius? *eſt enim in Græco adhibitus articulus ad nomen Filius , qui ſingularem iſtum Dei Filium omnino declarat. Hunc autem eundem eſſe cum Chriſto, ſeu, qui Chriſtus eſt, eum eſſe ſingularem iſtum Dei Filium, ipſa interrogationis verba manifeſtè docent, ex quibus conſtat unicam eſſe interrogationem, & verba illa,* ille Dei Filius, *fuiſſe adhibita , ad magis declarandam illius, qui Chriſtus ſit, dignitatem atque præſtantiam : non autem ad aliquid addendum, quod Chriſti appellatio per ſe non complectatur : hoc amplius probat ex loco Ioh. 20. v. 31. & ex hoc loco Mat. 16. v. 16. quibus æquipollent Marc. 8. v. 29. Luc. 9. v. 20. ubi nihil amplius habetur , quàm* tu es Chriſtus

Dei. Luc.22.v. 67. cum prius eum interrogassent an esset Christus, & ille ita respōdisset, vt appareret eum fateri se esse: denuo illum interrogant, & quodammodo confessionem jam ab ipso factam illi exprobrāt, dicētes omnes, tu ergo es ille Filius Dei? *idem inquit, colligitur ex confessione Nathanielis Ioh. 1. v. 49.* Summa huc redit, Christum esse, & Dei Filium esse, synonyma esse sive ἰσοδυναμοῦντα, vt loquitur Philosophus 3. Rhet. cap.2. Respondetur articulum illum præpositivum ὁ non semper ἐξοχὴν denotare, aut designativum rei alicujus esse. Socinus fatetur cum scribit pag. 62. tractans classis primæ argumentum primum, vbi verba ejus sunt. Articulum Græcè scribens apposuit, non vt intelligeretur, eum Christi nomen in potiore significatione accipere, id est, ita vt ipse tantùm Jesus Christus intelligi deberet; sed potius, ne quis de ipso tantùm Christo Jesu eum loqui suspicaretur. Is enim Christi simplici nomine, sine vllo articulo, tanquam si proprium ejus nomen esset, sæpissimè significatur. Dico itaque, non necesse esse, statuere articulum præpositivum singularitatem Filij Dei, inter omnes Dei filios expressisse, nihil prohibet simpliciter legere, Filius Dei: sic enim Filius Dei, Dominus noster Jesus Christus, sæpissimè est appellatus, vt ostendi suprà in quarto argumento confirmationis sententiæ orthodoxæ, contra sextam evasionem Socini, ad titulum *vnigeniti.* Vox Dei sine articulo sæpe summum Deum notat, cum articulo, alios. Rogat Pontifex maximus Marc. 14. vers.61. *tu ne Christus filius ille* τοῦ εὐλογητοῦ, non tamen Iudæi

plures

plures vno Deos benedictos agnoscebant. Iudæi sine articulo, hoc Christo impegerunt Ioh. 19. v. 7, & Christus respondens, ad objectum hoc tanquam blasphemiæ crimen; dixit sine articulo, *quia dixi Filius Dei sum.* Ioh. 10. vers. 37. Non sequitur ergo, ex istius articuli additamento, credidisse Iudæos, Dei Filium esse rem falsam & imaginariam, vt malè ex hujus articuli vi conclusit Socin. pag. 233. vt in secundæ responsionis examine, hoc magis planum faciemus.

Secundò dico, & si Dei Filium esse & Christum esse, vnius & ejusdem suppositi sit, ex rei veritate, & termini affirmativè & negativè sint convertibiles, sunt tamen res distinctæ. Nam Dei Filius nomen personæ est; Christus officij. Dei Filius est per divinam generationem ab æterno; Christus factus in tempore ex ordinatione & promissione Dei: dignitas personæ, basis est dignitatis officij: personam enim Filij Dei tantæ dignitati præfici decuit, vnde pontificatum collatum illi legimus, ab eo qui dixerat ei, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, Heb. 5. v. 5. dices, hoc illud est quod controvertitur, hæc distinguenda & sic distinguenda esse: sic ergo thesin istam verissimam demonstro, quæ fixa trabali clavo verbi Dei, corruent illa, quibus hîc tenebras luci offudit Socinus, hæc confundens.

Primò itaque, hæc re & ratione distinguenda esse, probatur ex rationibus allatis supra ad refutationem quintæ evasionis, quò lectorem remittimus.

Secundò probatur, quia Christus, eo sensu,

erat Filius Dei, ex rei veritate & judicio suo, quo sensu Iudæi, tanquam crimen blasphemiæ illi hoc impingebant : hæc agnoscit adversarius, in ratiocinationibus suis, super hac re factis. Syllogismus talis sit. Si Christus eo sensu Dei Filius, quo Iudæi illi, tanquam crimen hoc impingebant, tum verba sunt quæ dixi de distinctione, quæ est inter esse Filium, & esse Christum. At verum prius, ergo & posterius. Negat majoris consequentiam adversarius, qui vult ex mente Iudæorum, nihil aliud esse Filium Dei esse, quam Christum esse, & vnam non duas quæstiones revera istis verbis esse motas. Hic ergo pes figendus. Dico itaque ex mente Iudæorum hæc Christo obijcientium distinguenda esse : quod probatur primò ex appropriato titulo Filij Dei, seu, quod idem est, à parte rei, ex eo, quod Deum diceret πατέρα ἴδιον, ex eo judicârunt Iudæi, æqualitatem induci inter eum & Patrem : ex quo efficitur credidisse Iudæos, per Filium Dei talem intelligendum, qui cum Patre Deus esset vnus : nam non intellexerunt æqualem Deo in sensu Sociniano, nunquam enim talem crediderunt Iudæi Dei Filium fore. Nec Iudæi infideles, odio Christi excæcati, eo sensu existimant, Christum se Dei Filium dixisse. Dico ergo hinc liquere, Iudæos hæc distinxisse : nam Dei Filium esse, illis est Deo æqualem esse : at Messiam esse, non est Deo æqualem esse, ex mente Iudæorum hoc obijcientium. Porro Iudæi, qui tum temporis erant, aut credebant, & existimabant aliquem esse Filium, qui cum ipso Deo Deus esset, aut

non

non credebant. Nullum talem esse Filium credebant Iudæi, vt vult Socin. pag. 233. cujus verba sunt; *nec sane, vt arbitror, vnquam probabunt, aut verisimile efficient adversarij, Iudaos de aliquo Dei Filio, ex substantiâ ipsius Dei generato vel cogitasse quidem, nedum persuasos fuisse.* Sic Socinus: hinc argumentor ergo, si nullum existimabant in rerum naturâ talem Dei Filium, hoc est aliquem Patri æqualem, vt ipsi Iudæi interpretantur hoc esse filium, ergo ex mente Iudæorum distincta sunt, filium Dei esse & Christum esse; nam filius Dei sic conceptus erat illis figmentum: at Christus revera futurus ipsis; ergo hæc distinguuntur: nam sic filium esse Iudæis, est ens rationis merum & imaginarium: at Messiam & Christum esse, aut futurum esse, hoc verissimum Iudæis.

Secundò probatur consequentia syllogismi à nobis facti ex loco Ioh. 10. vers. 33. vbi dicunt Iudæi: *ob bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam, id est, quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum:* hoc crimen blasphemiæ objectabant Iudæi, quia Deum hic aliquoties nominaverat Patrem suum vers. 29. *se & Patrem vnum esse*, hoc est, quia se filium Dei profitebatur, quod præter alia satis indicat sermo Christi: quo impactum sibi falsò crimen blasphemiæ amolitur, concludens se non blasphemasse, sed confessionem verissimam edidisse: *vos dicitis blasphemare, quia dixi Filius Dei sum*: hinc sic argumentor: Messias est homo ex mente Iudæorum, hæc propositio Iudæis tum temporis certissima, Messiam fore hominem: Dei filius

non eſt homo ex mente Iudæorum: nam iſta duo Iudæis ſunt incompatibila, Dei Filium eſſe & hominem eſſe: ergo Dei Filius non eſt, nec erit Meſsias ex mente Iudæorum: voluerunt Iudęi Chriſtum lapidare, quod cum homo eſſet, ſe Deum, ſeu Dei Filium feciſſet: ergo hæc multum ſecundum Iudæos diſtinguuntur; ſive exiſtimârint aliquem eſſe Dei Filium, ſive ſecus.

Hinc ulterius efficitur, Filium Dei non dixiſſe, ſe Dei Filium, ex mente Socini, neque Iudæos doctrinam de divinitate Chriſti ſic apprehendiſſe, vt Sociniani apprehendunt: nam ex mente Iudęorum hęc valde pugnant: hominem eſse, & Dei Filium eſse: at ſi ex mente Socini hoc eſse Filium explicemus, perit hîc omnis difficultas: nam ſi Dei filium eſse idem eſt, quod Chriſtum & regem Iſraelis eſse, quam ſpeciem habet obiectio, *Tu cum homo ſis, &c.* an hîc aliqua abſurditatis ſpecies? nulla profecto. Nihil enim convenientius, nec magis neceſsarium Chriſto regi, quàm hominem eſse: tu cum homo ſis, dicis te ſanctum, ſapientem: quę hîc rationi Iudaïcę difficultas oboriri potuit? nulla ſane. Tu cum homo ſis, dicis te ex virgine natum: an Iudęi, niſi prorſus deliri, ſic objectare potuiſsent? cui enim mirum eſse poteſt, hominem eſse eum, qui ex virgine natus eſt? ſic nec hominem ex mortuis reſurgere & beatâ immortalitate donari, vllo modo cuiquam mortalium mirum eſse poteſt; imò nemo eſt qui neſciat, hoc prorſus ad illud neceſsarium eſse.

Tertiò dico, hęc diſtinguenda eſse, Chriſtum eſse

esse, & Dei filium esse; nam hoc notârunt Iudæi crimen capite plectendum, quod filium Dei se fecerat Joh. 19. v. 7: Pilatum verò eo argumento adegerunt ad sententiam condemnatoriam, quod se regem fecisset: istam confessionem blasphemam judicârunt Iudæi, quod se Dei filium profiteretur, hanc inprimis calculo nigro notaverunt, & promptissimè, ob istam confessionis partem, vnanimi consensu sententiam condemnatoriam in illum tulerunt Luc. 22. v. 70. Et si ergo Iudæi, nunc hanc, nunc illam confessionis partem, nunc totam Christo opposuerunt promiscue, non sequitur tamen hæc vnum & idem esse, nam Christus vt erat vtrumque, sic se & Dei filium & Christum profitebatur.

Hæc de primâ adversarij responsione ad rationem septimam; sequitur altera. Hanc sic proponit pag. 231. *Iam quod ad legem attinet, quam Iudæi se habere dicebant, secundum quā Iesus mori deberet, quia Filium Dei se fecerat; non est intelligendum legem istam, vt fortaße adversarij putant, fuisse eam quâ morte plectebantur, qui ad alienos deos adorandos populum hortabantur, quasi Christus hoc fecisset, prædicans se Filium Dei, quia scilicet ex ipsâ Dei substantiâ genitum se dixisset, atq; hac ratione se Deum fecisset: nimis enim longe petita fuisset ista accusatio, præsertim cum Christus ad vnum illum Deum Israelis omnia referret.*

Resp. Concedi posse Iudęos non respexisse ad legem illam Deut. 13. v. 2. quamquam id ex allatâ à Socino ratione non concludatur. Nam nihil prohibet, Deum alienū, referre divinitatē

suam

ſuam ad Deum illum vnum. Pontificij ſanctorum cultus & honores ad Deum illum vnum referunt : & Papa Romanus omnem poteſtatem à Chriſto in ſe derivatam dicit. Quid? hęc ipſa erat Iudæorum accuſatio, quod ita ſe Deum diceret, vt ſe Dei filium, & Deum Patrem ſuum agnoſceret, tantum abeſt ergo, vt relatio illa ex opinione Iudæorum, objectum alieni Dei crimen refellere potuiſſet; vt illa ipſa ſit cauſa juſtiſſimæ accuſationis, vt quidem arbitrantur Iudæi.

Poſt hanc legem profert alteram, ad quam reſpexiſſe putat Iudæos, quæ ſcripta extat Deut. 18. v. 20. *Propheta qui arrogantia depravatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, vt diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur*: ſumma eorum quæ amplius adfert vt legem hanc applicet, eſt, Chriſtum reum mortis eſſe Iudæorum opinione, quia ſe falsò dicebat Chriſtum eſſe, quod illi à Deo minimè præceptum.

Socin. pag. 232.

Reſp. Hanc legem ſtatui etiam poſſe Levit. 24. v. 14: collatio enim legis & criminum & ſententiæ Iudæorum, apertum videtur facere, eos eò reſpexiſſe. 2. Eſto reſpexerint ad legem illam Deut. 18. (quod non malè affirmatur) reũ tamen Chriſtum pronuntiant ex vi legis illius, non quia ſe Chriſtum, ſed Dei filium dixiſſet.

Tertiò ait, *potuiſſe Iudæos falſò jactare illam legem; aut non fuiſſe expreſſam legem; ſed à Patribus datam ex interpretatione verborum Moſis, & in ſpecie conſtitutam in eum, qui ſe Chriſtum prædicâſſet.*

Reſp.

Resp. Esto, falsò jactaverint Iudæi legem illam,& sit lex Patrum, non lex Mosis expressa; manebit tamen hoc, filium Dei esse, & Christum esse, in Christo distinguenda esse,vt dixi. 2. Non falsò jactaverunt Iudæi se legem habere,adversus blasphemos Pseudoprophetas &c. Erat lex illa expressa, & si qua lex fuit,constituta specialiter in eum, qui Messiam se falsò prædicaret: lex tamen illa, secundum quam agunt adversus Christum, quatenus se Dei filium fecit,ab illâ lege distinguenda est.

Ex hisce sic positis,deducit Socinus hoc consectarium, *eos non simpliciter ob id, quod talem se quis vocâsset,illum dignum morte censuisse,sed quia falsò vocasset*.

Resp. Per antithesin,ex hisce sic positis à nobis,sequitur eos simpliciter, ob id quod se Dei filium diceret, dignum morte censuisse: non poterat enim,qui homo erat,vt opinabantur Iudæi,sine falsitate,se Dei filium vocare.

Mox alterum apponit consectarium: *adversarios vehementer falli,si vt quidem omnino videntur,existimant,Christum propterea accusatum fuisse à Iudæis, quod se Dei Filium fecisset,quia id videlicet dixisset de se,quod fieri nullo modo poterat,vt quidem ipsis videbatur.*

Resp. Hoc non est mirum, vt quis sibi tribuat ea,quæ ei competere posse, adversarius judicat impossibile esse: Iudæi Christum de eo accusabant,quod se Christum diceret,& tamen nullo modo fieri posse putabant, vt talis,qualis ille erat, Christus esset, sicut Iudæi istâ opinione excæcati sunt, & manent vsque in hodier-

num

num diem. Dices, judicant hoc quidem impossibile esse, ut Iesus noster Messias sit; non tamen absolutè Messiam esse: sed neque hoc novum est, ut quis accusetur de eo, quod accusans nullo modo esse posse, persuasissimum habet. Adversarius nobiscum in Pontificijs reprehendit dogma transsubstantiationis, quod tamen sic se habere nullo modo posse credit. Quin tu Socine, Christianum orbem de hoc ipso accusas, quod credat Iesum Christum Patri ὁμοούσιον esse, quod fieri nullo modo posse, tibi & Racoviensibus tuis videtur. Denique non est certum, quod adversarius præsupponit tanquam certũ: nam etsi credebant, eum qui homo est, Deum aut Dei filium esse non posse, non sequitur credidisse simpliciter aut absolutè, Deum non habere filium.

Socin. pag. 233. Posthęc sequitur *nunqnam probaturos, aut verisimile effecturos adversarios, Iudæos de aliquo Dei Filio, ex substantiâ ipsius Dei generato vel cogitasse, nedum persuasos fuisse, quod tamen necesse esse dicit, si nomen Filij Dei, quod Christum sibi arrogasse dicebant, & propterea illum accusabant, istam generationem ex ipsâ Dei substantiâ, apud ipsos significasset, propter id, vt putat, quod dixit de articulo illo, qui omnino demonstrat, Iudæos ipsum Dei Filium, quem se faciebat Christus, minimè rem falsam aut imaginariam esse, existimaße, sed de eo aliquando extituro persuasissimum fuisse.*

Resp. Ad quęstionem propositam, pro nobis concludendam, non requiritur istius probatio: probandum nobis erat, distingui illa, Christum esse & Dei filium esse, & Iudęos intellexisse,

quod

quod Filium Dei diceret se ita vt Deus esset, ac proinde quod naturalis Dei Filius, in sensu orthodoxo: ad istam Iudęorum accusationem, non est necesse, eos vel cogitâsse vel credidisse, esse talem Dei Filium: nam sive crediderint sive nō crediderint, ad istam accusationem non facit; ideoque ejus probatio immeritò à nobis in hac controversiâ requiritur: ratio propter quam adversarius existimat, sic statuendū esse, nulla est: nam articulus aliquando additus, aliquando omissus, etiam tum, vbi legem vrgent Iudæi, & quando additur, vim istiusmodi designandi ei non inesse suprà demonstratū est, vt inde concludi posset, existimâsse Iudæos, ipsum Dei Filium, rem falsam, aut imaginariam non esse.

Concludo itaque contra Socinum: cum Christus se Dei Filium professus sit, in istâ confessione, quod ex Dei substantiâ esset genitus, mortuum esse.

Hactenus tractata minor Syllogesmi, formati ex loco primo classis tertiæ, in quâ tractatione, tum rerum tractādarum copia & dignitas, tum necessitas & materię gravitas prolixiores nos esse coegit. Dixi, etsi in enervandâ assumptione potissimū desudet adversarius; majoris tamen consequentiam prorsus intactam non relinqui. Sic enim adversus majorem excipit. *Posito quod Christus genitus sit ex substantiâ Dei Patris, nō tamen sequitur, eum esse unum & eundem Deū cum Patre: ut enim hoc sequitur, necesse est, vt in generatione totam & eandem numero substantiā Patris acceperit. Hoc autem, cum omnino alia sit persona Patris, alia Filij, nullo pacto fieri posse supra breviter docuimus.* Socin. pag. 234.

Resp.

Resp. De his visum supra, in primâ objectione contra minorem primi argumenti tertiæ classis, vt & de ijs, quæ hic subjungit, de multiplicatione essentiæ, ejusdemque partitione. Tantùm hîc nonnihil annotabo ad id, quod movet de partitione essentiæ: sic enim ait: *si statuatur, Christum ex Dei substantiâ fuisse genitum, portionem ex Dei Patris substantiâ derivatam fuisse, ex quâ Christus constet: quemadmodum ex antiquioribus Theologis Christianis, Tertullianus, Lactantius & alij sensisse videntur.*

Tertullianus religiosè fidem Dei vnius, in trinitate personarum coluit, quod ad rem ipsam attinet: nec duos Deos credidit, sed vnum: nec negavit Patris & Filij essentiam vnam & eandem esse. Quia verò Socinus mentionem facit, de portione ex Dei Patris substantiâ derivatâ, videtur respexisse ad locum illum Tertulliani contra Praxeam. *Pater enim tota substantia est, Filius verò derivatio totius & portio.* Tertulliani verba durè quidem sonant in auribus hujus ævi, sed ex mente authoris commodè & sanè sunt interpretanda. Nam mens Tertulliani non est, essentiam sectilem in partes esse (sic enim Filius ex parte Deus esset) aut Patri decessisse divinitatis partem, per istam derivationem totius; nec voluit eo inducere Tertull. duos Deos essentiâ numericâ distinctos. Restat ergo, quod sic locutus, ratione personalis originis, & quia Pater fons & principium personarum. Et propter hanc personalem derivationem, addidit ibi & hæc verba, *quia Pater major me est.* Mox post hæc verba, *Pater alius à Filio,*

dum Filio major; dum alius, qui generat, alius qui generatur : & ante hæc verba ſatis ſeipſum interpretatur : ita inquit, *trinitas per conſertos & connexos gradus, à Patre decurrens, & monarchiæ nihil obſtrepit, & οἰκονομίας ſtatum protegit*, hic vnitatem Dei, ſub voce vnici imperij indicavit, & ſub œconomiæ ſtatu pluralitatem perſonarum. Sic pag. 405. edit. Baſil. *quaſi non ſic quoque vnus ſit omnia, dum ex vno omnia, per ſubſtantiæ ſcilicet vnitatem, & nihilominus cuſtodiatur οἰκονομίας ſacramentum, quæ vnitatem in Trinitatem diſponit.* Hoc in Tertulliano perpetuum, quod dictionis duriores difficultate & obſcuritate quadam ſit involutus : decet ergo hæc & alia quædam, commodius quàm ſonant interpretari, & condonare nonnihil vetuſtati : nam ante hunc apud Latinos, nemo hoc argumentum tractavit; ideoque non tam ad vocabulorum ſonos, quam ad rerum ſenſus, attendere oportet. Lactantium hîc etiam citat, ac ſi & illi bipartitus Deus fuerit : ſed nihil facilius, quàm innoxijs labem hęreſios aſpergere. Tranſylvani, qui patrocinium aliquod erroris ſui ſtudioſè ex Patribus conquiſiviſſe videntur, nihil apud Bellarminum, vbi de Patrum authoritatibus, in hoc argumento diſceptat, ni fallor, profeſerunt ex Lactantio; quem tamen cauſę ſuæ patronum invenit Socinus. Is ergo lib. quart. divin. inſtit. qui de verâ ſapientiâ inſcribitur, docet, *quod Deus creator omnium omnipotentem genuit filium, & per eum creavit vniverſa:* ſic enim titulus & argumentum capitis habet, & mox in initio cap. *Deus igitur machinator, conſtitutorque*

verum, ſicuti in ſecundo libro diximus, antequam præclarum hoc opus mundi adoriretur, ſanctum, & incorruptibilem, & incomprehenſibilem Spiritum genuit, quem filium nuncupârunt. Sic cap. ſeptim. ejuſdem libri, bis natum docet, *æternaliter de Patre temporaliter de virgine*, nihil hîc aut alibi, ex quo ſuſpicari poſſimus, tam craſsè philoſophatum de Deo Lactantium: immeritò ergo carbone hîc notatus.

Antequam autem Socinus, hanc diſputationem ſuam, ſuper hoc loco primo claſſis tertiæ, concludat, viſum illi fuit, hoc telum generationis ex ipſâ Dei ſubſtantiâ in nos retorquere; hoc pacto. *Nemo ſui ipſius filius eſſe poteſt, quare ſi Chriſtus eſt vnius illius veri Dei Filius, nequit vllo pacto fieri, vt ipſe Chriſtus ſit ille vnus verus Deus*: ſed de hac retorſione minus, quàm de ranis paluſtribus laboratur: nam falſum eſt, Chriſtum ſui ipſius Filium eſſe. Nec Chriſtus eſt Filius unius Dei abſolutè ſumpti ſed relativè, nempe Patris; & cum omnis filius ejus ſit naturæ cujus eſt Pater, neceſſe eſt & hunc filium Deum eſſe, cum Pater ejus Deus ſit. Ait *hoc argumento Ignatium fuiſſe vſum, aut quisquis fuit auctor illius epiſtolæ, quæ ſub ejus nomine, ad Tarſenſes inſcribitur: diſputans enim, vt ex ipſius epiſtolæ propoſitione apparet, adverſus illos, inter alia, qui dicebant, Chriſtum eſſe illum Deum, qui eſt ſuper omnia, ſic ait (vt quidem habet Latina editio,) quæ ante Græcam, ni fallor, apparuit, & quia non eſt ipſe ille, qui eſt ſuper omnia Deus, ſed filius ipſius.*

Socin. pag. 245.

Verùm reſponderi poteſt, vocem Dei non abſolutè fuiſſe ſumptã ſed relativè: quod ſi Ignatio

tio magistro gaudent Sociniani; audiant ipsius adversus sententiam ipsorum judicium in Epistol. ad Philadelph. Si quis dicat vnum esse Deum, & confiteatur Christum Iesum, sed eundem nudum esse hominem putet; hujusmodi serpens est, fraudem & errorem prædicans in exitium hominum, & est ejusmodi inops sensu cognomento Ebion.

CAP. II. Tertiæ Classis argum. *De loco* Luc. 1. vers. 16. 17.

EX hoc loco tale argumentum in formâ exstruitur. *Ille qui est Dominus Deus Israel, est Deus ille vnus: at Iesus Christus est Dom. Deus Israel, ergo est Deus ille vnus: Minor probatur dupliciter. 1. Quia Iesus Christus est ille, in cujus conspectu praecessit Iohannes. 2. Quia Iohannes filios Israel ad Christum convertit, & Deum annunciavit, dicens ecce agnus Dei.* Hæc summa argumenti cum suis prosyllogismis.

Socinus tripliciter respondet. *Primò negando minorem syllogismi principalis; Iesum Christum non esse illũ Dom. Deum Israel, sed Deum Patrem esse illum Dominũ, ante quẽ praecessit Ioh. propter causas supra à se explicatas.* Deinde ait, *in hoc ipso loco, ex quo hoc argumentũ ductũ est, satis expressum fuisse, quomodo Iohannes, ante Deum ipsum Patrẽ praecesserit, & quid sibi velint ista verba:* & ipse pręcedet ante illũ, *ad finẽ enim versiculi legitur parare Domino plebẽ perfectã. Ecce quid fuerit, praecessisse Iohannẽ ante illũ, id est Deum, & quidẽ Deũ Patrem; nempe venisse paratũ illi populum perfectum, vel potius, vt Graecum verbũ sonat, instructũ.* Socin. pag. 247.

Nomen enim Domini, ad Christũ referri non debere, id suadet, quod in Græco est κυρίῳ sine articulo.

Resp. Primò per antithesin, Iesum Christum esse Dominum Deum Israel propter causas, supra à me propositas, in responsione ad primam difficultatem, quam adversarius suprà movebat, contra majorem syllogismi ex loco Malach. consulatur locus decimus primę classis. 2. Respondeo Iohannem quidem Deo Patri vias parâsse, sed nego Filium excludendum. Nam vias Deo Patri paravit, eo quod & quia Christo paravit, vt ostensum supra in tractatione Malachiæ; & propterea expresse angelus ad Christum respexit: malè verò contrarium probat adversarius, ex eo, quod in Græco, vox κύριος sine articulo: ad quod cum non sit responsum in examine loci Malach. & non parum præsidij adversarius causæ suæ esse putat, in hac voculà additâ vel omissâ, nos hoc loco respondemus.

Dixit ibi adversarius, in N.T. voce *Κύριος*, sine articulo, substantivè acceptâ, raro admodũ Christum significari, in Lucæ Euangelio nunquam, quamvis in eo frequenter Christus solo τοῦ κυρίου nomine appelletur, sed ferè semper Deum, nempe, quia in V. Test. Gręcâ translatione, nomen κύριος, sine vllo articulo, tanquam si proprium nomen esset, ad Iehovam, proprium Dei nomen, exprimẽdum, ferè vsurpatũ fuerat.

Socin. pag. 151.

Resp. Sine articulo legitur substantivè accepta vox κύριος Act. 2. v. 20. *priusquam veniat dies ille Domini, magnus & illustris*, & 21. *quicunque invocaverit nomen Domini*: Act. 5. v. 19. *angelus Domini*: Act. 8. v. 28. *angelus autem Domini*

ni loquutus est Philippo, v. 39. *Spiritus Domini rapuit Philippum* : Actor. 11. v. 16. *recordatus sum verò illius dicti Domini, quum diceret, Ioannes quidem baptizavit aquâ* , & 21. *fuit autem manus Domini cum eis* : Act. 12. v. 7. *& ecce angelus Domini supervenit*, rursum v. 12. *nunc verò scio Dominum emisisse angelum suum* : Act. 13. v. 10. *non cessabis pervertere vias Domini rectas* : & Rom. 1. vers. 7. sine articulo. Rom. 10. v. 9. 12. 13. Rom. 19. vers. 6. ter sine articulo: Rom. 16. v. 2: 1. Cor. 1. v. 3. & 31: 1. Cor. 1. v. 16. 1. Cor. 4. v. 4. & 17. 1. Cor. 7. v. 22. bis, & 25. & 39. 1. Cor. 9. v. 1. & 2. 1. Cor. 10. v. 21. bis sine articulo: 1. Cor. 11. v. 11. & 32. 1. Cor. 12. v. 3. & 5. 1. Cor. 16. v. 10. & 19. 2. Cor. 1. v. 2. 2. Cor. 2. v. 12. 2. Cor. 3. v. 16. & v. 18. bis: 2. Cor. 10. v. 17. 2. Cor. 11. v. 17. ad Gal. 1. v. 3. Eph. 1. v. 32. cap. 2. v. 21. cap. 4. v. 1. & 5. & 17. cap. 5. v. 8. cap. 6. v. 10. & 21. Philip. 1. v. 2. 14. cap. 2. v. 24. & 29. cap. 3. v. 1. cap. 4. v. 1. & 2. Col. 1. v. 2. Sed quid diutius his immoror? fallit hæc adversarij regula, & planè erronea hęc ejus observatio est, voce κύριος sine articulo substantivè acceptâ, raro admodum Christum significari: nam jam commonstratum est & multò copiosius demonstrari posset, si vlla ejus rei vtilitas aut necessitas esset. Non ergo intendit Sp. S. additione vel omissione istius articuli, hoc discrimen inter Deum Patrem & Dominum nostrum Jesum Christum, nam quod ad Deum Patrem attinet, admodum promiscuè vox illa κύριος, tum cum articulo, tum sine articulo legitur passim, per totum N. Test. quod adeo ob-

 vium,

vium & frequens eſt, vt neminem, modò cum aliquâ animadverſione contextum Gręcũ legat, latere poſſit: minimè ergo cogitandũ eſt, Apoſtolos, cum de Deo Patre loquerẽtur, & articulum omitterent, ideo omiſiſſe, quia ille per vocem κύριος expreſſus, ſine articulo exprimẽdus fuit; nam ſic vitio non careret, articulũ addidiſſe. Hæc vocula Socino ſemper in acie, prõpta ad omne obſequium, per potentiam obedientialẽ, vt loquuntur in Scholis, & in quoſuis tonos flexilis. In ſuperiori argumento hæc vox erat deſignativa, & ſingularitatis cujuſdã nota neceſſariò; hîc verò non Patris illa, ſed Filij. In loco ad Cor. 10. *neque tentemus* τὸν χριστὸν, additus erat ab Apoſtolo, ne quis de ipſo tãtùm Chriſto Ieſu eum loqui ſuſpicaretur: is enim Chriſti ſimplici nomine, ſine vllo articulo, tanquam ſi proprium ejus nomen eſſet, ſæpiſſimè ſignificatur. Vana prorſus obſervatio, vt eo loco dictum; nã promiſcuè legitur, nunc cum nunc ſine articulo. Hactenus de minore ſyllogiſmi principalis.

Proſyllogiſmus primus, quo firmatur minor, in formâ ſic habet. Ille, in cujus conſpectu præceſſit Ioh. eſt Dom. Deus Iſrael. At Ieſus Chriſtus eſt ille, in cujus conſpectu præceſſit Iohan. Ergo. Hanc majoris negationẽ proponit adverſarius, cum ſic ſcribit. *Deinde dicimus, pronomen ejus relativum, hebraico more, potuiſſe poni pro antecedente: vt ſcilicet non referatur ad Deum Iſraelis, proximè nominatum, ſed Chriſtum ipſum, quãvis antea non nominatũ, ſignificet: hunc hebraicæ linguæ vſum in ipſo N. Teſt. alibi inueniri ait, præſertim apud Ioh. 1. Epiſt. cap. 2. v. 3. potiſſimum autem c. 3.* (Socin. pag. 248.)

v. 2. vbi

v.2. vbi ſimiliter vt hic, quamvis Deus,& Deus quidem Pater nominatus antea fuiſſet, ſubjungũtur tamen illa verba, ſcimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Certum eſt enim verbum apparuerit, & conſequenter pronomina ei & eum, ad Chriſtum referenda eſſe, non autem ad Deum Patrem.

Reſp. Quando relativum refert antecedens, quod non præceſſit, & pro eo ponitur, tum facilè intelligi poteſt ex loci circumſtantijs, & naturâ rei, de quâ agitur, quodnam illud antecedens ſit: hîc verò, ad iſtiuſmodi antecedentis Eclipſin confugere, præter rationem eſt: nam nec loci circumſtantia id ſuadet, nec in rei ſubjectæ materiâ vllum pro hac opinione argumẽtum. Deinde in loco Ioh. Chriſtus fuit nominatus, nam v.28. cap. præced. dixit Ioh. *nunc igitur filioli manete in eo, vt cum patefactus fuerit habeamus fiduciam, neque pudefiamus coram eo, in ipſius adventu*. 2. Hîc de patefactione agitur, ex quâ intelligitur, de Chriſto hæc intelligenda: at in loco Luc. agitur de re, quæ tam Filij quàm Patris, imò quæ non Patris, niſi quâ Filij, & quę Filio à Malach. Zach. & Ioh. Baptiſta tribuitur.

Secundò hîc multus eſt in eo, vt probet hiſce vocibus angeli, προελεύσεται ἐνώπιον αὐτοῦ, ſanctimoniam baptiſtæ, non autem functionem præparatoriam viarum Domini ſignificatam eſſe. Sed hîc illi figendus gradus non fuit: nam vis argumenti, vt eo probetur, Chriſtum eſſe Dominum Deum illum Iſrael, non eſt in eo, quod præceſſio iſta notat functionem præparatoriam Iohannis; ſed in præceſſionis actu, quicquid *Socin. pag. 248. 249. 250.*

tandem ille præcessionis actus sit. Nodus ergo argumenti istâ responsione non tangitur: nam neutram partem syllogismi vllo modo concutit. Quamquam ergo hoc totum, tanquam ἀπροσδιόνυσον præterire possemus, tamen non inconsultum videtur ostendere, Socinũ interpretationem attulisse horum verborum minimè veram. Ait Socinus pag. 249. *si vocis ἐνώπιον vis & vsus consideretur, quæ nunquam aliud significat, quàm, vt dictum est, coram sive in conspectu, non modo apposita, sed necessaria videbitur interpretatio, si non planè ista quam attulimus, saltẽ ei non absimilis: per quã videlicet, non præcessio vlla ante Deum Israelis significetur; sed progressio aliqua in ejus conspectu.*

Resp. Nec vox ἐνώπιον, vllâ ratione probat hanc opinionem, nec altera illa. Non prior vox ἐνώπιον: nam & Malachias & Euangelistæ & Zacharias, imò Christus ipse, istam vocem retulerunt ad functionem pręparatoriam Iohannis. Quin & ipse adversarius hanc interpretationẽ tum agnovit appositam, cum de loco Malach. ageret. Nec altera illa vox pro hac opinione militat, nam προέρχομαι progredior, procedo, quidem Gręcis est, sed cum jungitur hisce verbis, *coram me, coram eo*, annon evidenter connotat pręcessionem, vel saltem connotare potest? integritatem vitæ nusquam notat, vt phrasis illa *ambulare in conspectu Dei*. Deinde dato vocem illam, ex nativâ suâ vi, præcessionem non dicere, aut functionem præparatoriam, evidens tamen est, hoc eâ voce angelum hîc significatum voluisse. Quid tergiversatur in re clarâ? Malach. habet, *præparabit viam ante faciem meam*: Mat.

& Marc.

& Marc. habent; *Ecce ego mitto nuntium ante faciem meam, qui præparabit viam tuam coram te:* Iohannes vt nuntius præcessit, præcessit ergo: quomodo nuntius ante faciem? Exponit Salvator, præparando viam, nec aliter Zacharias, *præibis ante faciem Domini, vt pares vias ejus:* & Iohannes ipse optimus verborum angeli interpres 1. Iohan. 1. 6. 7. 8. & hîc dicitur, *præcedet, vt paret Domino populum instructum.* Sunt ergo omnino hæc verba exponenda de præcursoriâ functione Johannis, quamquam simul verum sit, isti præcursoriæ functioni inclusam fuisse sanctimoniam Baptistæ.

Instat, de præcessione Baptistæ hæc verba nõ exponenda, *quia de eâ non agitur Mal. 4. v. 5. ad quem angelum respexisse constat.* Resp. in eo loco quidem hæc verba expresse non legi, virtute tamẽ contineri in ijs, quę ibi expressa sunt. 2. Respondere possum in istis suis verbis, *præcedet in conspectu ejus*, angelũ non respexisse ad hũc locum Malach, sed ad locum Malach. 3. v. 1: nã præcedendo pręparavit, & præparando præcessit Baptista. Hunc locum etiam Socinus de manu nobis excussurus, respondet, sed ita, vt secum ipse pugnet; nec quicquam adferat, quod vim aliquam novam habeat. Socin. pag. 249.

Verba ejus sunt. *Cap. porrò 3. v. 1. Malach. si quis eò angelum respexisse velit, etiamsi suprà tacitè quodammodo concesserimus, ibi agi de præcessione quadam, tamen hîc apertè monemus, verba* ante faciem meam, *idem significare posse, quod in conspectu meo, quemadmodum ipsa sonant, & apud omnes tres Euangelistas Mat. 11. v. 10. Marc. 1.* Socin. pag. 250.

 v. 2.

v.2. Luc.7.v.27. vbi istius vaticinationis fit mentio, est in Græco vox ἔμπροσθεν, quæ rectissimè coram sive in conspectu verti potest.

Resp. Ita secum decertet Socin. qui suprà de præcessione exposuit Euangelistas & Zachariam, unà cum Malach. cum de hoc loco ageret; nunc verò monet, alium esse sensum horum verborum: sed straminea esse, quę adfert, ostensum spero. Quod subjungit denique Zachariam cum diceret, Iohannem præiturum ante faciem Domini, tantùm ad Malach. locum allusisse, & similem sententiam tantùm attulisse, præter & contra omnem rationem dicit, nam apertè & Zacharias & Euangelistæ & angelus & Christus ipse ad locum Malach. respexerunt, & verum prophetiæ sensum nobis exposuerūt.

Prosyllogismus alter sic habet. Ille, ad quem Johannes filios Israel convertit, ille est Dominus Deus ipsorum: at Christus est ille, ad quem Iohannes filios Israel convertit. Ergo.

Socin. pag. 251. Hujus prosyllogismi Socinus minorē negat. *Adeo non convertisse ait, ut ne quidem potuerit; convertitur enim inquit quis ad eum, cui antea meritò aliquâ ratione adhærebat, & postea ab ipso, sine justâ causâ alienus factus est, aut saltem, cui adhærendum esse, jam aliquâ ratione apertè ac publicè confirmatum sit. Atqui Israelitæ, quos ad frugem revocavit Iohan. nunquam Christo prius vllâ ratione adhæserant, nec Christo adhærendum esse, apertè ac publicè ante Iohan. prædicationem, ullâ ratione confirmatum fuerat: quare nec illos ad Christum convertere potuit: sed tantùm, sicut fecit, eos ad illum mittere, vtque in ipsum crederent, monere. Ad De-*

num

um igitur, non autem ad Christum, convertebat homines Iohannes, & Paulo post, *pœnitentiam propriè ad Deum, quatenus à Christo distinguitur, referri docent verba illa Pauli.* Act. 20.v.21.

Resp. Probari non posse, omnes qui erant à Johanne convertendi, aliquando revera Deo adhęsisse, imò multo verius est, eos maximam partem, semper fuisse alienatos à vitâ Dei, quod ipsum non obscurè indicatum est, cum scopus Iohannis fuerit, cor Patrum ad filios, & filiorum ad Patres convertere: Patrum ergo integritas, in filijs non fuerat. Prior ergo hęc conditio, nō necessariò ad conversionem requiritur, at propterea, etiamsi Christo hæc conditio deesset, nihilominus verò dici posset, Israelitas à Iohanne ad Christum convertendos. 2. Dico verum non esse, Israelitas veros antea non adhæsisse Christo; aut antea non fuisse confirmatum, aliquâ ratione ei adhærendum esse: nam spes & fides in illum venturum præscripta fuit: duobus enim V. Testam. doctrina concluditur à Malachia, *recordatione legis Mosis; & ecce ego missurus sum vobis alium Prophetam.* 3. Dato apertè ac publicè confirmatum non fuisse, ante Iohannis prædicationem, Christo adhęrendum esse; nego inde sequi Iohannem Iudæos ad Christum convertere non potuisse. Ratio negationis est, quia Iohannes hoc ipsum ac apertè publicè confirmare potuit, ei adhærendum esse, & hoc facto adhortari vt adhærerent; quinimo ipsa adhortatio, facta à viro, qui Dei Spiritus ductu infallibili ducebatur, indicabat justas esse causas, cur esset adhærendū Christo. Denique si Iohan. ad fidem

fidem adducere potuit in eum, in quem credendũ esse, juxta adversarij Hypotheses, nõ constabat, propter apertã ac publicam confirmationẽ, ante Iohannis prædicationem factam; etiam cõvertere potuit ad Christũ, etsi hoc antea apertè ac publicè confirmatum non fuit. Iohannis autẽ fuisse ad fidem adducere, docet Paulus Act. 19. vers. 4. *Iohannes baptizavit baptismo resipiscentiæ, dicens populo, vt in eum, qui veniebat post ipsum, crederent, hoc est in Christum Iesum*; quod & hoc loco agnoscit adversarius, cum ait, monuisse eos, vt in ipsum crederent. Jam verò hortari ad fidem, est ministerialiter ad fidem adducere, & sic etiam ad Dominum Christum convertit: nam via illa, quæ erat paranda Domino, in pœnitentiâ consistebat, & hæc Domini via, quia Dominus ad illos accessurus per hanc viam, vt capaces salutis & remissionis peccatorum. Dices, conversio quidem homines præparabat ad Christum debitè excipiendum, erat tamen conversio non ad Christum, sed ad Deum. At contra contendo Iohannem conversionem postulasse etiam nomine Christi, ipsi, vt Domino Salvatori & judici debitam: nam pœnas pertinacibus à Christo judice impendentes denuntiabat, vt habetur Luc. 3. v. 17. & remissionem peccatorum in melius conversis, in eodem Christo monstrabat. Accedit, quod cum rebellio Iudæorum duplex fuerit, vna adversus legem, altera adversus pactum promissionis; Iohannes autem venerit ad convertendum rebelles, ad prudentiam justorum, meritò in illâ conversione, conversio ab vtraque rebellionis parte

parte comprehenditur.

In loco Act.20.v.21, ubi Paulus testificatur, *Iudæis atque gentilibus pœnitentiam in Deum , & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum* istam Socini mentem non intendit Apostolus sic loquens. Nam fides in Dominum Jesum, est etiam fides in Deum.2. Pœnitentia Iudęorum in Deum erat etiam pœnitentia in Christum vt Mediatorem, qui in V. Fœdere illis erat promissus, & quia Iudęi hunc Dominum glorię crucifixerant, pœnitentiâ illis in Dominũ tam opus erat, quàm quod maximè, vt apparet ex Act.2.v.37.38. Act.3.v.19. Act.5.v.30.31. 3.Et quamvis hac in parte inter Iudæos & gentiles discrimen sit,quod ad pœnitentiæ mandatum, quia hi verbum promissionis non habuerunt, nihilominus tamen hæc non tantum voluntas Dei, sed & Christi erat, vt converterentur à peccatis suis. Nec præceptũ pœnitentiæ non tantùm Dei erat, sed & Christi: nam ille juxta adversariorum hypotheses, divinum imperium, ac potestatem absolutam in omnes in cælo & terrâ existentes, erat consecutus: ergo & ille secundum legislatoriam potestatem suam, legem non tantum fidei, sed & pœnitentię tulit. Dixit enim Apostolis suis,vt *docerent gentes servare omnia, quæ mandaverat ipsis, & in suo nomine resipiscentiam ac remissionem prædicari jussit apud omnes gentes.*

CAP.

CAP. III. Tertiæ Claſſis argum.

De loco Iohan. 5. verſ. 8.

ARgumentum ejus loci ſic habet. *Qui eſt æqualis Deo ſummo, eſt Deus ille unus: at Chriſtus eſt æqualis Deo ſummo: ergo.* Major patet, quia ſi Iudæorum, hoc proferentium, opinio falſa fuiſset, Euangeliſta, aut Chriſtus, virgâ cenſoriâ notaviſſent, vt Ioh. 2. v. 21. & Ioh. 21. v. 23: at Chriſtus adeo non reprobavit, vt reſponſo ſuo potius comprobaverit.

Socinus primò majorē negat, eum, qui ſummo Deo ęqualis eſt, eſſe Deum illum ſummum: ille invertit, & ex eo conſequi ait, non eſſe Deum illum ſummum, quia nemo ſibi æqualis. *Socin. pag. 253.*

Reſp. Majorem veriſsimam eſſe, hoc iſto dilemmate probo. Aut ille, qui Deo ſummo ęqualis, habet eſſentiam realiter diſtinctam ab eſſentiâ illius Dei ſummi, ratione cujus, ille Deo ſummo eſt æqualis: aut habet cum eo, in perſonali diſtinctione, eſſentiæ vnitatem: nulla alia ad æqualitatem via eſt: at duæ naturæ divinæ adverſario non ſunt, ergo æqualitas hæc fundatur in unitate naturæ, cum diſtinctione perſonali; per quod etiam retunditur illud, nemo ſibi ipſi æqualis, Filius hîc non Deo æqualis, ſed Deo Patri æqualis dicitur.

Secundò multis adverſus minorem diſputat, eam limitando & reſtringendo, vt inde deducatur æqualitas, quâ multis modis ſummo Deo minor.

Socin. pag. 254. Primò dicit *æqualitatem tantùm in operatione hîc poni; inæqualem in eo, quod Filius nihil à ſeipſo facere*

facere possit, verſ.19. *& hoc ſatis eſſe, ad demonſtrandum, Filium non eſſe illum ſummum Deum, quia nihil abſurdius aut magis impoſſibile, quàm ſummum illum Deum, nihil à ſeipſo facere poſſe.*

Reſp. 1. negando æqualitatem tantùm in operatione poni, non enim Iudæi ſtrictè æqualitatẽ in operando illi tribuunt, ſed quod ſe ęqualem Deo faceret, Deũ dicens Patrem ſuũ. 2. Æqualitas in operãdo inducit ęqualitatẽ in rebus alijs. 3. Inæqualitas illa, quòd Pater à ſe, Filius à ſemetipſo non poteſt operari, non inducit inæqualitatem potentiæ in ſe; ſed tantùm indicat in Patre, ſine origine eſſe; in Filio originem habere: nec iſtam diſparitatem inter Patrem & Filium diffitebantur Iudęi; ſed agnoſcebant: nam hoc ipſum ſtomachabantur, quod Deum dixiſſet Patrem ſuum: hoc illud eſt, quod ſententia orthodoxa profitetur, Filium à Patre eſſe: & tantùm abeſt vt hoc abſurdum & impoſsibile ſit, Filium eſſe, & non eſſe ab alio; ſic enim contradicens in adjecto eſſet.

Secundò amplius exponens, quid ſit illud, Filium à ſe ipſo non poſſe operari, ait hoc eſſe, *neceſſarium illi eſſe, videre Patrem facientem; opera illi à Patre monſtrari, id eſt, nihil ſe poſſe, niſi conceſſâ à Patre poteſtate ejuſdemque juſſu.*

Reſp. Phraſibus iſtis *videndi, demonſtrandi,* notari quidem Filium, quoad operationem, relationem ad Patrem habere, & per conſequens etiam quoad potentiam: at iſta Filio conceſſa eſſe precariò, cũ jam eſſet Filius, negamus: non enim preponunt nobis Scripturæ Filiũ, qui aliquando fuerit impotens: eſt illi congenitum & naturale

Socin. pag. 255.

naturale posse, quæ Pater potest. 2. Sententiâ Socini de concessâ potentiâ, iuducit potentiam Filij realiter distinctam à potentiâ Patris; vult potentiam Filij causatam à potentiâ Patris, & sic Patrem non operari, nisi quia Filius operatur, per potestatem à Patre acceptam, & ipsius jussu: at Christus hîc non duas potentias nobis ob oculos ponit, sed vnã & eandem: nã Patris operari dicit esse filij operari. Actus primus & secundus hîc exprimitur, nomine actus secũdi. Socinus hæc ita exponit, ut ex vi expositionis ejus sequatur Patrem non operatũ cum Christo, nec jam in Ecclesiâ operari: nam si Patrem operari, aut Filium videre Patrem operantem, aliud nihil sit, quàm Filium operari per potestatem à Patre concessam, & juxta mandata Patris; jam Pater potuit & potest, concessâ potestate & datis mandatis, quiescere, & sic habebimus otiosum Patrem vt Franciscus Davidis cum suis, sessionem Christi ad dexterã Dei, per otium & quietem exponunt, exspectantis regnum suo tempore revelandum; imò etiamsi Pater non esset, sed esse desijsset (posito quod impossibile) dici posset nihilominus operari, quia Filius operaretur, per potentiam productam aliquando, & juxta mandata à Patre acceptâ. 3. Istis modis loquendi, *videre Patrem operantem, omnia monstrari ei, indicari*, Christum omnia ex alieno præscripto & arbitrio agere, negamus: nam quâ homo, est alieni arbitrij, non quâ Deus: in mandatis Patris, quæ exequitur vt θεάνθρωπος & mediator, est voluntarius Filij consensus, & potestatis arbitrium.

Etsi

Et si Filius omnia agit, juxta mandatum alienum (quod etiam ad tempus glorificationis extendit hîc Socinus) vbi ergo divinum illius imperium ac absoluta in omnia potestas?

Tertiò argumentatur hîc contra æternam, & necessariam ex Patre generationem, voce *demonstrandi*, quę futuri temporis; nam ex eo colligit *demonstrationem istam aliud esse, quàm aliquid, quod jam ab æterno perfectè extiterit.*

Resp. Demonstrationem illam, quæ tum futura erat, non docere collationem potentiæ, ad actum requisitæ; sed exercitium actus: nam potentia æterna, non actus potentię. 2. Pater operabitur, sicuti Filius operabitur, nam Filius non operatur, nisi Patrem operantem viderit: futura autem Patris operatio, non negat, sed supponit ęternam potentiam Patris; ergo etiam futura Filij operatio, non arguit potentiam futuram.

Post hęc paraphrasi quadam totum locum explanavit, cujus in summam contractæ sensus est, *Christum profiteri, se quicquid facit ex concessione & jussu Patris facere; nihil tamen adeo excellens esse, ex ijs quæ Pater facit, vt ipse quoque non faciat: se adeo diligi à Patre, vt nihil faciat ipse, quod & se non jubeat, & concedat facere, & majora mandaturum & concessurum esse.* *Socin. pag. 256.*

Resp. Hanc interpretationem coactam, & inconcinnam in multis esse. 1. Coactum & durum est, quæcunq; facit Pater, exponere, Pater jubet & concedit me facere. 2. Coactum plane est: quæcunque ille facit, hæc etiam filius pariter facit, exponere: facio illa quæ concedit

facienda mihi Pater, & in mandatis mihi dat: ſi enim Patris operari, aliud nihil eſt, quàm poteſtatem operandi concedere, Filij erit, per poteſtatem conceſſam operari: ſic certè operari Patris & Filij toto genere differunt: at Chriſti verba indicant duo illa agentia, habere unum, commune & indiſtinctum opus: tale ergo operari Filij, quale Patris; ergo ſi Patris operari eſt poteſtatem concedere, & Filij operari hoc erit. Rurſus ſi Dominus mandat, & ſervus exequitur; ineptit ſane, ſi dicat quæcunque Dominus meus facit, ego ſimiliter facio; nam mandare & obedire ſunt diverſiſſima, nec æqualium vt hæc, *quæ Pater facit, Filius ſimiliter facit*, ſed dignitate & gradu prorſus imparium. 3. Eſt animadvertendum, Filium non dicere his verbis, in fine verſ. 19. Se quicquid facit, & conceſſione & juſſu Patris facere; *ſed quæcunque facit Pater, ſe ſimiliter facere*: quę verba non originem aut derivationem potentiæ Filij à Patre indicant, ſed ejuſdem amplitudinem, & cum paternâ æqualitatem. 4. Socinus, naturâ rei ſubjectæ, & vi veritatis compulſus, iſtam vocis faciendi ſignificationem in paraphraſi verſ. 20. non retinuit: nam ibi facere Patris, diſtinguit à mandato & conceſſione.

Poſtremò, concludens hanc totam ſuam ratiocinationem, ait falli adverſarios, *qui putant,* *Socin. pag. 257.* *ex Chriſti verbis, quæ ſubjunxit ſententiæ Iudæorum, conſtare, eum profeſſum fuiſſe, ſe ſimpliciter & abſolutè Deo æqualem eſſe, cum potius contrarium manifeſtè fuerit profeſſus.*

Reſp. Liquere ex dictis, Chriſtum profeſ-

ſum

ſum fuiſſe & demonſtrâſſe id, quod Iudæi blaſphemum putabant, veriſsimum eſse: nam oſtendit nihil eſse excellens & divinum Patri, quod non ſit ſuum; & ſe nullâ in re à Patre diſtinguit, niſi in eo, quod Pater: ac proinde potentia vivificandi ad æternam vitam, non defuit illi, cùm in terris ageret, quamquam Socinus hoc neget ſine ratione, qui verbis temporis præſentis enùntiatum, per futurum interpretatur. Videat hac de re lector ſuprà, in examine loci Pſalm. 2. verſ. 7. & Rom. 1. v. 4: neque illud futurum *demonſtrabit*, indicat potentiam futuram, quæ non eſſet: nec voce demonſtrandi indicatur directè communicatio potentiæ; ſed Filium non operari, niſi operante Patre, nec aliter operari poſſe: ex quo per conſequens efficitur, potentiam ipſam à Patre communicari, cum modus agendi ſequatur modum eſſendi, vt loquuntur; & demonſtratio futura, non magis arguit novam potentiam Filij, quàm Patris.

Hęc de primâ contra minorem difficultate, ſequitur altera, quam ſe movere potuiſſe ait, *negando Euangeliſtam verba illa, faciens ſe æqualem Deo, ex ſuo & non potius ex Iudæorum tantùm ſenſu protuliſſe: nam narrat etiam Ieſum Sabbathum ſoluiſſe: ſatis enim conſtat, Iudæis tantum ita viſum fuiſſe.* Socin. pag. 257

Reſp. Satis oſtenditur, per ſubjectam à Chriſto explicationem non parum diſcriminis eſſe inter hæc duo; nam Sabbatum ſolviſſe Chriſtum falſum erat, & Chriſtus ſe ab hoc crimine purgavit, per apologiam ſubſequen-

ſequentem : propterea non poteſt præſumi, hoc Iohannem ex ſenſu proprio protuliſſe : at quod ad objectam cum Deo æqualitatem attinet, Chriſtus hoc non tantùm non diluit, ſed vt verum, multis egregijs argumentis confirmavit : ſentiendum propterea Euangeliſtam hoc ex ſenſu proprio retuliſſe; in quo aſſentientem habemus Socinum, qui rejectâ illâ ſuâ propoſitione, ex modo illo loquēdi, quo vſus eſt Euangeliſta, ſentit, *eum omnino vnà cum Iudæis cenſuiſſe Chriſtū, verbis illis, ſe æqualem feciſſe Deo, quia ſi Euangeliſta de opinione tantùm Iudæorum loqui voluiſſet, quam ipſe penitus improbaſſet,* ſentit *additurum fuiſſe verbū aliquod, quo id ſignificaret.* Quod ad ſabbati ſolutionem attinet, idem ſentit: verba ejus ſunt, *dico revera Chriſtum ſolviſſe Sabbatum, antiquis Iudæorum traditionibus inſpectis : ad quam aliquo modo veram ſabbati ſolutionem, non autem ad falſam aliquam Chriſto à Iudæis objectam, Euangeliſta reſpexit, ejuſque, cum ita locutus eſt, rationem habuit.*

Socin. pag. 159.

Reſp. Malè dici Iudaicarum traditionum neglectum, veram ſabbati ſolutionem : ſabbatum non ſolvitur niſi violatâ lege, quam Deus de ſabbato tulit. Neque crediderim Chriſtum operibus ſuis miraculoſis, in Iudęorum de Sabbato traditiones, quę quidem tum revera obtinebant, peccâſſe; imo prorſus contrarium mihi ex eo perſuadeo, quod Chriſtus Iudęis, eum quòd die ſabbatino ægrotos ſanaret, accuſantibus, objecit. *Quis veſtrûm ſi aſinus aut bos in puteum incidat, non ſtatim extrahat eum die Sabbati?* ſi ergo hoc tum licuit juxta traditiones

Iudaicas, ergo & hominem ſanare: licuiſſe verò hoc Iudæis inde patet; quod Chriſtus mendacij à Iudæis non fuit coargutus. Concludo itaque, quod ſanans Sabbato, non ſolverit Sabbatum Iudæorum traditiones tranſgrediendo: hodiernæ quidem Iudæorum traditiones non permittunt, pecudem Sabbato puteo extrahere, ſed illæ ſunt novellæ, in corpus *miſchnaios* & traditionem veterum relatę, odio Chriſtianæ fidei, multis poſt nativitatem Chriſti annis, vt rerum ignaris perſuaderent, Chriſtum falſiloquum eſse. Hinc patere poteſt, vt hoc obiter dicam, quàm inanis ſit gloriatio Rabbi Lipmanni, in libro, quem Triumphum de hiſtoriâ quatuor Euangeliſt. reportatum inſcrpſit, & edidit an. 1459, cum Chriſtum accuſat quod hoc falſò de Iudæis dixerit: *quis veſtrûm, ſi aſinus aut bos in puteum incidat, non ſtatim extrahat eum die Sabbati?*

CAP. IV. Tertiæ Claſſis argum.

De loco Iohan. 10. v. 30.

E*Go & Pater unum ſumus*: Hujus loci ſententiam, non minus nervosè quam brevitur, exponit Cyrillus, utrumque inquit audi, & vnum, & ſumus: quod dixit *vnum*, liberat te ab Ario, ſeparante Filium à ſubſtantiâ Patris: quod dixit *ſumus*, liberat te à Sabellio, confundente perſonam Patris & Filij, ſine diſcretione.

Syllogiſmus hujus loci in formâ ſic habet. *Qui vnus eſt eſſentiâ cum Patre, idem Deus eſt qui Pater: at Chriſtus vnus eſt eßentiâ cûm Patre.* Ergo.

Minor triplici ratione munitur à Bellarmino & Wiekio. Prima eſt, ſi eſt vnitas potentiæ, ergo & eſſentiæ. Secunda eſt, quod Iudęi eum lapidare voluerunt, quod hoc diceret: intellexerunt ergo ſe verè Deum unà cum Patre prædicare. Tertia, Chriſtus ipſe de vnitate naturę expoſuit verſ. 16. *Vos dicitis blaſphemare, quia dixi Filius Dèi ſum.*

Negat Socinus argumenti aſsumptionem: *cum aliunde conſtet*, (verba Socini ſunt) *hoc ipſum, quod Chriſtus & Pater unum ſint, nullo modo ad eſſentiæ vnitatem referendum eße, ex verbis videlicet illis ipſius Chriſti ad Patrem* Ioh. 17. verſ. 22. *Et ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. Apoſtolis, inquit, Chriſtus non dedit claritatem illam, vt fierent unum eßentiâ* : & ſub finem pag. 62. ait, *dictio enim, ſicut quæ in Chriſti verbis habetur, oſtendit ejuſdem generis eſſe vnitatem illã, quâ Chriſtus & Pater ſunt vnum, cujus ea eſt, quâ Chriſtus curabat, vt ſui diſcipuli vnum eßent.* Satis ergo putat, negationis ſuæ tractationem concludens, oſtenſum ex loco Johan. 17. verba illa. *Ego & Pater vnum, non loqui de eßentiæ vnitate: quamquam interim, inquit, phraſis illa ad quoſcunque alios relata inveniatur, ſi aliud ſignificare deprehenditur (quam ſcilicet vnitatem eßentiæ) hoc ſimiliter ſatis eſt, ad argumentum, ex illis tantummodo Chriſti verbis extructum, penitus diſſolvendum,*

Socin. pag. 264

vt cum Paulus ait. 1.Cor.3. verſ.8. *Eum qui plantat, & eum qui regat, vnum eſſe:* Gal.3.v.28. *Omnes vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu:* Hæc ſumma Socinianæ negationis eſt: Argumentum ejus eſt: ſic Deus Pater, & Chriſtus unum ſunt & dicuntur, ut Chriſtus Apoſtolis dedit eſse vnum: at Chriſtus dedit Apoſtolis eſse vnum conſenſu voluntatis. Ergo.

Reſp. Ad majorem, me negare eam, Chriſtum & Patrem non eſse aliâ ratione vnum, quàm Apoſtolos: nam Pater & Chriſtus eſsentiâ etiam vnum ſunt; nam ita vnum ſunt, ut Iudæi rectè judicarint ipſum dicere, ſe Deum eſſe: & Filius ipſe ait, Patrem, Patrem ſuum eſse, & ſe ſic vnum cum eo eſse, vt aſseueret ſe Deum, & Dei Filium eſse: meritò ergo negatur major: nam ſi addatur particula *tantùm*, falſa erit, quam addi debere, jam oſtendi, ex expoſitione loci Ioh. 10. Quocunque ergo modo exponantur illa Iohannis verba; ſive primò de potentię & voluntatis vnitate, vt à nonnullis, & per illationem de vnitate eſſentię; ſive primò de eſſentiæ unitate, & illativè de potentiæ & voluntatis, vt ab alijs; illud fixum manere debet, eſſentiæ vnitatem hinc concludendam, propter Iudæorum de iſtis verbis judicium, à Chriſto non damnatum, ſed approbatum & confirmatum.

Quamvis verò Chriſtus & Deus Pater, eſſentiâ etiam, non conſenſu voluntatis tantùm vnum ſint, nec nota comparationis evincat contrarium, optimè tamen conſiſtit comparatio, relata etiam ad vnitatem eſsentiæ: nam etſi

hæc Patris & Filij vnitas, ad essentiam relata, specificè differat ab unitate concordiæ & voluntatis quę in Apostolis, conveniunt tamen in ratione genericâ vnitatis; quod sufficit ad comparationem. Ita Mat. 17. vers. 20. *si habeatis fidem, vt granum sinapi,* hîc quantitas fidei & quantitas sinapi comparantur, illæ tamen quantitates non sunt ejusdem generis, in sensu quo Socinus hoc loco verba hæc ejusdem generis accepit: intelligis enim speceficam vnitatem, cum contendit, unitatem Patris & Filij ejusdem generis esse.

Ex hisce sic positis infertur, contra ea quæ præcedentibus subjungit adversarius; etsi phrasis illa, ad alios relata, aliud quid significat, quam essentiæ vnitatem, vim hoc nullam habere, ad argumentum, ex illis Christi verbis Ioh. 10. vers. 3. exstructum, dissoluendum: non enim ex istis verbis, nudè prolatis, argumentantur Orthodoxi, sed illustratis ex loci circumstanstantijs. Dicta itaque illa Paulina 1. Cor. 3. vers. 8. & Gal. 3. vers. 28, aliter quàm de essentiæ vnitate exponenda: argumentum, ex hoc loco nobili ductum, nullo modo conuellunt propter rationes expositas, ad quas refutandas, post confutationem assumptionis argumenti nostri, accingit se Socinus: quas verò vires habeat ejus refutatio, Deo adjuvante, examinabimus.

Ad primam rationem, in quâ dicitur de unitate potentiæ & essentiæ, duo respondet. Primò exponi posse Christi verba *de aliâ, quàm potentiæ vnitate.* Secundò ait, *non valere conse-* *Socin. pag. 265.*

quen-

quentiam à potentiâ ad eſſentiam.

Ad primam exceptionem reſpondeo: Etiamſi Chriſtus tam efficaciter argumentari potuit in præſenti cauſâ ab vnitate conſenſus, quàm vnitate potentiæ, & revera Pater & Filius voluntate quoque vnum ſint; hinc tamen non ſequitur, voluiſſe hoc loco concludere, pro vnitate conſenſus Patris & Filij: nam in præcedentibus,ad quorum confirmationem hoc adfertur, non agit Chriſtus de ſuo & Patris erga oves ſuas affectu; ſed de ſuâ & Patris ad ſalvandas oves potentiâ,vt illa verba *neque rapiet eas quiſquam è manu meâ : neque quiſquam poteſt eas eripere è manu Patris mei*, demonſtrant clariſſimè. Et ſic primæ exceptioni,quod ad rem præcipuam,ſatisfactum puto.

Altera exceptio eſt, *potentiæ vnitatem eſſe,ſecundum quid,in regendis & ſervandis ovibus, tam magnam illi communicatam, quàm Deus habet. Vnde porrò vult effici,rectè ab hac vnitate potentiæ, ad vnitatem eſſentiæ non concludi.* *Socin. pag. 266.*

Reſpon. Ubi lex non diſtinguit,aut limitat, nos non diſtinguere aut limitare debemus: Scriptura nec hîc nec alibi Chriſti potentiam alijs circumſcribit limitibus, quàm Patris. 2. Chriſti potentia non alia quàm Patris, ſed vna & eadem, eſt enim Deus ille, qui Pater, vt ſequentia demonſtrant, in quibus διαῤῥήδην affirmatur, eum & Deum, & Dei Filium eſſe. Ergo, ſi primò & directè hæc verba ſumantur de vnitate potentiæ, vnitas eſſentiæ aut ſupponenda aut inſerenda erit.

Ad ſecundam rationem excipit primò, *po-*

tuisse Iudæos, ad lapidandum impelli, intelligentes Christum non de voluntatis modò, sed & rerũ conjunctione loqui. Resp. Bellarm. sic argumentatur adversus eos, cum quibus illi negotiũ; nam illi non de essentiæ vnitate, sed de concordia voluntatis hæc accipiebant: rectè ergo Bellarm. intulit, cum dogma de vnitate consensus tantæ bilis in Iudæis causa esse non possit, statuendum esse, propter dogma de vnitate essentiæ tantopere excanduisse. 2. Dico, vt huic etiam exceptioni adversarij occurratur, non rerum quandã conjunctionem, sed vnitatẽ essentię propositam à Christo, & ab ipsis apprehensam, lapidationis hujus causam fuisse; & si etiam alium lapidationis prætextum quærere potuissent.

Secundò excipit, Christum correxisse sententiam Iudæorum, in interpretandis illis verbis, *ego & Pater vnum sumus*: nam ait: *cum illi hoc intelligerent de tali Deo, qualis homo esse nequeat, seu de divinitate loquerentur, quæ cum homine communicari non possit, Christus ostendit, se minimè talem Deum seipsum fecisse vnquam, sed tantummodo Filium Dei se appellasse, quia sanctificatus à Patre & missus in mundum fuisset, & consequenter hac ratione & non aliâ se Deum fecisse.*

Socin. pag. 267.

Resp. Falsum hoc esse: nam non negat Iudæorum de se dictum esse verum, sed negat blasphemum esse: non negat Christus se dixisse hoc, aut Iudęos verum verborum suorum sensum non assecutos; sed in eo eos vehementer errare asserit, quod in eo ipsum blasphemâsse arbitrabantur, quod directè negat Christus, & eo probat, quia sanctificatus, & missus à Patre in mun-

mundum: consequenter per missionem & sanctificationem non est Dei Filius; sed cognoscitur esse Dei Filius: nam cum sit vnus ille cum Patre Deus, vt existimant Iudæi, & non neget dictum de se, sed dicti blasphemiam, non potest missio & sanctificatio illa principium essendi esse, per quod Dei Filius est Dei Filius; sed necessariò hæc verba *missio & sanctificatio* exponenda sunt, principium cognoscendi.

Ad tertiam rationem excipit Socinus: *primò ex ijs, quæ disputavit contra primum hujusce classis argumentum intelligi posse, non modò non probari, eum esse illum vnum Deum, verum etiam necessariò concludi, Christum non esse illum vnum Deum.* Socin. pag. 268.

Resp. Negando: imò Christus, etiam hoc loco, cum vult dicere se esse Deum illum vnum, dixit se esse Dei Filium: non ergo ex eo meritò concluditur, eum non esse Deum illum, sed contrà, vt nos constanter affirmamus, eum esse Deum illum vnum.

Secundò ait, *cum Christus dixit, Filius Dei sum, non esse necesse, imò ne verisimile quidem, vt respexerit ad illa verba sua, Ego & Pater vnum sumus: cum potius, inquit, ex his verbis appareat (quod & verissimum est) eum alibi antea se Dei Filium appellasse: Christi sanè mentem in suâ responsione fuisse constat, docere, se non modò in istis, sed in nullis alijs suis verbis, Deum talem seipsum fecisse, qualem intelligere præ se ferebant Iudæi.*

Resp. Necessarium esse causas intentati criminis blasphemiæ non alibi, sed hîc quærendas; etiamsi non hic tantùm sed & alibi Christus se Dei Filium dixerit. Cōtrarium sentire prorsus irra-

irrationale est: obstat, vt omittam alia, connexio narrationis facti Iudæorum v.31. cum doctrinâ Christi: respexerunt ergo ad hæc & alia Christi verba Iudæi, in quibus Christus hoc loco v. 29. & 30. Patrem dixit Deum suum: ac propterea malè infert Socin. id quod jam satis confutatum.

Socin. pag. 269. Idem hoc thema, de vnitate sui cum Patre secundum essentiam, stabilit Filius Dei ab operibus Deitati veræ proprijs: & cum prius dixisset, *ego & Pater vnum sumus*; jam verbis tantundem valentibus ait: *ego in Patre & Pater in me.* Quod rectè propterea per περιχώρησιν divinarum personarum exponitur, & in essentiæ identitate fundatum esse dicitur.

Adversarius contra hoc obijcit locum 1. Ioh. 4. vers. 15.16. *ex istâ ratiocinatione sequi, eum qui credit, quod Iesus Christus est Dei Filius, & qui in charitate manet, eum ejusdem naturæ & essentiæ cum Deo esse.* Verùm respondetur, hæc non dici eodem sensu: de Patre & Filio sic accipienda, vt dixi, propter rationes expositas: de fidelibus & Deo dici, in sensu mystico similiter apertum est.

Hanc doctrinam de mutuâ Patris & Filij immanentiâ, impugnandam sibi sumens Ostorod. cap.9. Institution. Germ. obijcit primò *hoc ex concessione adversariorum impossibile esse, quoniam Trinitatis personas nullatenus permixtas esse; sed prorsus distinctas affirmant.* Respondetur, consequentiam illam nullam esse. Nam etiam in rebus physicis, res se mutuo permeant sæpissimè, vt naturâ & essentiâ interea distinctæ sint:

quali-

qualitatis diversæ in eodem subjecto sine confusione sunt, vt color & sapor: in intellectu patiente rerum distinctarum, distinctæ sunt species intelligibiles: nec quia se mutuò permeant, vt sic dicam, veram propterea permixtionem aut confusionem patiuntur, vt nec species visibiles in oculo, nec objecta visibilia in speculis confunduntur: quæ si videmus in naturalibus contingere, quantò magis in Deo possibilia?

Excipit secundò, in hac reciprocâ personarum immanentiâ *in* idem valere, quod *cum*: hoc multis exemplis demonstrari posse: & *Christum in præsenti materiâ voculam illam elegisse, ad exprimendum Patrem Filio præsentem, & omnia per ipsum operari.*

Resp. 1. Etsi sint complura loca, in quibus particula ἐν æquè commodè, quoad sensum rei de quâ agitur, exponi potuisset per particulam σὺν; non propterea ad enallagen illam *in* pro *cum* confugiendum necessariò. Consulatur locus Mat. 3. v. 11. Mat. 6. v. 29. Mat. 11. v. 21. Mat. 16. v. 27. Mat. 25. v. 31. 2. Tim. 1. v. 13. 2. Etsi loca quædam, per ejusmodi enallagen, *in* pro *cum* sint exponenda, vt exempli gratiâ locus ille 2. Cor. 13. v. 4. in casu tamen præsenti illa enallage admitti non potest, quia nulla ratio cogit aut suadet. Hæc verba de fidelibus vsurpata, mysticam quidem conjunctionem significant, quæ inter Christum & fideles, membra ejus; sed particula ἐν in illis non significat *cum*, sed potius *in*, tum quia hæc nativa ejus significatio; tum etiam, quia illa accommodatior est

ad

ad arctissimam illam conjunctionem Christi & fidelium denotandam, vt res ipsa per se loquitur: major enim vnio est per immanentiam, quam commanētiam, vt sic dicam. Taceo, quod Salvator noster hanc spiritualem conjunctionem exposuit similitudine vitis & palmitum, ad quam etiam significatio vocis *in* convenientior. 3. Dato enallagen esse in hisce de Patre & Filio dictis, tamen hæc de præsentiâ & conjunctione exponenda essent, quâ sunt secundum essentiam vnum: nam Christus hisce verbis *Pater in me & ego in eo*, vrget illud, quod antea propositum: & thesin illam suæ cum Patre ὁμοουσίας mordicus retinet, nec alius sensus in verbis Iohan. 14. vers. 10. 11. 12: eodem enim modo argumentatur, vt hîc. Postremò de operatione Patris per Filium, quam statuunt Sociniani, quid judicij faciendum, videat lector in examine loci Ioh. 5.

CAP. V. Tertiæ Classis argum.

De loco Joh. 14. vers. 1.

LOcus sic habet, *Creditis in Deum, etiam in me credite.* Et v. 7, *si nossêtis me, Patrem etiam meum nossêtis.* v. 9. *tanto tempore vobiscum sum, & non nôsti me? Philippe qui vidit me, vidit Patrem.*

Socin. pag. 271. Hic complura pro divinitate Christi argumenta sunt, inter quæ primum hoc v. 1: *creditis in Deum, & in me credite. In quem credendū est, ille est vnus ille Deus. In Christum credendum est.*

Ergo

Ergo negat argumenti majorem Socinus, & firmat negationem suam exceptione duplici. Prima eſt, *quia in hiſce verbis docetur in Chriſtum credendum, etiamſi non ſit Deus ille vnus, ſed expreſſè ab illo diſtinguatur.* Secunda eſt, *fidem eſſe duplicem.* Ad primam ergo hanc exceptionem confirmandam, primò ait: *diſtinguit Chriſtus manifeſtè inter ſe & Deum : & ſic oſtendit alium eſſe ſe, & alium Deum illum vnum, quia Græcè legitur vox Deus hoc loco cum articulo.* Ad quod reſpondeo: cum dicit adverſarius hoc de Chriſto non intelligi, quia voci Dei articulus eſt additus; in eo vehementer fallitur: nam etiam vox θεὸς de Chriſto cum articulo legitur, eo etiam loco, quem vel ipſe adverſarius de Chriſto intelligendum agnoſcit: vt Iohan. 20. verſ. 28. ideoque hoc argumentum, ab articulo deſumptum, non concludit, quod alibi Socinus agnovit, vt videbitur in examine loci Ioh. 20. & in tractatione argumenti à nomine Dei ſumpti; vbi amplius, Deo volente, demonſtrabitur, ſicut hoc ſuprà aliquatenus demonſtratum eſt, non rectè ex additione, vel omiſſione articuli iſtius concludi, quod ille ex eo concludendum putat: ac proinde meritò negari poteſt, articulum hîc eſſe additum, ſingularis Dei declarandi ſeu ſignificandi gratiâ. Deinde Chriſtus à Deo non diſtinguitur, ac ſi non eſſet Deus, ſed à Deo Patre diſtinguitur: nam cum dixiſſet, *creditis, vel credite in Deum* (vtramque enim ſignificationem vox Græca πιςέυετε permittit) ſubjungit verſ.2. *in Domo Patris mei* &c. Accedit, etiamſi Deus abſolutè

conſi-

consideretur, cum dicitur, creditis in Deum: Christus quamvis etiam Deus ille, non malè à Deo absolutè considerato distinguitur, quia Mediator & θεάνθρωπος, vt ostendat simul hac ratione, se *in*, & *sub* hoc objecto fidei, de quo dixit, *creditis in Deum*, esse comprehensum.

Exagitat hîc Socinus Bellarm. quia scripsit additam particulam *&* propter humanam Christi naturam, quod ille fieri non potuisse existimat, *nisi humana Christi natura hîc per se ipsa consideretur, quia ejus particulæ, in tali verborum constructione, officium perpetuum est, distinguere, & alioqui diversa aliquâ in re copulare: at inquit humana Christi natura non consideratur hîc per se nudè, sed vt divinitati conjuncta, quia agitur de credendo in ipsum Christum.* Hæc summa.

Resp. Tota hujus Socinianæ argumentationis vis in eo est: Christum non potuisse sic distinguere, nisi statuatur, Christum non esse Deum illum; particulam *&* non distinguere aut copulare, in sententiâ nostrâ, alioqui diversa in aliquâ re. Verùm evertitur hujus argumentationis vis per hoc. 1. Quod Christus sic loquendo se à Patre distinguere potuit. 2. Quod sic se distinguere potuit à Deo absolutè cõsiderato: inter Deum enim, absolutè conceptum, & personã Filij discrimẽ est. 3. Inter Deum, & Filium, quâ θεάνθρωπον & Mediatorẽ, distinctio est.

Socin. pag. 272. 273. Secunda ejus exceptio est, *fidem nostram in aliquo collocari ac terminari vt primâ fælicitatis nostræ causâ; sic in Deum tantùm credendum esse dicit; vel vt in causâ secundaria & subordinata fælicitatis nostræ.*

Resp.

Resp. 1. Contra hanc exceptionem videatur locus primus secundæ classis, in argumento altero, ex eo loco formato. 2. Filius quidem causa subordinata, secundum œconomiam, & submissionem voluntariam, in quâ salutem nobis acquirit, & communicat: in se tamen absolutè consideratus, causa Patri æqualis, etsi Pater prima, secundum ordinem originis. 3. Cum ista potestas salvandi nos, Christo demum communicata sit per glorificationem & exaltationem ad dexteram Dei, fiduciæ salvificæ, cum in terris ageret, ratione hujus potestatis objectum esse non potuit. Prius enim necesse est fundamentum esse, quàm id quod fundamento superstruitur: potestas illa salvandi fundamentum est, id quod fundamento superstruitur, cultus est: necesse est ergo, prius esse Deum, quàm coli vt Deum: nam alioqui colere liceret, quod neque divinitatem à naturâ, neque ex gratiâ habet, imò quod non est in rerum naturâ, modo aliquando futurum Deus.

Secundum hujus loci argumentum desumitur ex vers. 7. 8. *Si cognovissetis me, & Patrem meum vtique cognovissetis:* hîc si concedatur agi de cognitione doctrinæ, operum, attributorum, voluntatis Dei, & Mediatoris Jesu Christi; ab istâ tamen cognitione non est excludenda doctrina de vnitate naturæ, sed ad τὸ ὁμοούσιον dirigenda, vt sequentia inprimis vers. 10. 11. 12, collata cum loco Ioh. 10. v. 38. demonstrant.

Socinus hoc impugnandum sibi sumens; ait primò de cognitione essentiæ non intelligenda hæc, quia vsus loquendi obstat, *in quo aliquem* *Socin. pag. 273.*

cognoſcere, longè aliud perpetuò ſignificat, quàm ipſius eſſentiam noſſe. Ad hoc reſpondeo, negans huic noſtræ interpretationi obſtare loquendi vſum; nam aliquem cognoſcere ſæpè eſt eſſentiam ejus noſſe. Sic angelos cognoſcit, qui eſſentiam eorum cognoſcit. Cognoſcitur anima rationalis verâ eſſentię apprehenſione. Ita juxta vulgarem loquendi modum, homo hominem cognoſcere dicitur, cum alter alterius perſonam novit, etſi vitia, virtutes, ſtatum, alter alterius non noverit.

Socin. pag. 274. Secundò ait loci circumſtantias repugnare: *agi de cognitione doctrinæ & muneris Chriſti, per quæ cognita, ad cognitionem decreti & voluntatis Dei Patris pervenitur; conſequenter ad conjunctionem cum ipſo Deo & beatam vitam: nec vllum indicium pro cognitione eſſentiæ.*

Reſp. Eximia doctrinæ pars eſt, doctrina de ὁμοουσίᾳ Patris & Filij. Nobiliſſimum doctrinę Euangelicæ & ſalutiferæ objectum eſt, Deus in carne manifeſtatus. Doctrina de hoc objecto conſertam ſibi habet doctrinam gratioſi decreti, ac voluntatis Dei, de nobis ſalvandis; quapropter immeritò Socinus hanc de vnâ & eàdem Patris & Filij Deitate ſalvificæ doctrinæ, quæ nos promovet ad beatam vitam, oppoſuit, contra Scripturę authoritatem, quæ in hac cognitione vitam collocavit Iohan. 17. verſ. 3.

Tertiò objicit, *verba quæ ſtatim conſequuntur, jam nunc noſtis eum & vidiſtis eum: neque enim aliud reipſâ hîc dicere voluit, quàm id, quod antea dixerat, & quò ego vado ſcitis, & viam*

ſcitis:

ſcitis: quod certè nihil quodammodo cum cognitione eſſentiæ Dei, quæ in hac vitâ mortali haberi poteſt; ſed multum cum cognitione decreti & voluntatis divinæ commune habet. Ex eo enim, quod ſcirent quò Chriſtus iret, & quâ viâ eò iretur, diſcipuli Dei Patris decretum de ipſis, ac voluntatem noverant.

Reſp. 1. Commodius hæc verba ad prius tantùm referri: nam de viâ egit Salvator v. 6. 2. Reſponſio jam data ad ſuperius effugium, hîc etiam locum habet.

Tertium, quod ex his verbis ducitur eſt v. 9. *tantum temporis vobiſcum ſum & non noſti me?* cauſam hujus exponens Socinus ait, eam eſſe, *quod non cognoſcebant, qualis Chriſtus eſſet, & quale ejus regnum, quod non cognoverunt, niſi poſtquam Sp. S. acceperunt glorificato Chriſto, quod inter cætera oſtendit ipſorum in reſurrectione Chriſti incredulitas.*

Reſp. De regno Chriſti ſpirituali hîc non agi: non enim ratione ſpiritualis regni, quod adeptus demum per exaltationem, dicit *Pater in me & ego in Patre, Pater qui in me manet, ipſe facit opera.* Ex hiſce verbis non elicitur hic ſenſus, *ego rex ſpiritualis ero, & regnum meum ſpirituale erit*, qui tamen hinc eliciendus eſſet, ſi vera eſſet expoſitio Socini. Nam hiſce verbis verſ. 10. 11. 12. Chriſtus manifeſtè urget, quod in antecedentibus propoſuit. Adde quod hiſce verbis agatur de rebus, quæ jam tum erant: at regnum Chriſti, ſi Socino fides, non erat adhuc extra nihilum, ſed Chriſto hoc tempore tantummodo decretum: nec Chriſtus in terris

versans, exercebat opera spiritualis illius & cœlestis regni propria; nec etiam in eo potentia (ex suppositione adversariorum) residebat, ad operum patrationem necessaria, quæ augustam majestatem regni illius deceant: Christo enim in terris agenti, Socinus potestatem tantùm tribuit in mortem & dæmonas, quatenus ad hãc præsentem vitam spectant. Sunt ergo hæc verba, propter rationes jam expositas, dirigenda ad naturæ identitatem, etsi jactet Socin. gloriatione vanâ, nullum in vniversâ Euangelicâ historiâ pro hac re indicium extare.

Socin. pag. 239. 257.

Quartum est, *qui vidit me vidit Patrem.* Ad hæc verba Wiekus sic scripserat. *Sciebant Apostoli, nihil homini posse sufficere ad salutem & veram beatitudinem, sine cognitione veri Dei: quem verum Deum Patrem esse non dubitabant, proptereà Christus respondens Philippo: Philippe qui videt me, videt & Patrem, non satisfecisset quæstioni illi, nisi significare voluisset, se esse verum Deum, & vnum Deum cum Patre: atque in cognitione sui salutem consistere, sicut in cognitione Patris.*

Socin. pag. 275.

Hæc impugnans Socinus scribit, *nullo modo ex verbis illis colligi posse, in cognitione Christi salutem consistere, non secus atque in cognitione Patris: licet ea ad Philippi petitionem* ostende nobis Patrem *omnino respiciant: ex quâ, propter subsequentia verba,* & sufficit nobis, *apparet Philippum in vnâ Patris cognitione salutem posuisse. Imò ex hoc ipsó id evidentius apparet, quod & ipsa Christi verba præ se ferunt: eatenus videlicet in Christi cognitione salutem consistere, quatenus Christo cognoscendo*

ſcendo ejus Pater cognoſcitur. Nec aliter ſanè eſt intelligendum, quod idem Chriſtus alibi dixit Ioh. 17. v. 3. vitam æternam eſſe, cognoſcere Patrem & ipſum Chriſtum. Tantummodo addendum eſt, non modò, cognito Chriſto, cognoſci Patrem; ſed non niſi per Chriſti cognitionem ad cognitionem Patris perveniri: & propterea meritò Chriſtum dixiſſe, in ipſo Chriſto cognoſcendo vitam æternam conſiſtere.

Reſp. Per antitheſin, tam ex hiſce verbis poſſe colligi, cognitionem Chriſti ad ſalutem eſſe neceſſariam, quàm Patris: nec Philippum in ſolâ Patris cognitione ſalutem poſuiſſe credibile eſt, cui Filius ſtatim cognitionem ſui, ſub ipſâ neceſſitatis ratione inculcaverat, v. 6. & fidem in ſe, vt in Deum prę ſcripſerat, v. 1. quod fidei poſtulatum neceſſariò omnibus ſalvandis prę ſtandum, quam neceſſitatis rationem Scriptura ſæpius indicat per propoſitionem negativam, quâ dicitur, eum qui non credit, non habere vitam. Quod ſi ergo Philippus in ſolâ Patris cognitione ſalutē poſuiſſet, cum magno errore poſuiſſet, poſuiſſe autē non demonſtrat hoc quod dicit *ſufficit:* nulla enim Euãgelij pagina eſt, quę non reclamet. Quid enim frequentius occurrit, quàm fide & cognitione Ieſu Chriſti homines ad ęternam vitam promoveri? Chriſtianæ religionis neceſſitatem ad ſalutē negat, qui hoc negat. Dixit ergo *ſufficit*, quia Filium ſibi & alijs Apoſtolis jam probè cognitum putabat. Ejuſdem farinæ eſt, quod ex reſponſo Chriſti exprimit, eatenus videlicet in Chriſti cognitione ſalutem conſiſtere, quatenus, Chriſto cognoſcendo, ejus Pater cognoſcitur, & huc refert dictum

Ioh. 17. v. 3. At nego, doceri istis verbis Christi, aut hoc loco Ioh. 17. Christi cognitionem non esse salutarem, nisi vt relatum ad cognitionem Patris: aut sub ratione medij tantùm, fidem & cognitionem Iesu Christi præscripta esse. Fides in Christum non præscribitur tantùm, quà medium fidei in Deum Patrem, sed etiam per se & propter se postulatur. *Creditis in Deum, etiam in me credite* Iohan. 14. vers. 1: mediorum nullus vsus, nulla necessitas, vbi quis finem assecutus; volitio enim mediorum tantùm propter volitionem finis: hic dicit, *qui vidit me vidit Patrem*, non dicit se tantùm videndum, propter istam causam vt Pater videatur, aut id ex quo revera sensus iste elici debeat. Ita Ioh. 17. v. 3. duo salutaris cognitionis objecta proponuntur, non sub distinctâ medij & finis consideratione, sed sub ratione potestatis & majestatis divinæ in vtroque residentis, propter quam cultu & cognitione, non tantùm Pater, sed & Filius in se & propter se dignus. Denique si Filij cognitio non est necessaria, nisi quà eâ ad colendum & cognoscendum Patrem dirigimur, non est quod Socinus cum asseclis suis tantopere succenseat Francisco Davidis, qui Christi cultum & adorationem sustulit: nam ad salutem sufficit, credere in Deum Patrem, & eũdem colere. Dices hoc impossibile, vt quis credat in Deum, & eundem colat & adoret, & nõ credat in Filium eumq; colat & adoret. Contra hoc replico, Christi cultum & invocationem esse, ad nos in fide confirmandos, & ad fragilitatem nostram sublevandam, Socin. pag. 49. Unde &

verba

verba ejus ibidē ſunt. *Quod ſi quis tanta eſt fide præditus, vt ad Deum ipſum perpetuò rectâ accedere audeat, nec conſolatione, quæ ex Chriſti fratris ſui, per omnia tentati, invocatione proficiſcitur, indigeat; hic non opus habet vt Chriſtum invocet* : de iſtâ conſolatione fidei, confirmatione & fragilitatis noſtræ ſublevatione Smalc. cap. 25. Libri de divinitate Ieſu Chriſti, vbi de cauſis exaltationis Chriſti. *Revelârat, inquit, nobis & promiſerat Deus per Ieſum Chriſtum vitam æternā & immortalitatem. Noſtrum jam erat Deo revelanti & promittenti fidem habere : ſed primùm, quia nimis natura noſtra diſtat à naturâ divinâ : deinde, quia nimis hoc arduum erat, & captum noſtrū ſuperans, hominem naturâ mortalē; & morti, propter propagationem quam ex Adamo habet, obnoxiū; & morte deniq; propter ſua ipſius peccata dignū, tam citò alium futurum, vt ex mortali immortalis, ex morti obnoxio à morte liber, ex morte digno vitâ æternâ dignus evaſurus ſit: quia deniq; res iſta plane inaudita antea erat & ipſa novitas, itaq; vix fieri poſſe videbatur, vt iſta fides noſtra firma eſſet; imo facillimè fieri poſſe videbatur, vt homines ineptitudinis ac indignitatis ſuæ tam multiplicis memores, Deo tātum bonum promittenti fidē non adhiberent, atq; ita omnis opera Dei vana & irrita fuiſſet. Hoc Deus ille ſummus, bonus, & Pater miſericordiarū providēs, noſtram hanc infirmitatē ita juvare dignatus eſt, vt nemo, niſi deploratus, fidē Deo habere non poſſit. Parum enim fuit, iſtā Dei promiſſionē de ſalute noſtra, Ieſu Chriſti innocentiâ, miraculis, & ipſâ morte cōfirmatam fuiſſe. Nam ſi Chriſtus in morte remāſiſſet, quantumvis doctrinam ſuā firmiſſimè confirmare*

visus esset: vana tamẽ fuisset fides nostra. Quomodo enim gregarij milites sperent vitam æternam, siquidẽ dux belli à morte absorptus est? ostensam igitur etiam nobis esse illam annunciatam, & confirmatam salutem æternam Deus voluit, per Iesu Christi ex mortuis resurrectionem & exaltationem. Sed etiam hoc parum fuit. Nam si Christus ex mortuis resuscitatus tantùm fuisset, & in cœlum non ascendisset, credere quidem potuissemus, fieri posse, vt nobis vita æterna detur, quia scilicet Christo duci nostro data sit: sed tamen eandem certò nobis etiam datum iri, nondum perfectè scire potuissemus. Nam magna similitudo erat inter Deum & Christum, ideoque non vsque adeo mirum erat, si Deus ei vitam concessit immortalem: at inter Deum & nos maxima est omnino dissimilitudo, ideoq; nimis mirum erat, nos vitam à Deo æternam sperare debere. Istam igitur nobis promissam, confirmatam & ostensam salutem, datam nobis etiam quodammodo esse Deus voluit, vt ita quam certissimi de eâ essemus. Hoc autem Deus efficit, dum ei, quem non puduit nos fratres suos appellare, Dominum nostrum absolutum effecit, &, vt ibidem legitur, potestatem donavit, nos nunc perpetuò regendi, & tandem reipsâ nobis vitam æternam donandi. Hęc Smalcius ex cerebri sui lacunis. Totum huc recidit, Christum immortalitate & vitâ æternâ donatum, ejusdemque dandę nobis potestate, vt certò sciremus Deo obtemperantibus vitam æternam paratam esse: hoc cum per doctrinam Christi divinam certissimum sit, ijsque etiam spes illa certa, qui neutrum hoc de Christo credunt, Act. 24. vers. 14. nulla inde patet necessitas adorationis

tionis Filij ad adorandum Patrem. Si enim iſtius poteſtatis fides non eſt neceſſaria, vt colatur & adoretur Deus Pater, non eſt neceſſarium etiam vt colatur & adoretur Filius propter iſtam poteſtatem, ad colendum Deum eique fidendum. Addo ſi hæc ſit cauſa adęquata exaltationis Ieſu Chriſti, nullam inde conſurgere neceſſitatem cultus & invocationis Ieſu Chriſti, ſed ſequetur tantum Deo Patri ſerviendum, propter certiſſimam æternæ vitæ ſpem per immortalitatem & exaltationem Ieſu Chriſti.

CAP. VI. Tertiæ Claſſis argum.
De loco Iohan. 16. verſ. 15.

OMnia quæ Pater habet mea ſunt. Quicunque habet quæ Pater, eſt etiam is Deus, qui Pater. At Filius habet ea quæ Pater, ergo etiam eſt is Deus qui Pater. In ijs autem quæ Filius à Patre habet, eſſentiam comprehendi debere, inde docetur, quia hæc communitas rerum inter Patrem & Filium eſt reſpectu ejus, quod Sp. S. accipit ab vtroque, quod cum ſcientiâ rerum, neceſſariò etiam eſt eſſentiâ.

Socinus primò contra minorem objicit. *Omnia quæcunque Pater habet mea ſunt, non poſſe, ex vſu communi loquendi, referri ad Patris eſſentiam, vt ipſe Bellarmin. vidit: qui ſibi ipſi opponit exemplum hujus locutionis in marito & uxore, cum dicimus, omnia quæ habet vir ſunt vxoris.* Sed reſpondetur hæc verba non eſſe interpretanda ex vſu communi loquendi; ſed ex poſtulato materię ſubjectæ, quod & Bellarminus vidit, cum ad iſtam objectionem à ſe motam ſic reſponderet.

Socin. pag. 277.

Verba superiora excludunt hunc sensum, præcedit enim, *ille me clarificabit, quia de meo accipiet.*

Secundò duo objectat contra minoris prosyllogismum. Primum est, *Spiritum Sanctum à Filio non accepisse scientiam*; quod conatur probare ex verbis ibi sequentibus, *& revelabit vobis: scientia, inquit, non revelatur, sed datur seu donatur.* At respondeo scientiam revelari, dici posse, tam propriè quàm Apostolus Paulus dixit, *sapientiam loquimur inter adultos, sapientiam autem non seculi hujus, neque principum seculi hujus qui abolentur. Sed loquimur sapientiam Dei in mysterio occultam.* 1.Cor.2.v.7. An non Apostolus hanc Dei sapientiam loquens, eam nobis revelavit & annuntiavit? quod si verum, vt profectò est, cur idem hîc de Sp. S. dictum esse, nō existimabimus?

Socin. pag. 278. 279. Obijcit Socinus *hæc nō intelligenda de scientiâ, sed de rebus quæ ad Patrem pertinerēt, quod attinet ad negotium salutis nostræ, & consequenter pertinerent ad Filium, cum quo, in negotio salutis nostræ, Pater omnia cōmunicavit, & idcirco ait Christus* de meo accipiet & revelabit vobis. *Id est ea accipiet patefacienda vobis, quæ ad me pertinebunt.*

Resp. Hęc verba de scientià accipienda esse, demonstratum est, & demonstratur amplius. Nam non agitur simpliciter de rebus Patris Filio à Patre communicatis, & à Spiritu Sancto accipiendis, vt revelaret eas Apostolis; sed de rebus illis Filio à Patre & Sp. à Patre per Filiū quoad scientiam communicatis: accipere ergo Sp. S. de eo quod Christi, non est simpliciter, res ad Christum pertinentes & salutem nostrā concer-

concernentes, objectũ esse scientiæ quam communicaret Apostolis Sp. S. (quod alioqui nos non negamus, vt nec illud de rebus Euangelicis hîc agi) sed res illas traditas esse Sp. S. à Filio, vt sciret Sp. S: quam communicationem verba hęc insinuant, *ille de meo accipiet*; nam de rerum communicatione, secundum esse cognitum, hîc manifestè agitur, vt docent verba v. 13. *non loquetur à semetipso; sed quæcunque audierit loquetur.* Hęc verba Christi optimam & certam interpretationem verborum subsequentiũ nobis exhibent. Spiritus ergo S. accipit de ijs quæ Christi sunt, *cum non loquitur à semetipso; sed quæcunque audiverit à Christo loquitur*, vt Christus à Patre accepit & locutus est nobis, *quod vidit & audivit* Ioh. 3. v. 32. Hinc ista vox ejus, *omnia quæ Pater habet, mea sunt*, eo sensu quo dixit Mat. 11. v. 27. *omnia mihi tradita sunt à Patre meo, & nemo novit Filium, nisi Pater: neq; Patrem quisquam novit, nisi Filius, & cuicunque voluerit Filius retegere.*

Ex hoc loco, vt hoc in transcursu moneam, ostendi potest, parum firmas aut nullas esse argumentationes illas, quas Sociniani nectunt, adversus sententiam orthodoxam, de Filij deitate, ex locis illis, in quibus dicitur, *Dei Filius à seipso non operari; illi omnia dari à Patre, omnia ad Patrẽ referre*; argumẽtationes illas Sophisticas esse, vel ex hoc loco ostendi potest; in quo de Sp. S. legitur, *eum à semetipso non loqui; sed loqui quæcunq; audiverit*: nam Sp. S. hæc ab alio habet, & tamen est Spiritus æternus, increatus, Deo naturalis,

naturalis, ſcit ea quæ Dei, naturaliter & neceſſariò, & non habet hoc ex gratiâ à Deo, & tamen habet ab alio. Non arſurdum ergo Filium à ſeipſo non operari, omnia ei à Patre dari, & omnia ad Patrem referre, & tamen non habere hoc ex gratiâ, ſed naturaliter & neceſſariò.

Alterum, quod contra majoris proſyllogiſmum movet, eſt; *dato de ſcientiâ hîc agi, tum illam cum eſſentiâ non eſſe idem, nec, quia ſcientia communicata eſt, eo ipſo etiam eſſentiam communicatam eſſe.* Hæc altera contra minoris proſyllogiſmum objectio duabus conſtat partibus. Prior eſt, dato de ſcientiâ hîc agi, tum illam cum eſſentiâ non eſſe idem. Ratio eſt hæc, *quia ex ſuppoſitione noſtrâ, eſſentiam Sp. S. accepit ab æterno; hoc verò loco agitur de re nondum acceptâ, ſed quam erat accepturus.* Reſp. Sp. S. non dici accepturum eo ſenſu, ac ſi jam nōdum accepiſſet: ſed hoc dici ratione revelationis & annuntiationis faciendæ, quæ nondum erat facta. Sic autem rectè à me reſponderi, monſtro ex eo, quod verſ.13. Dominus noſter, de ſcientiâ vt communicandâ, & non vt communicatâ Sp. S. loquitur, quę tamen in Sp. S. eſt æterna: nam ille non didicit in tempore, quod non ſcivit ab æterno, nec cępit in tempore, cum Apoſtolis per vniverſum orbem prędicandum eſſet Euangelium, profunditates Dei, quas Apoſtolis revelaret, ſcrutari: fuit quidem illa Euangelij Sapientia in myſterio occulta, vt teſtatur Apoſtolus Paulus. 1.Cor.2. verſ.7. nunquam tamen Sp. S. in myſterio occulta; nam vt arcana hominum alijs, non Spiritui hominis, qui eſt in

eo, occulta ſunt, ita & de Dei arcanis ſtatuendum eſt, in quo etiam Apoſtolum adſtipulantem habemus 1. Cor. 2. v. 11.

Poſterior ſecundę objectionis pars eſt. *A ſcientiâ communicatâ, argumentum non valere ad eſſentiam communicatam; poſito etiam quod verum eſſet, ſcientiam in Deo idem eſſe, quod eſſentiam; quia hæc ſcientia communicata, ſcientia eſſentialis non eſt, nec eße potuit.* Reſp. Hanc ſcientiam Sp. S. nec aliam eſſe, nec aliam eſſe potuiſſe, quàm ſcientiam Dei eſſentialem. Nam Sp. S. eſt in Deo, nec ſcientiam productam habet, nam alioqui duplex in Deo ſcientia eſſet, eſſentialis & producta: at non eſt in Deo ſcientia producta; ergo ſcientia Sp. S. eſt eſſentialis, & eſt vna & eadem Dei & Spiritus ejus ſcientia. Eſſentialem ſcientiã communicari non poſſe, falſum eſſe ex hoc ipſo loco evincitur. Nam Sp. S. ſcientia eſſentialis Dei ſcientia eſt, & communicata, *nam à ſemetipſo non loquitur, ſed quæcunque audit:* quod autem communicatum eſt, certum eſt communicari potuiſſe.

CAP. VII. Tertiæ Claſſis argum. *De loco* Iohan. 20. verſ. 28.

ILle ſic habet. *Reſpondit autem Thomas, & dixit ei, Domine mi Deus mi. Argumentum ex hoc loco tale eſt. Qui hîc appellatur Deus & Dominus, eſt Deus ille vnus. Chriſtus hîc appellatur Deus & Dominus: ergo eſt Deus ille vnus.* Majorem probat Bellarm. & cum ipſo Wiekus; tum quia in

Socin. pag. 280.

in Græco articulus, qui ſignificat illum Deum verum: tum etiam, quia Thomas cum eſſet Iudæus, non noverat alium Deum, præter illum, de quo ſcriptum eſt Deut. 6. v. 4. *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt.*

Majorem & probationes ejus impetit Socin. Ac primò ad probationem illam ex articulo, ait *articulum non habere hoc loco vim cujuſdam ſingularis Dei declarandi, propter additum nomini ὁ θεὸς pronomen μȣ. Quando enim, inquit, ejuſmodi pronomina nominibus adduntur, nec cum ſubſtantivo verbo nomina efferuntur, tunc ſolet articulus, nominibus præpoſitus, non habere vim ſuam conſuetam, nec aliam ſingularitatem ejus rei, quàm nomen, cui præponitur, ſignificat, præter illam, quæ ex ipſo addito pronomine colligitur: vt exempli cauſa* Mat. 7. verſ. 9. *quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit Filius ejus panem, numquid lapidem porriget ei? certè non intelligit aliquem ſingularem, ſeu unicum Filium, ſed quemlibet filium.*

Reſp. Quamvis in articulo, vel addito vel omiſſo, non tantùm ſit momenti; quia tamen adverſarius nihil non per chemicam induſtriam elicit ex iſtâ voculâ, non immeritò illi articulus hoc loco obijci potuit: nam regulam illam, quam de articulo hîc procudit, & varijs cautelis reſtringit, nō aliam ob cauſam reſtringit, quàm vt vim articuli, quâ ſæpius in nos pugnat, & ictum, ab articulo ſibi illatum, elidere poſsit.

At ſi hæc ejus obſervatio pro regulâ haberi deberet, neceſſe eſſet complura exempla occurrere, in quibus ex oculari inſpectione textus, hoc poſsit eſſe manifeſtum. Nam alioqui ex parti-

particulari exemplo non debet fièri regula communis. Locus ergo præsens intelligendus potius, secundum communem articuli hujus vsum, quàm secundum hoc exemplum particulare Mal. 7. vers. 19. Deinde etsi hîc nomen substantivum non sit expressum, Iesus Christus tamen intelligitur; dicam ergo exemplũ Mat. 7. dissimile esse.

Verùm his missis, aio argumentationem ex eo procedere, quod Thomas eum Dominum & Deum suum vocat; ista enim appellandi ratio, Deo in Script. propria: nam isti duo tituli ita conjuncti, nunquã & nusquam in sacris creaturę tribuuntur: ita vnum illum Deũ bis discribit Christus. Mat. 4. v. 7. 10. Quando quis quoque in Scripturis *Deum absolutè Deũ suum vocat, tum semper intelligitur Deus ille verus & æternus.* Nec minus detulit Christo hac suâ confessione Thomas, quod eum Deum suum professus est; quam quidem illi detulisset, si simpliciter, & non sic relativè, eum Deum appellasset, tam enim relativè quàm absolutè in verbo suo proponitur: imò excellentiam & divinam suam majestatem nunquam gloriosè magis contemplandam nobis offert, quàm per istiusmodi relativas denominationes. Ita Ionas, *Iehovam Deum cœlorum revereor, qui fecit mare & aridam. Ego Iehova Deus tuus, qui te eduxi ex Ægypto. Et Iehova Deus Patrum vestrorum, Deus Abrahami, Deus Isaaci, Deus Iacobi, misit me ad vos, hoc nomen meum in seculum, & hoc memoriale meum in omnem ætatem.*

Secundò

Socin. pag. 281. Secundò aliàm disputationem de articulo movet: *sciendum esse, eum posse accipi, ac si adverbium vocandi esset, vel redundare, & simul enallagen hîc esse posse nominativi, pro vocativo:* sed jam responsum, sine articulo vim argumenti saluari posse, & sive casus vocativus sit, sive nominativus, hoc ad vim argumenti indifferens est.

Inde venit ad probationem ex fide Thomę, qui cum Iudæus, non novit alium Deum, pręter illum vnum in lege propositum. Ad hoc excipit, *Thomam, cum illa verba proferret, non jam Iudæum religione, sed Christianum fuisse; ac propterea Christum hominem suum Deum agnovisse, id est sibi ab uno illo Deo, divinæ potestatis plenum, regem datum, à quo æterna salus sibi exspectanda foret, quemque divino cultu afficere deberet.*

Resp. Ista solutio Socini est arundinea. Nam primò deitas illa Socini ens imaginarium est. 2. Ipsa verba repugnant, quæ non inveniuntur vsurpata, nisi de Deo illo vno. 3. Thomas hoc tempore nondum intelligebat hoc mysterium regiæ & divinæ potestatis Christi in mortem & vitam æternam, propter quam colendus esset, si verum est, quod Socinus suprâ scripsit pag. 275: nam ibi hoc non cognovisse ait, nisi postquam Sp. S. acceperunt, resuscitato & glorificato Christo: hoc ergo non intellexit tum Thomas, qui necdum, cùm dies ascensionis Domini instaret, intellexit cum cæteris Apostolis quale regnum Christi foret, vt probat locus Act. 1. v. 6. adeo vt mirari hîc cogar Socinũ, quod tam perspicacem Apostolo Thomæ tribuerit, idque

eo

eo magis, quia & si Christus jam resuscitatus erat, corpus tamen immortale non habebat, ex adversariorum hypothesi: nec apparebant in eo regni cælestis & immortalis regis indicia ante glorificationem, quæ illi contigit per ascensionem in cælos.

CAP. VIII. Tertiæ Classis argum.

De loco ad Rom. 9. v. 5.

ARgumentum hujus loci sic habet. *Qui est Deus super omnia, in secula benedictus, est unus ille & summus Deus Israel: at Christus Deus super omnia,* &c.

Primò contra assumptionem excipit, deinde contra majorem: antequam verò directè ad assumptionem respondeat; vult prius videri, ex liberali concessione hîc agere, dum largitur *vocem Deus in Pauli verbis legi dibere: Erasmus in annotationibus suis dicit, voculam* Deus *fortè de textu non esse, quia Cyprianus lib. 2. contra Iudæos Cap. 6, & Hilarius in Psalm. 122. non habent.*

Ad quod respondetur, in duobus manuscriptis codicibus Iacobi Pamelij legi vocem *Deus*: qui testatur etiam, in suis in Cyprianum annotationibus, in codicibus, quibus vsi sunt Manutius & Morelius, sic legi. Hilarius locum non citat integrum; nam omittit etiam *secundum carnem*, qui tamen lib. 4. & 8. de Trinitate citat hunc locum, cum voce *Deus*: nulla ergo illa liberalitas,

Excipit itaque eo poſito (vt ad rem veniam) *nullam eſſe cauſam, cur Eraſmi interpretatio reijciatur, qui poſt illa verba*, quod ad carnem attinet, *interpungit, & verba ſequentia abſolutè ad Deum refert; unam ipſe excipit cauſam, propter quam iſta interpunctio probanda non ſit, ea eſt, quod, cum ſimplex nomen* benedictus *idem ſignificat, quod, bene dictus ſit, ſemper fere ſolet anteponi ei, ad quem refertur, perrarò autem poſtponi.* Reſp. alias etiam eſſe cauſas, propter quas iſta interpretatio & interpunctio probanda non ſit. Nam primò temeraria eſt, quia nulla codicum, aut probatæ alicujus lectionis authoritate nititur; non enim ſine ratione interpunctiones immutandæ, & injurius in Patres Socinus hoc loco, dum ait eam ſecutos lectionem, quę maximè ipſorum ſententiæ favere videbatur. 2. Nullam habet veriſimilitudinem, Apoſtolum hoc epiphonemate ſe ad Deum Patrem convertiſſe, cum non de Patre ſed de Chriſto ſermo ſit.

Deinde ad majorem accedit, & primò excipit. *Ex ipſo Dei nomine illi tributo, id concludi non poſſe.* Ad quod reſpondeo, poſſe concludi, quicquid contra adverſarius: nam nomen Dei abſolutè probatum eſt proprium vnius illius Dei. Ut ſuo loco demonſtrabitur.

Secundò excipit, *agi non de deitate per naturā, ſed ea quæ per gratiam: vocem omnia non ita prorſus universè accipiendam: Paulum reſtringere, 1. Cor. 15. verſ. 27.* cum autem dicat omnia ſubjecta ei ſunt, ſine dubio intelligere præter eum, qui ſubjecit ei omnia: *Denique vocem Græcam, quæ reddita eſt, omnia, non minus reddi poſſe omnes,*

Socin. pag. 185.

quæ

quæ simpliciter probata, ad homines tantum referri soleat. Resp. De deitate ex gratiâ pluſculis in locis eſſe actum: neque etiam in locis illis, quę citat hic adverſarius. Eph. 1. v. 22. 1. Cor. 15. 27 Heb. 2. v. 8, vbi de glorioſâ exaltatione & dominatione Ieſu Chriſti agitur, dicitur Chriſto deitas donata: quem Iohannes dixit *in principio fuiſſe Deum*, & Thomas agnovit Deum, antequam ſic exaltatus eſſet: nec vllibi, cum Deus nominatur Chriſtus, gratia Dei Patris prædicatur, quę illi donavit eſſe Deum. Vocem *omnia* vniversè accipiendam eſſe, vel ex hoc loco Pauli patet, qui nullas res excipit, ſed tantummodo Deum ipſum. Nam Patris imperium eſt abſolutum ſupra omnia, non tamen ſibi imperat. Quod ſi regerant, eſſe abſolutè ſupra omnia, pręter ſeipſum, Filium etiam Patri ſubjectum: dicam longe aliam eſſe ſubjectionis illius rationem, quâ Apoſtolus dixit, Filium Patri ſubijciendum, in conſummatione ſeculi, & illius ſubjectionis, quâ omnia alia Filio ſubjecta: Filij enim ſubjectionem per traditionem regni interpretatur Apoſtolus, reliquorum ſubjectionem per abolitionem. Accedit, quod res omnes jam dicantur Filio ſubjectæ, etiamſi nunc nondum videamus ei omnia ſubjecta eſſe, vt loquitur Apoſtolus Heb. 2. verſ. 8: at Filius non dicitur Patri ſubjectus, ſed quia regnum traditurus, in conſummatione ſeculi, Patri demum ſubijciendus. 1. Cor 15. v. 28. Poſtremò vocem πάντων ſine cauſa ad homines reſtringit: nec juvat iſta reſtrictio adverſarium quicquam, qui Chriſtum confitetur, non tantùm

ſupra perſonas hominum, ſed & ſupra res omnes eſſe. Locus ille ad Corinthios ſic non reſtringit, ſed ab ijs omnibus, quæ ſubjecta Filio, ſolum Deum & Patrum Deum excludit. Catechiſm. Racou. Cap. de perſonâ Chriſti, obijcit, *ex Patribus eſſe, hominis eſſe, ac proinde eum non eſſe naturâ Deum.* At hoc revera nihil eſt, cum ſit id ipſum, de quo diſputatur.

CAP. IX. Tertiæ Claſſis argum. *De loco* ad Gal 1. verſ. 1.

DIcit Apoſtolus, *Euangelium ſuum non eſſe ſecundum hominem, neque ſe ab homine accepiſſe aut didiciße, ſed per revelationem Ieſu Chriſti,* Gal. 1.v.12. & v.1. *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum ac Deum Patrem. Qui eſt homo, & ad alios homines comparatus, negatur eſſe homo, cum non ſit eſſentiæ angelicæ, neceſſe eſt, vt ſit Deus ille vnus: At verum prius, ergo & poſterius.*

Socin. pag. 287 Socinus varia contra majorem obijcit. *Primò oppoſitionem non eße immediatam: non ſequi, eum qui non eſt purus homo, nec angelus nec pura creatura, eße Deum creatorem: eſſe qui contendant Chriſtum ſimpliciter non eße creaturam; negent tamen eße Deum creatorem, ex quorum numero ait omnes eſſe, qui Tritheitæ vocantur & novi Ariani.*

Reſp. Indigna hęc reſponſio. Quid? an ęquũ negare aliquid, quia alij negant, qui tuo judicio malè negant? Si Tritheita aut novus Arianus eſt, ſic reſpõdeat Socinus, & ſi eorũ probat ſententiã, non eſt, quod ęgrè ferat cum ſuis Ari-

anifmi

anismi titulum. Est itaque hęc prima ejus exceptio nugatoria planè, Tritheitis & novis Arianis, à quibus vnicè distingui cupit, relinquēda.

Secundò ait, *Christum opponi alijs hominibus, non secundum essentiam divinam; sed secundū excellentiā communicatam ex gratiâ: eò respexisse Paulum, cum mentionem fecit resurrectionis Christi à mortuis, quia resurrectione sæpius apud sacros scriptores significatur, quicquid resurrectionem est consecutū, vt probant loci* Act.2.v.32.33. Cap.13.v. 33. Rom.4.v.25. Philip.3.v.10. 1.Pet.1.v.3. & cap.3.v.21. *Iam singularitatem aliquam causam esse poße, vt res aliqua appellatione sui generis non comprehendatur, & tanquam si ejus generis non eßet, commemoretur, vt* Psalm 17, *ubi Saul distinguitur ab omnibus inimicis Davidis; cū tamen ipse vel summus Davidis inimicus esset; & Petrus apud Marcum* Cap.16.v.7, *distinguitur à discipulis Christi; cum tamen & ipse, & quidem eximius, Christi Discipulus esset: nimirum vtrobique propter singularitatem istam.* Socin. pag.288.

Resp. Si Christus hîc negaretur esse homo, propter dignitatem quam per glorificationem consecutus, non meminisset Apostolus resurrectionis ex mortuis, quæ hominis ita est propria, vt mortis & vitæ ipsius hominis in eâ mentio fiat. 2. Ob eminentiā & dignitatem, in scripturis aliquis non negatur esse homo; sed potius viri principes qui virtute, sapientiâ, authoritate cæteris antecellunt, sibi potissimum nomen hominis vendicant, vt Psalm.22. vbi David se vocat opprobrium Adam: sic se, quia vehementer affligebatur, & hostibus suis contemptui erat,

vermẽ dixit,non virũ. 3. Si hæc causa esset hujus oppositionis,tum ij, qui eminent inter alios virtute,potestate, sapientiâ,artibus, negarentur rectè homines esse. 4. Non est credibile, Christũ hominibus opponi ratione exaltationis suæ, cum sic exaltatus etiã, vbi de illâ ipsâ singularitate ejus mentio fit, homo dicatur, *Rom.5.v.15: 1.Cor.15.v.21: 1.Tim.2.v.5.* 5. Si Christus hîc dicatur non homo, quia homo singularis, & singulari prorsus ratione divinus, tum nihil in Christo, propter quod non non homo: nam & nativitas ex virgine, & vita & doctrina, Christum sic non hominẽ faciunt. 6.Sequetur inde, & fideles omnes non homines dici posse; nam & illis parata est resurrectio ex mortuis,& gloriosum in cęlis regnum;*maxima enim & pretiosa illis promissa donavit Deus, vt per hæc efficerentur divinæ naturæ consortes.* 2.Pet.1. vers.4.

Porrò quod resurrectione Christi,tacitè significetur,consecuta resurrectionem gloria; concedi quidem potest,etsi non necessariò hîc concedendum sit: nec hoc est perpetuum in sacris,vt Socinus existimat, nam suprà contrarium demonstratum est, in loco Act.13. Nec loca hîc adducta id evincunt. Act.2. Diserta fit mentio & asciensionis in cælos, & sessionis ad dexteram Dei: regiam dignitatem David à gloriâ resurrectionis distinxit: ut ostendunt verba Petri v.30. Propheta igitur cum esset, & sciret Deum jurejurando sibi jurâsse: fore vt ex fructu lumbi ipsius, quod ad carnem attinet, Christum illũ suscitaret,quem collocaret super thronum ejus, Ita ad Rom.4.v.25. 1.Pet.3.v.21,

nõ opus intelligere per resurrectionem aliquid, præter resurrectionem ipsam.

Probatio, quam pro suâ interpretatione adfert, *est, istiusmodi singularitatem causam esse posse, vt res aliqua, appellatione sui generis, non comprehendatur; & tanquam si ejus generis non esset, commemoretur, vt Psalm. 17. vel 18. v. 1. vbi Saul distinguitur ab omnibus inimicis Davidis; cum tamen ipse vel summus inimicus Davidis esset & Petrus apud Marcum cap. 16. v. 7. &c.*

Resp. Saulum non opponi inimicis Davidis: nec Saul è numero inimicorum Davidis eximitur; tantùm ab illis distinguitur, & comparat liberationem, è manu aliorum inimicorum, David cum liberatione è manu Saulis. Verba sunt: *quâ die eripuerat Iehova eum è manu omniũ inimicorum ipsius, vt è manu Saulis:* hîc distinctio & comparatio tantùm est, at in verbis nostris oppositio. Exemplum ergo non facit ad præsentem casum Marc. 16. v. 7. ubi legitur, *dicite discipulis ejus & Petro,* Petrus non eximitur è numero discipulorum; etsi speciatim nominetur, postquam in communi nominati discipuli, nec præeminẽtię alicujus habetur ratio hîc, vt somniant Pontificij, ad stabiliendum primatum Petri, cum Dominus nominatim jubet, Petro resurrectionem suam annuntiari: est ergo & hoc exemplum impertinens.

Secunda ejus objectio est, *expositionem illam, quæ continet id, quod apud omnes testatissimum est, cujus manifestum in textu judicium, cujus in rebus similibus exempla, præferendam esse ei, in quâ omnia contraria.*

Resp. Etiamsi in confesso sit, Christum immortalem esse factum, tamen glorificatione suâ Deum esse factum, non omnes sed paucissimi confitentur: nam Sociniani tantùm hoc confitentur, aut si qui cum ipsis opinantur, opinionem suam non ita palam produnt. Sunt etiam ex vestro grege Socine, qui hoc præfractè negant, vt Franciscus David, & qui partes ejus sequuntur. Expositio verò nostra cōtinet, quod est & fuit semper apud multò plures testatum, si humanis authoritatibus certandum. Deinde manifestum, expositionem nostram esse veram, qui Iesus Christus Deo Patri, in majestate & authoritate vocationis & missionis conjungitur: vers. 16. hujus cap. ad Galat. *Dei Filius* dicitur: ergo habemus hic vera divinitatis & essentiæ ejus divinæ indicia. Tertiò exempla adversarius pro suâ expositione non protulit; nos pro nostrâ adferre possumus: nam non desunt exempla, vbi id quod alicujus est, ejus tamen non esse dicitur; quia ejus non est solū Joh. 5. v. 22. *Nec enim Pater judicat quemquā.* Marc. 9. v. 37. *Quicunque me exceperit, non me excipit, sed eū qui misit me:* potuit ergo Christus hîc negari esse homo, quia non solùm homo, sed etiam Deus.

Addit superioribus & illud, suam expositionem probandam, *quia agitur de electione Pauli ad Apostolatum, qui divinâ prorsus ratione contigit, & modo alijs Apostolis non communi, à Christo nempe glorificato, & ipsi apparente; hunc autem peculiarem vocationis modum ex nostrâ interpretatione elici non posse.* (*Socin. pag. 289*)

Resp. 1. Apostolum Paulū suam vocationem reliquo-

reliquorum Apoſtolorũ vocationi nõ opponere, aut cum eâ tanquam digniorem conferre, quaſi illi ab hominibus,& per hominem Apoſtoli fuerint, quia à Ieſu Chriſto, cum in terris ageret, Apoſtoli ſunt vocati. Oſtendit Apoſtolus contra Pſeudoapoſtolos, vocationem ſuam ad Apoſtolatum legitimam eſſe, qui Apoſtolatum ejus, vt illegitimum,& humanâ tantùm authoritate nixum, in Eccleſijs Galaticis ſugillabant. 2. Mathias etiam electus à Chriſto glorificato, non ergo propoſitum Apoſtolo ſic loquenti, vocationem ſuam ab aliorum Apoſtolorum vocatione diſtinguere. 3. Interpretatio noſtra non obſtat peculiari & miraculoſæ Apoſtoli Pauli vocationi: nam etſi reliquis Apoſtolis in eo cum Paulo convenit, quod non ab hominibus, neq; per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum Apoſtoli; hoc Paulo tamen peculiare, quod vocatus à Ieſu Chriſto ex mortuis ſuſcitato: noſtra ergo interpretatio non minus agnoſcit hoc privilegium Pauli, quàm Socini, etſi noſtra id non eliciat ex illis verbis, non ab hominibus, neque per hominem.

CAP. X. Tertiæ Claſſis argum.

De loco ad Philip. cap.2. verſ. 6. 9.

DEcimum argumentum ductum eſt ex Epiſtol. ad Philip. cap. 2. v.6. 7. *Qui cum in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinanivit, for-*

mam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu compertus vt homo. Negat Socinus hoc vnius Dei esse, & operosè contra hunc locum disputat, ad luxandam insignis, & gravis loci authoritatem. Hoc agens Socinus, partim refutat argumenta, quæ pro sententiâ Orthodoxâ sunt, partim varia adfert pro opinione suâ. Duplici itaque viâ procedet disputatio nostra hoc loco: primò viâ confirmationis: secundò viâ confutationis argumentorum pro sententiâ contrariâ allatorum.

Vox μορφῇ quam hîc Apostolus habet, vt hoc prælibem, notat tum formam essentialem, quæ dat esse rei; tum accidentariam. Theologicus autem, & verus hujus vocabuli sensus, quo Iesus Christus dicitur in formâ Dei ὑπάρχων eruendus est, ex materiâ rei subjectæ de quâ agitur, & loci hujus circumstantijs. Dicimus ergo *in formâ Dei esse*, Paulo idem significare, quod esse Deum, naturâ & essentiâ divinâ esse Deum, vt est Deus, in cujus formâ Jesus Christus hîc esse dicitur, quod sic probatur. 1. Nemini dubium esse debet, quin si Christus naturâ æternus Deus, Apostolus ad hanc ejus Deitatem respexerit; cum diceret: *qui cum esset in formâ Dei:* at Christus sic est Deus, vt demonstratum hactenus. 2. Qui sic est in formâ Dei, vt æqualis Deo sit, ille est Deus, in
Psal.113. v.5. sensu Orthodoxo. At verum prius, ergo & posterius: consulatur hac de re locus tertius
Mich.7. v.18. hujus classis. 3. Si Jesus Christus in formâ Dei, cum formam servi acciperet, similis hominibus factus; tum forma Dei nonnotat

poten-

potentiam & authoritatem patrandorum miraculorum, quæ illi demum communicata, cum baptizaretur, aut circa istud fere tempus. At verum antecedens, ergo & consequens. Antecedens argumenti est certissimum, nam prius in formâ Dei fuit, quàm accepit formam servi. Prosyllogismus ad majoris consequentiam stabiliendam allatus, probatur ex eo; quod cum de beneficentiâ & amore Christi agitur, quem demonstravit nobis Deus, redimendo & salvando nos; solet frequenter per missionem, aut adventum ejus in mundum, ista res significari, vt Math. 10. vers. 11. Math. 20. vers. 28. Iohan. 3. vers. 16. 17. 1. Iohan. 4. vers. 8. 11. Rom. 8. vers. 3. Hebr. 2. 14. 1. Iohan. 1. v. 14: hîc autem Apostolum eâ etiam ratione locutum, inde patere potest, quia hîc agitur de derelictione formæ Dei, quæ non fuit immediatè ad obedientiam mortis crucis; nam interserit hîc Apostolus, inter esse illud in formâ Dei, & obedientiam ad mortem crucis, actus exinanitionis intermedios: dicit enim Apostolus primùm in genere, obedientem esse factum; inde adhibitâ specificatione ad mortem: non ergo obedientia illa vltimæ passionis cancellis concludenda, vt facit Socinus, qui hoc refert ad tēpus illud, quo summas injurias à Iudæis & gentibus est passus, & vinctus & flagellatus fuit: est ergo obedientia referenda ad totū obediētię cursum: nā non potest esse dubiū, quin Patri suo obedire cœpit, cū in justitiâ & vitę integritate ambulare cœpit, quam justitiam & vitæ integritatem in Christo fuisse in ipsâ juvenili ætate ejus, docuit *Socin. pag. 292.*
Socin.

Socin. pag. 244. probans ibidem id ex loco Luc. 2. verſ. 52: quo cap. habetur etiam illuſtre exemplum obedientiæ Chriſti, reſpondentis parentibus ſuis: *neſciebatis me oportere in ijs eſſe, quæ Patris mei ſunt?* deinde hîc agi de miſſione, & adventu ejus in mundum v. 7. & initio 8. vel, quod idem eſt, de ejus incarnatione, non de extremâ ejus paſſione, probo. 1. Ex locis æquipollentibus, vbi dicitur *particeps factus carnis & ſanguinis* Heb. 2. v. 15. *caro factus* Ioh. 1. v. 14. *miſſus in ſimilitudine carnis peccati* Rom. 8. v. 3: *in carnem veniſſe* 1. Ioh. 4. v. 2. non legitur vllibi miſſionem & adventum Chriſti immediatè ipſum vltimæ paſſionis tempus anteceſſiſſe. Illa ergo miſſio & adventus non denotat ſtatum, in quo Chriſtus primum eſſe cœpit in horto, ſed referenda hæc ſunt ad tempus illud, in quo cœpit eſſe homo: nam tum revera cœpit eſſe caro, quia factus ex ſemine Davidis, quo ad carnem; non enim bis caro factus, hoc eſt primùm homo, inde homo mortalis & fragilis; ſed cum homo natus eſt, natus eſt homo mortalis, vt & fideles omnes Heb. 2. 1. 4. Sic ſub ipſum Euangelij ſui initium Iohannes dicit, ὁ λόγος σάρξ ἐγένετο; non ergo demum caro factus, cum introiret in hortum Ioh. 18. v. 1: caro fuit Chriſtus Iohanni, non poſtquam Dei formam, id eſt potentiam miraculorum depoſuiſſet, vt hic interpretatur Apoſtolum Socin.; ſed cum virtute miraculoſâ polleret quàm maximè: cum enim dixiſſet, *& ſermo ille factus eſt caro*; ſubdit *& commoratus eſt inter nos, & ſpectavimus gloriam ejus vt vnigeniti à Patre.* Dico ergo, vt hoc tertium

tium argumentum concludam, hæc verba Pauli, quia ejuſdem ſunt argumenti, ita etiam explicanda eſſe, vt ſenſus ille, quoad ſubſtantiam, ex ijs eliciatur, quem elici oportere ex alijs locis jam per Dei gratiam commonſtratum eſſe credo. 4. Ut in tertio argumento probavi, earum rerum, quas tractat Apoſtolus, primordia non in horto, quo pati cœpit Chriſtus; ſed in ipſâ ejus incarnatione quærenda eſſe, ita in hoc quarto ſpeciatim oſtendam, Chriſtum fuiſſe in formâ Dei; antequam mari, ventis, morbis, morti, dæmonibuſque imperaret; imò deſijſſe jam tum in formâ Dei eſſe, cum ſtatuit Socin. in formâ Dei eſſe cœpiſſe: Id verò hoc argumento doceo. Si Chriſtus ab eo tempore, quo cœpit facere, & docere, exinanivit & ſubmiſit ſe, & habitu compertus vt homo, tum jam deſierat eſſe in formâ Dei eo tempore, quo Socinus ſtatuit eum primùm incepiſſe eſſe in formâ Dei. At Chriſtus jam ab eo tempore, quo cœpit facere & docere, exinanivit & ſubmiſit ſe, & habitu compertus vt homo. Ergo. Argumenti aſſumptio probatur ex ipſâ interpretatione adverſarij, qui formam ſervi exponit vilem ac deſpectum eſſe, aliorumque injurijs valdè expoſitum, eaſque ne verbo quidem vlciſci audere, pag. 292. & in ſimilitudinem hominum factum eſſe, & habitu inventum eſſe vt hominem exponit: quod ad exteriora attinet, ſimilem eſſe vulgaribus hominibus, qui morituri: hæc ſane Chriſto non evenerunt tantùm aut propria fuerunt ſupremo vitæ die, ſed ab ipſo inito miniſterio in eo impleta. Hæc itaque cum ita ſint,

Socin. pag. 293.

ſint, ſequitur ſententiam Socini, de formâ Dei, & æqualitate cum Deo, confictam eſſe; ac per conſequens, ſententiam orthodoxam eſſe veram. 5. Argumentor, ſi hæc forma Dei, non eſt natura divina, ſed potentiæ cujuſdam communicatio, Chriſto homini ex gratiâ facta, deponenda illi, ad præſtandam obedientiam per mortem crucis, Deo, ratione officij à Deo poſtulati debitam, jam iſta exinanitio non eſt magis admirabilis, quàm voluntariæ quorumvis fidelium perpeſſiones; nec alius libertatis in iſtâ exinanitione modus, quàm in omnium aliorum exinanitione: quod profectò alienum eſt à graphicâ hac deſcriptione liberrimæ charitatis, obedientiæ, & exinanitionis maximæ, quam præ ſe ferunt Apoſtoli verba.

6. Si forma Dei eſt tantùm potentia miraculorum patrandorum, quod ad hanc temporalem vitam attinet, tantùm abeſt, vt mirabile ſit, Chriſtum illam Dei formam, & æqualitatem cum Deo per diem vnum deſeruiſſe, vt è contrario mirabile fuiſſet ſi non deſeruiſſet, quia per mortem crucis, & iſtius formæ intermiſſionem, novam Dei formam & æqualitatem multò excellentiorem ſibi comparavit. At contrà hoc mirabile eſt Apoſtolo, quod cum in formâ Dei eſſet, ſeipſum exinanivit: ergo forma Dei non hoc ſignificat, quod Socinus vult; ſed quod Orthodoxi volunt. 7. Si hæc forma Dei, tum etiam Socinus ſtatuere poteſt, Apoſtolos fuiſſe in formâ Dei. At hoc abſurdum: ergo. Confirmatio ſententiæ orthodoxæ ſic fuit: antequam verò argumenta adverſæ partis confutē,

vin-

vindicabo hactenus allata pro cõfirmatione sententię orthodoxę, ab objectionibus adversariorũ.

Objicit Socinus pag. 301. Ostorod. cap. 19. Institut. Germ. sect. 8. *servum esse, non posse idem esse, quod esse hominem hoc loco: quia non agitur hîc de Dei servo, sed servi nomine ipsa conditio servilis intelligitur, quâ quidem homines à cæteris hominibus distinguuntur, & hæc conditio, vtpote omnium infima, divinæ conditioni, quæ omnium suprema est, opponitur. Quamquam nec quilibet homo in sacris literis Dei servus dicitur, nec homo, quatenus simpliciter est homo, etiam comparatè ad Deum, servus nominari solet.*

Resp. Negando, Christum non dici servum hîc comparatè ad Deum. Nam quà homo Dei servus est & fuit, hoc est alieno dominio subjectus; in istâ subjectione Deo vixit: ita Apostoli servi fuerunt, & Iesus Christus Dominus ipsorum: sic fideles omnes servi sunt. Quapropter contra hanc expositionem non facit, quod quilibet homo in sacris literis Dei servus non dicitur, neque etiam quà homo: nam nos hîc formam servi interpretantes, humanam naturam non sumimus formam servi in conceptu abstrahente, vt sic dicam, ab actuali servitute, à quâ in sacris, qui sic dominio Dei subjecti sunt, vt colant eum, servi Dei dicuntur. At instat amplius, *formam servi significare conditionem servilem, quâ quidam homines à cæteris hominibus distinguuntur, & hanc conditionem servilem ait in Christo valere, abjectum, vinctum, flagellatum esse, & in crucem agi.* Verum respondeo, hanc expositionem improbabilẽ esse, propter has rationes. *Socin. pag. 300.*

1. Quia

1. Quia ſervili conditioni planè accidentarium eſt hoc, in quo formam ſervilis conditionis Chriſti ponit Socinus: nam ſi apparentia aliqua ſervilis ſtatus in eo eſſet, neceſſe eſſet, illud ipſum aliquatenus, aut ipſi ſervitutis ſtatui intrinſecum eſſe, aut annexum ejus proprium: at verò iſta planè ſunt extrinſeca: ſervitutis eſt non eſſe ſui juris. 2. Talem ſervilis conditionis definitionem non habemus in Scripturis: ſervus quidem dicitur, qui liber non eſt: qui in domo non manet perpetuò, & ad hæreditatem non venit: nunquam verò Chriſtiani, ob afflictiones quas pro nomine Chriſti patiuntur, dicuntur in formâ ſervi eſſe, aut formam ſervi aſſumpſiſſe. 3. Scripturæ paſſiones Ieſu Chriſti recenſentes, nuſquam hujus ſervilis formæ meminerunt: nec cum ſervis, ſed cùm ſceleratis & impijs reputatum dicunt. Quin & Chriſtus ipſe cum caperetur, vt ex Euangelicâ hiſtoriâ notum eſt. 4. Etiamſi vera eſſet expoſitio, formam ſervilem id ſignificare, non tamen quadraret ad hunc locum; nam Apoſtolus hîc reſpexit ad ea, quæ ſervitutis ſunt propria; vt indicant voces *ſubmiſſionis & obedientiæ*, quibus proprium ſervorum erga Dominos officium continetur.

Secundò obijcit Socinus pag. 297. Oſtorod. cap. 19. Inſtitut. Germ. ſecti. 9. 10. *hæc verba, in ſimilitudinem hominum factus, habitu compertus vt homo, ſignificare eum vulgaribus hominibus ſimilem eſſe factum, quod exponit Oſtorod. (Socin. expoſitionem ſuprà vidimus) Chriſtum ita ſe geſſiſſe, depoſitâ Dei formâ, vt inter eum & vulgares homi-*

homines nullum discrimen fuerit: ita habitum hominis privativè opponit Ostorod. formæ Dei; formam verò servi opponit formæ Dei contrariè: quapropter immeritò negant, hæc verba continere expositionem formæ servi, cum ipsis σχήματι ἀνθρώπου esse aliud nihil sit; quàm in formâ servi esse, in quantum illa forma servi privat formâ Dei, & per modum formæ contrariæ & positivæ non consideratur. Ipsam autem humanam naturam à sensu horum verborum non excludendam, ostendi argumento tertio: est ergo factus, vt quivis alius homo, dum homo est factus, & communem hominũ sortem subijt. Deinde si hominem esse hîc non notat ipsam essentiam hominis, sed moriturum & mortalem esse, vt habet Socin. pag. 297; sive formâ Dei vacuum, vt exponit Ostorod., tum similitudo malè ab ipsis opponitur veritati: nam Christum volunt revera factum esse hominem cum pateretur, eo sensu quo hîc hominem definiunt, nempe talem, qui mortalis, moriturus, & formâ Dei vacuus, patrandorumque miraculorum impotens. Accedit, quod falsa hæc expositio, quia Christus natus mortalis & moriturus: nec Ostorodiana illa probari potest: nam formam illam Dei revera exuisse, historia passionis non docet; imò contrarium patet ex Ioh. 18. v. 6. nec erat tantùm in illâ Dei formâ cum à Iuda proderetur, sed etiam cum vinctus, flagellatus, crucifigendus tandem esset Ioh. 10. v. 18. nec passus est qui paulò antè erat Dei Filius, & jam secundum potiorem partem Filius Dei vnigenitus esse desierat, vt turpiter so-

mniant hi homines, sed passus & mortuus est, qui erat & manet Dei Filius. Postremò Christus semper in Scripturis dicitur homo, ratione naturæ humanæ, aut saltem nusquam sensus essentiæ & naturæ excluditur: vox etiam similitudinis & habitus non repugnat naturæ veritati, vt ex adversariorum expositione ostensum est.

Tertiò ibidem objicit Ostorod. *Natura humana est interior hominis forma: habitus ille hominis non est interna, sed externa hominis forma.* Resp. Naturam humanam non tantùm interiori formâ, sed & corpore constare: minor adversarij falsa est, si velit habitum illum, non denotare hîc humanæ naturæ veritatem; quamvis concedam σχῆμα hominis non esse formaliter idem cum ipsâ essentiâ hominis. Nihilo plus valet, quod ibidem objectat, quod Christus non dicitur factus homo; sed in similitudinem hominum factus: verba enim similitudinis sæpe rem ipsam significant. Ut Ioh.1.v.14. Luc.22. v.44. 1.Cor.4.v.1.

Quartò ad dissolvendum argumentum septimum suprà à nobis formatum, obijciunt Socin.pag.301.Ostorod. section.5.cap.19: magnum hac in re inter Apostolos & Christum discrimen esse. *Christum* inquit Socin. *potestate & authoritate, in seipso perpetuò residente, ad Dei exemplum, mirabilia multa fecisse: id Apostolos nunquam fecisse, aut facere potuisse: quippe qui potestatem, quâ erant in faciendis miraculis præditi, in seipsis perpetuò residentem non haberent, nec propriâ authoritate, sed ipsius Christi ea facerent: cu-*

jus

jus nomen etiam in eis faciendis aut apertè, aut tacitè, sine dubio semper invocabant. Addit Ostorod. *Christum potestatem suam etiam alijs communicâsse.*

Resp. Esto, habeant se hæc ita, vt magni hi magistri volunt, potestatem illam in Christo fuisse perpetuam; in Apostolis interruptam: non sequitur inde, Apostolos non fuisse in formâ Dei; sed tantùm non fuisse in formâ Dei perpetuò. Nam nec illa forma Dei in Christo fuit perpetua: hi enim dogmatistæ dicunt, per passionem mortis fuisse interruptam, tantam Apostolicæ potestatis eclipsin difficulter ex Scripturis probaturi. Deinde gradus rei rem non variat: Christus in formâ Dei & æqualis Deo, cum in terris ageret; non obstante, quod multo magis in formâ Dei & æqualis Deo fuit, postquam exaltatus est, vt supponunt adversarij: ergo & Apostoli in formâ Dei & æquales Deo; etsi hæc forma & æqualitas imperfectior formâ & æqualitate ipsius Christi. Secundò ait Socin. *Apostolos non propriâ authoritate, sed ipsius Christi ea fecisse.* Resp. Quid nomine authoritatis hîc intelligat, non satis explicat: si idem quod voce potestatis; tum hac in re, Apostolos quod attinet, non est discrimen: sin nomine authoritatis hoc velit, quod & vocis nativus vsus & sermocinatio ejus postulare videtur, Apostolos, in miraculis faciendis, non ex proprio arbitrio, sed juxta mandatum Christi, rem omnem debuisse gerere, dicam non esse, quod hîc obtendat propriam Christi authoritatem, quam in explicatione loci tertij hu-

jus classis destruxit. Nam explicans illa verba: *Filius non potest à semetipso operari, nisi viderit Patrem operantem*, interpretatus est, nisi quod faciendi potestatem & jussum habuerit à Patre: & in paraphrasi ejusdem loci pag. 256. verba ejus sunt. *Vobis enim sanctè ac constanter affirmo, me à me ipso nullam vim, aut authoritatem quicquam faciendi habere.* Si ergo propria authoritas requiritur, falluntur Sociniani, cum sentiunt Christum in formâ Dei fuisse, ratione potentię: aut si propriæ autoritatis defectus Christo non obest, quo minus in formâ Dei, nec Apostolis oberit. Tertiò *movet de invocatione tacitè vel apertè sine dubio ab Apostolis facta*: At si quis idem regerat de Christo, hærebit aqua. Quartum est *Christum potestatem suam etiam alijs communicâsse*. Resp. 1. Hoc ad rem non esse, de quâ agitur: nam in Dei formâ esse non est Socin. posse illam Dei formam alijs communicare, sed habere eam: si ergo illam habuerunt Apostoli, non sequitur non fuisse in formâ Dei, quia communicare non potuerunt. 2. Neque hoc verum prorsus, per Apostolos istam potentiam non communicatam; nam per impositionem manuum Apostolorũ, datus fuit Sp.S. Act. 8. v. 17. 18.

Hisce sic disiectis, venio ad confutationem argumentorum, quibus Socin. probare studet, Dei formam & cum Deo ęqualitatem, non posse esse naturam ipsam & essentiam divinam.

Socin. pag. 296. Prima ejus ratio talis est. *Quod Christus non deposuit ad tempus, neque rapinam non est arbitratus, id non est forma seu æqualitas ista: at divinam naturam ad tempus non deposuit, neque rapinam*

non

non est arbitratus, sed semper retinuit. Ergo.

Resp. Negando minorem, Christum naturæ divinæ gloriam non deposuisse quadam ratione, aut eam prorsus retinuisse, vel rapinam duxisse, aut se ratione ejus non exinanivisse, quæ æquipollent Apostolo. Nam illa verba, *non ducere rapinam*, non videntur indicare, justam & legitimam esse, vt sic dicam, istius cum Deo ęqualitatis possessionem; sed voluntariam ταπείνωσιν: quod postulat ratio oppositionis, & subjuncta horum verborum exegesis, *sed seipsum inanivit*. Nam si Apostolus istis verbis jus Christi asseruisset, dixisset in participio, non ducens, vel non ducit, vt dixit, existens in formâ Dei: neq; dixisset, sed se inanivit; sed, nihilominus vel tamen. Hic ergo sensus istorum verborum videtur: sunt enim Apostolo opposita, rapinam ducere, non inanire: non ducere rapinam, & inanire. Hic ergo sensus, inquam, nisi quis malit hæc verba legere per enallagen modi indicativi pro subjunctivo, ac si dixisset Apostolus, non esset rapinam arbitratus: vel cum Bellarm. ac si scriptum esset, sciebat suam cum Deo æqualitatem legitimam esse, etsi deponeret restituendam: & particula ἀλλὰ non exponatur adversativè, quæ propria ejus significatio, sed per *quamobrem*, vt etiam aliquando sumitur: sed potest significatio vocis ἀλλὰ maximè propria retineri, & modi indicativi significatio. Dico ergo, vt ad rem veniam, dici posse Filium divinam naturam deposuisse, si sanè intelligatur, nēpe ideo quod homo factus, & gloriam majestatis suæ sub tegumento carnis mortalis sic non vsurpavit & exercuit.

Quod si hanc solutionē non acceptat adversarius; non malè eâdem ratione vrgeri poterit, quâ hoc syllogismo sententiam nostrā premere studet: nam Christū potentiâ suâ non prorsus fuisse spoliatum, ostēdi suprà pag. 145. & nimis indignum, hominē, qui Christi nomen profitetur, blasphemis irrisoribus assētiri, qui per sarcasmū Domino in cruce pendenti exprobrabant, *alios servavit, seipsum non potest servare*, Mat. 27. v. 42. Addo quod illa forma Dei, quā hîc fingit Socinus, non exercet oppositionē cum ejus submissione & obedientiâ. Nam hæc non pugnāt, posse solo verbo, mari, ventis, morbis, morti, dæmonibusq; ipsis imperare, & injurijs aliorum exponi, vinciri, flagellari, & in cruce suspēdi. Etenim cum lapidātium manus evaderet, erat in formâ Dei nihilominus, & quoties Iudæorum injurijs & convitijs expositus fuit, cū in hac formâ Dei versaretur? nulla ergo in eorum sententiâ causa est, propter quam sentiant, Christum potētiâ suâ spoliatum esse. Sic Apostolus ille, qui quolibet die mortificationē Domini Iesu in corpore circumferebat, non sustinebat tamen quicquam loqui, quod non effecerat Christus per ipsum ad obedientiam gētium verbis & factis. Porrò illa etiam potentię vsurpatio non est incompatibilis cum passione & morte Christi, non magis quàm in Apostolis: quapropter invertere possumus hoc argumentum, hoc pacto. Quod Christus non necesse habuit deponere, illud non est forma Dei, & æqualitas cum Deo, at nō necesse habuit miraculorum patrandorum potentiam deponere: ergo. Rursus, in quo non est submissio, in ejus oppo-

2. Cor. 2. v. 10.
Rom. 15. v. 18.

oppoſito non eſt forma Dei. Atqui in non patratione miraculorum, non ſita eſt illa ſubmiſſio: ergo in ejus oppoſito non eſt forma Dei.

Secunda ejus ratio eſt: *neutiquam in Deum ipſum cadit, non exiſtimare ſeu arbitrari, ſe rapuiſſe naturam, ſive eſſentiam divinam, præſertim ſi hinc aliqua ejus voluntaria actio profecta fuiſſe dicatur: vt certè ex Pauli verbis colligitur, voluntariam Chriſti actionem, ſeipſum exinaniendi, hinc profectã fuiſſe, quod non arbitratus fuerit rapinam, quod eſſet æqualis Deo: hoc enim indicat fieri potuiſſe, vt Deus arbitraretur, ſe rapuiſſe naturam ſive eſſentiam divinam: id quod perabſurdum eſt, imò verò valde impium, quocunq; tandẽ ſenſu dicatur. De Ieſu Chriſto quidem, ſine vllâ abſurditate aut ſcelere dici poteſt, fieri potuiſſe, vt is arbitraretur ſe rapuiſſe æqualitatem, quam cum Deo habebat, id eſt, ita ſe gereret ac ſi eam rapuiſſet, eam videlicet, vt antea expoſuimus, mordicus retinendo: ſed de Deo quomodo dici poteſt, eum mordicus ſuã eſſentiam divinam retinere potuiſſe? hoc enim, vt cætera omittam, apertè demonſtrat, eum potuiſſe illam deponere.*

Summa argumentationis hujus in eo eſt: dici non poſſe, Deum divinam ſuam majeſtatem potuiſſe rapinam ducere, ſeu retinere mordicus, vt exponit ipſe: quod falſum eſt, ſi rectè accipiatur, & non ita crudè efferatur, vt profert adverſarius, *per rapere naturam Dei*, aut eſſentiam non deponere. Si enim per hoc mordicus retinere & rapinam ducere, nihil aliud intelligatur, quàm Deum potuiſſe nolle exinaniri per incarnationem, & ſubmiſſionem voluntariã, ſic hoc veriſſimum eſt: ex liberrimo enim & gra-

tioſo voluntatis ſuæ beneplacito, Filius Dei factus θεάνθρωπος, & Mediator noſter non neceſſitate vllâ. Voluntariam ergo actionem hîc agnoſcimus, quam Socinus non agnoſcit, qui ratione legis & officij ſtatuit Chriſtum debuiſſe, non ducere rapinam, æqualem eſſe Deo: nam Chriſtus mandatum moriendi à Patre accepit, & quà Chriſtus erat, mori illi neceſſarium erat: non potuit ergo iſtam ęqualitatem retinere ſimpliciter & abſolutè.

Socin. pag. 297. Tertia ratio eſt, *in Deum non cadere, ſeipſum exinanire, etiamſi exinanitio iſta non ſignificaret, quod propriè ſonat, abjectionem rerum, quarum quis ſit plenus; ſed tantummodo ſuiipſius demiſſionem atque dejectionem: nec enim Deus ſe demittere aut dejicere poteſt.*

Reſp. Deus in ſe ἀταπείνωτος, demiſit ſe ſecundum œconomiam, vniendo ſibi naturam humanam; & in eâ Patri, tanquam domino, ad ignominioſiſſimam mortem ſubeundam, ſe ſubmittendo: in quâ ſubmiſſione gloriam ſuã ſub carnis velo celavit, & non ita exeruit: ſic Deus præclaris operibus ſuam exaltat gloriã Pſal. 21. v. 14. Pſal. 57. v. 6. quod dũ non facit Deus, quadantenus ſe ex lege contrariorum demittit.

Quarta ejus ratio eſt, *exaltari in Deum non cadere, alioqui, inquit, non eſſet altiſſimus.* Reſp. In Scripturis doceri, & exaltari Deum, & altiſſimũ eſſe eum, qui exaltatur. Nec Chriſtus tantùm ſecundum humanam naturam exaltatus, ſed ſecundum vtramque, etſi ratione diſpari. Non ergo neceſſe, vt adverſarius tam operosè hîc probet, ſequi Chriſtũ ratione divinę naturæ exaltatum

tum esse, si illa Dei forma & cum Deo æqualitas, in hoc loco Pauli, sit natura & essentia divina. Cætera quæ in hac quartâ ratione persequitur, mox videbimus, vbi deventum erit ad examen & confutationem eorum, quæ in tractatione loci octavi primæ Classis, nempe Es.45 in hunc locum conjecimus.

Progredimur itaque ad rationem quintam & vltimam Socini, quæ beviter in formam syllogisticam sic contrahi potest. *Quod ad docendum & persuadendum*, vt loquitur Socinus, *seu in exemplum proponitur*, vt habet Ostorod cap.19. section. prim. *necesse est visum esse*, vt Socin. *vel notum esse*, vt sentit Ostorod. *At demissio per incarnationem, nec visa, nec nota est. Ergo.* Sic se habet argementum Samosatenicum. Resp. ad majorem, in quantum illa Socini, eam sic vniversaliter prolatam esse falsam. Nam dicat mihi, quis viderit peccantes angelos? quod tamen Iudas Apostolus in exemplum proposuit Epistolæ suę vers.6. Quid? An non Christus illustre sanctis omnibus virtutis exemplum, qui per angustam portam & salebrosam viam contendit ad æternam gloriam, & consedit ad dextrā throni Dei? an nostrum non erit, in illum fidei ducem & perfectorem intueri? quia illi, qui eū ascendere viderunt, interventu nubis, oculis suis ereptum, cęlum cęlorum ingredientem non viderunt? nedum collocari in throno æterni sui sacerdotij & regni? Angelorum obedientiam in cælis non videmus: ad eorum tamen obedientiam exemplarem cogitationes nostras conversas esse voluit Dominus, cum orare nos docuit,

Socin. pag. 299.

fiat voluntas tua in terrâ, quemadmodum in cœlo. Oculatos testes postulat assumtę à Filio Dei naturę humanę in vtero virginis, insulse profectò: proferat ille oculatos testes exinanitionis illius, seu depositionis formæ Dei, quã ille in vtero cerebri sui concepit, quâ horâ, quibus præsentibus facta sit, nemo nec discipulorum, nec alius quisquam euanescere illam Dei formam vidit. Abraham ille Pater, nonne in exemplum fidei vivæ, ab Apostolo Iacob. proponitur, cum dicit cap.2.v.21: *Abraham Pater ille noster, nonne ex operibus justificatus est, cum obtulisset Isaac filium suum super altare?* ineptum hoc exemplũ Socin. quia desunt oculati testes, Gen.22.v.5. Falsum est ergo, vt nihil gravius dicam, res non visas in exempla proponi non posse: sufficit res certas & indubitatas esse, vt est incarnationis mysterium. Nam quod obijcit Ostorod. *Doctissimos Trinitarios agnoscere modum ejus rei inexplicabilem sibi esse*, id non intelligunt de an sit rei, vt sic dicã; sed de exactâ istius mysterij penetratione.

Socin. pag. 301. Quoniam verò Bellarm., vt probet Christum hominem, non posse dici æqualem Deo; quia Deus illum, ad æqualitatem sui, evexerit; affert verba illa ipsius Dei, apud Esa. cap. 42. videbimus quo pacto adversarius ad ea excipiat.

Locus sic habet. *Ego sum Iehova, illud nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus.*

Socin. pag. 302. Primò excipit Socin. *nomine alterius, intelligi eos, qui cum ipso nihil commune habent; & quibus si gloria & laus aliqua tribuatur, ea ad ipsum De-*

um non

um non refertur; ſed contrà tantundem gloriæ & laudis ipſi aufertur: cujuſmodi ſunt ſculptilia. Non autem dicit Deus, ſe ſuam gloriam, cum nemine à ſe dependente, ſibique ſubordinato communicaturum; ſic enim nihil ipſius gloriæ decedit, cum ad ipſum, quicquid gloriæ talis ei ſubordinatus habet, prorſus referatur: imò ejus gloria augetur, cum conſideratur illum & potuiſſe & voluiſſe, cum aliquâ re creatâ, ex ſummâ poteſtate ac benignitate ſuâ, communicare ſuam gloriam.

Reſp. De hac relatione, ſubordinatione, communicatione adverſariorum viſum aliquoties ſuprà. 2. Sic Pontificij incruſtare ſolent idololatricos ſanctorum ſuorum cultus, inter quos plurimi, qui veram cum Deo communionem habuerunt. 3. Omnes fideles Dei ſervi & Iſraelitæ veri, communionem cum Deo habuerunt; nemo tamen eorum unquam exiſtimavit, gloriam divinam, propter quam coli poſsit & debeat, aut ipſam cultus divini gloriam communicabilem ſibi: nec vllibi Deus, inter ſubjecta capacia, & non capacia divinitatis diſtinxit; ſed ſibi ipſi uni & ſoli, contra hanc ſententiam relationis, ſubordinationis, communicationis, illam gloriam vendicat. Contradictoria enim ſunt; Deum illum agnoſcere & colere, & alterum illi ſubordinare: Deo gloriam ſuam dare, & alteri eam tribuere: aut alteri tribuere, eam tamen ad Deum referre. Fundamenta hujus veritatis paſsim in ſacris inculcantur. Deum vnum eſſe docetur, Deut.6. verſ.4. 1.Cor.8. v.6: 1.Tim.2. v.5. *Præter aut extra eum, non eſſe Deum alium*,

Deut.

Deut.4.v.35.39. 2.Sam.7.v.22. & cap.22.v. 32. 1.Reg.8.v.60: Esa.45.v.5: Esa.46.v.9. Si ergo quis ducem Scripturam sequi malit, quàm fallacem rationis suę ductum; interpretabitur potius testimonia N. Testam. quæ dę divinitate, gloriâ & exaltatione Iesu Christi agunt, ita vt hæc doctrina V. Testam. de uno Deo colendo & adorando, sarta tecta maneat, quàm novitium Deum, qui extra & præter illum Deum Deus sit, inducat. Præsertim cum Apostoli nullam abrogationem, aut immutationem, hac in parte factam esse doceant; sed vnum Deum, eumque solum colendum & adorandum nobis proponant Mat.4.v.10: vt unus colendus & adorandus sub V. Fœdere propositus fuit, cum contra in ijs rebus, ubi legis abrogatio aut immutatio facta est, clarè & ex professo de eâ re egerint. Deinde cum Iudæi Apostolis litem intentârunt, propter quæstiones de lege, extra dubium est, si doctrinam de vno Deo & cultu ejus immutavissent, molestiam multam & magnam eis exhibituros fuisse. Frustra verò hîc latebras quærit in potestate ac benignitate Dei, & insipidè gloriam augeri imaginatur, cum Deus gloriam suam obscurari & eripi sibi testatur, & sæpius conqueritur. De potestate ac benignitateDei ex Dei verbo judicandum, non ex cerebri humani conceptibus. Non credimus Pontificijs, quia in dogmate monstrosæ transubstantiationis, ad omnipotentiam Dei provocant. Deus benignissimus quidem; semper tamen zelo gloriæ suæ exarsit in sacrilegos.

Et

Et quod ſi per iſtam prætenſam communicationem augetur gloria poteſtatis & benignitatis ejus, non eſt quod tantopere reluctentur, nō admittentes gloriam, quæ Dei propria eſt, ipſi datam aut permiſſam eſſe, vt ſcilicet Chriſtus habeatur omnium bonorum primus auctor & fons. Sibi enim, inquit, hanc gloriam Deum integram penitus reſervaſſe affirmanus. Sed cur quęſo? gloria enim poteſtatis ac benignitatis, per communicationem aucta, per omnem gloriæ ceſsionem duplicata, quàm creſceret in immenſum? Socin. pag. 303.

Hæc diſtinctio de gloriâ propriâ & communicabili, fictitia eſt: nulla enim particula hujus gloriæ communicabilis: illa ſecundum eſſentiam ſuam tota, quanta quanta eſt incommunicabilis eſt: & ſi Deus hîc reſpicit ad gloriam ſibi propriam, jam nomine *alterius* etiam intellexit, qui cum ipſo aliquid commune habet: ſin ad gloriam communicabilem, non egit de gloriâ propriâ. Socin. hoc pacto ex planâ propoſitione & ſententiâ Prophetę tortuoſam facit: *huic dabo* id eſt, qui non eſt à me alienus: *alteri non dabo*, id eſt, qui nihil cum me commune habet: rurſum *non dabo gloriam meam*, hoc eſt, ſummam & propriam; & *dabo gloriam* minorem & communicabilē. Oratio veritatis ſimplex eſt: quàm vero hanc enuntiationem ſimplicem, gloſſæ Socini multis flexibus ſinuoſam faciunt!

Pergit dicens, ex ijſdem verbis: *Nec laudem meam ſculptilibus, apertè colligi, verbum dandi, hoc loco non veræ dationis, ſed permiſſionis tantùm ſignificationem habere, vt etiam alijs in locis, nomi-* Socin. pag. 302.

natim

natim verò Psalm 16. in illis verbis : nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem , *cui enim dubium eſſe potuiſset unquam, ne Deus, propriè loquendo, ſuam laudem ſculptilibus eſſet daturus , id eſt eam cum ipſis ſponte communicaturus ? non negat igitur Deus ſe ſuâ ſponte , cum alio ſuam gloriam communicaturum.* Hæc ille. Ad quod reſpondeo, non opus eſſe, hîc de ſignificatione vocis *Etten*, contendere, quod Hebræis & dare & permittere eſt : ſignificationem verò permiſsionis hîc neceſſariam non eſſe , ſatis probatur eo, quia de datione dubium ſuboriri poterat : vt evincit experientia, & multiplex idololatria papalis in Chriſtianum orbem invecta , comprobat. Et qui nullus dubitat, Deum gloriam ſuam alteri non dare ; dubius non erit, num velit gloriam ſuam , idolis adſcriptam , ijſdem permittere. Concludit Socinus. *Non negat igitur Deus, ſe ſuâ ſponte cum alio ſuam gloriam communicaturum.* At concluſio hæc ex præmiſsis ejus non ſequitur; ſed eidem directè contraria : ſi enim Deus gloriam ſuam adeò non dat alteri, vt ne quidem permittat alteri ; profectò inferendum fuit, cum alio non communicare gloriam ſuam.

Oſtorod. cap. 14. Inſtit. Germ. Gloſſa Oſtorodij, præter eas , quas Socinus commentus eſt, eſt hęc : Poſſe ſic illa Dei verba intelligi , *nempe quod ille non ſit permiſſurus , vt homines propriâ authoritate gloriam ipſius alijs, nempe idolis adſcribant : non verò , quaſi ipſe, ex arbitrio voluntatis ſuæ , nemini communicare velit.* Reſpond. Gloſſam textui non convenire : nam Deus non adimit hoc dicto alteri gloriam ſuam

ſecundum

ſecundum quid, quaſi tantùm velit humanâ authoritate, gloriam ſuam alteri non deferri: ſed ſimpliciter & abſolutè ſe alteri eam non permittere. Ex quo conſequens eſt, non debere humanâ authoritate conferri. Non fit hîc oppoſitio humanæ, & divinæ authoritatis: nec poteſt etiam, juxta hypotheſes Oſtorodij; quia agitur de idolis, quibus Deus ab hominibus non tantùm non vult deferri ſuam gloriam; ſed ſimpliciter non deferri. Hæc de loco Eſa. 42.

Reſtat nunc vt examinemus illa verba Pauli, quæ de exaltatione Chriſti agunt, quæ vehementer vrgent adverſarij contra ſententiam Orthodoxam. Agit imprimis de hiſce verbis Socinus, in loco octavo primę Claſſis, qui Socino nonus.

Primò ait, *illum æternum Dei Filium, quem vnum & eundem cum Patre Deum faciunt, ſecundum humanam naturam tantùm exaltatum fuiſſe, idem eſſe, quod, ipſum æternum Dei Filium revera non fuiſſe exaltatum, ſed tantùm per idiomatum communicationem*. Reſp. non tantùm ſecundū humanam naturam exaltatum eſſe. 2. Malè ab adverſario prædicationem veram opponi, prædicationi per idiomatum communicationem: probatur, qùia ſi communicatio, ſubordinatio, dependentia, Socino cauſa juſta eſt verę prædicationis, communis Patri & Filio, quâ, quæ in vno loco de Deo illo vno Iſraelis dicuntur, de Chriſto in alio dicuntur: tum vnio hypoſtatica, quæ magis vnit Dei Filium cum humanâ naturâ, meritò cenſetur cauſa juſtiſsima veræ prædicationis per idiomatum communicationem. *Socin. pag. 298.*

Si vobis

Si vobis Socine ipſe Deus adoratur, quando Chriſtus adoratur, etiamſi Chriſtus non eſt Deus, quantò verius dicitur, Dei Filium exaltatũ, cum Chriſtus homo exaltatur, qui verò eſt Dei Filius? Si Pater ea operatur, quæ Filius operatur, quia Filius operatur per potentiam Dei dono productam, vt quidem Socinus cum ſuis exiſtimat: mirum revera, iſtiuſmodi hominem prædicationes per idiomatum communicationem fictitias & non veras cenſere.

Objectiones reliquæ, quibus impugnat expoſitionem Orthodoxam hujus loci, tum hîc, tum loco nono primæ claſsis, duplicis generis ſunt. Aut enim procedunt contra ſubjectum exaltationis; quod ſtatuunt Orthodoxi Dei Filium, Deum illum vnum; aut procedunt contra ſententiam de exaltatione ipsâ, & ſummi nominis datione.

Prima objectio contra ſubjectum exaltationis eſt pag. 299. *Egregium porro illum vnum Deum, iſti faciunt, qui eum præmio affici poſſe, adeoque affectum fuiſſe docent.* Reſp. Egregiam verò laudem & ſpolia ampla refertis, ſic argumentantes. Præmium eſt id, quod, tanquam loco juſtę mercedis, pro rectè factis datur. Annon Deo illi vni, ob pręclara ejus in Iſraeliticam Rempubl. merita, omne genus honorum & gratitudinis debebatur? Chriſtianorum ſpirituales cultus, & gratitudo vitâ moribuſque præſtanda, in Dei & Patris noſtri gloriam, præmium quoddam eſt, præclaris Dei virtutibus, quas in ſalute noſtrâ procurandâ exercuit, debitum.

Secunda objectio eſt, *abſurdum eſſe, id cuipiam*

am dari, quod in ipsius manu & voluntate omnino est positum pag. 299. & 133. Atqui cum ista natura divina, vt illis placet, esset ipse ille vnus Deus, quomodo quæso fieri potuit, vt Christus homo indigeret vllâ clarificatione & manifestatione nominis sui, ab alio præsertim petendâ, quàm à semetipso? annon sine vllo alterius personæ dono, si ipse ille vnus Deus erat, necessariò suo tempore clarissimum, & manifestissimum ejus supremum nomen futurum erat? annon si hîc nihilominus aliquâ actione, præter solam ipsius voluntatē, opus erat, nō poterat ab ipsomet, qui in se omnia habebat, actio ista proficisci?

Tota hujus ratiocinationis vis in eo est: Christum à Patre glorificatum, ac propterea Deum illum vnum non fuisse; quia si Deus ille vnus, ejus glorificatione non indiguisset, nec glorificari ab eo potuisset. Resp. itaque, cùm vna & eadem deitas & potentia Patris & Filij, non potuit Filius habere per potentiam suam, quod non haberet per potentiam Patris; & si glorificaretur per potentiam divinitatis suæ, necesse erat vt à Patre glorificaretur: illa enim ejus potentia, Patris etiam potentia est; & in quantum est in Filio, originaliter est à Patre. Actiones Trinitatis ad extra sunt indivisę, & Pater fons omnium in operando. 2. Christus hîc consideratur secundum peculiare officiū suum, secundum quod Mediator noster apud Deum Patrem est, cui se submiserat, obediendo ei usque ad mortem crucis: decuit propterea à Patre eum exaltari, & exaltatum dici propter causam hanc peculiarem: æquum enim erat, vt quem ille glorificaverat obediendo exaltati-

one illâ vicissim ab eo glorificaretur: nec absurdum est magis, Christum indiguisse alterius glorificatione, quàm absurdum est Patris sui testimonio indiguisse, quamvis de se firmum dare testimonium possit. 3. Si absurdum est petere ab alio; aut dari ab alio, quod positum est in manu & voluntate ejus qui petit, & cui datur; inconveniens etiam fuit, Christum rogare pro suscitatione Lazari, Ioh. 11. vers. 41. 42. Nam potentia & authoritas patrandorum miraculorum in Christo residebat Socin. pag. 301, eratque in ejus manu & voluntate absolutè positũ quoque, mortuos suscitare, Ioh. 5. v. 22. Nec enervabitur argumenti hujus consequentia, si dicatur, nos statuere potentiam in Christo naturaliter residentem, se verò, ex gratiâ donatã: nam hoc indifferens est, ad argumentationem, quã hoc loco nectit adversarius. Si enim potentiam habebat sibi eam donatam, non necessariũ illi erat auxilium novum Patris; nec opus erat à Patre fieri, ad quod ipsi satis aderat virium.

Hęc de primo objectionum genere. Sequitur secundum, quod contra sententiam Orthodoxam, de exaltatione ipsâ dirigitur. Exaltationem hanc, de quâ agit Apostolus, causam procreatricem esse volunt divinitatis Iesu Christi, ratione cujus, supra res omnes & personas sit, & adorabilis factus. Hoc verò illud est, quod Orthodoxi negant & diffitentur.

Obijcit Socin. pag. 298. *De ejusmodi exaltatione agi, quæ facta in eum finem fuerit, ut adoratio & cultus divinus inde consequeretur: hoc in divinã naturam non cadere: quippe cui, quod ad sublimi-*

tatem atrinet, nihil unquam defuerit, quod ad adorationem & cultum divinum illi præstandum requiratur. Verùm respondeo falsum esse, in divinam naturam non cadere exaltationem, vt adoratio & cultus inde consequatur. Nam Deus, qui non est factus homo, exaltatur per gloriosas actiones, vt adoratio & cultus inde consequatur. Nec sequitur, cui adest sublimitas, propter quam adorabilis, (detur venia vocabulo) eum exaltari non posse, vt adoretur & colatur: nam Deo illi vni nunquam illa sublimitas defuit, & tamen per divinam gloriæ suæ patefactionem, & nobilissimas actiones exaltatus fuit, vt coleretur, & adoraretur. Dices disparem esse Dei & Christi exaltationem? Non nego, nec valet interea objectio Socini. Exaltatione Christi & datione nominis hoc effectum, vt majestas & gloria deposita illi restitueretur, quę majestas in Christo refulgens, pulsâ crucis ignominiâ per exaltationem, ejusdem exaltationis terminus est. Divinitas itaque Christi pristino nitori per Dei Patris exaltationē restituta, est nomen illud supra omne nomen: nam exaltatio non attingit divinitatem, vt terminum à se productum; sed eandem vt in gloriâ majestatis suæ relucentem; ac propterea exaltatio non deitatē, sed caussam novam colendæ deitatis contulit. Sic Deus, qui semper adorandus fuit, per gloriosas actiones indies nos ad sui cultum obligat.

Subjungit huic alterū objectamentū, *nihil magis nugatorium aut insulsum esse, quàm affirmare, æternum Dei Filium, pro præmio suæ demissionis & obedientiæ, id habuisse, vt agnosceretur, qualis esset.* *Socin. pag. 299.*

Resp. 1. Nos illud non solum causam statuere. 2. Agnitio illa, quâ omnis lingua profitetur Dominum esse Jesum Christum, ad gloriam Dei Patris, causa & effectus dignissimus est demissionis Iesu Christi, vt docet Apostol. ibidem v. 11. Hoc ipsum ex adversarij sententiâ evincitur. Si Christus se demisit vt exaltaretur, quomodo ille eum vult exaltatum esse? et si sic exaltatus est, vt omnis lingua eum profiteretur, non debet tam ponderosa causa elevari, ad quam exaltatio dirigitur: nec negari agnitionem ἀποτέλεσμα esse demissionis; cum exaltationis ἀποτέλεσμα sit, ad quam exaltationem demissio refertur. Res enim magis sunt propter finem vltimum, quàm propter finem subordinatum.

Tertiò obijcit pag. 139. *Nos, interpretatione nostrâ, Paulum facere contrarium ejus dicentem, quod dicit; id est, Deum nec revera exaltâsse Christum, nec dedisse illi summum illud nomen, propter ejus obedientiam usque ad mortem crucis: quippe, cum secundum nostram hujus loci interpretationem, Christus ista jam ante mortē haberet.* Resp. 1. Iam ostensum esse, quomodo hoc verum, vel non verum sit. 2. Argumentor, hæc exaltatio aut contulit illam Socinianam Dei formam Christo de novo, aut non contulit: non contulisse dici non potest, quia post glorificationem efficax fuit in ministerio Apostolorum virtutibus & signis: Sin contulit, ergo contulit aliquatenus nomen, quod ante mortem habuit: nam ante mortem fuit in formâ Dei, & non est rapinam arbitratus, parem esse Deo.

CAP. XI. Tertiæ Classis argum.

De loco 1. Iohan. 5. vers. 7.

ARgumentum ex hoc loco formatum, sic habet. *Qui unum cum Patre & Spiritu Sancto, ille est æternus Deus. At Iesus Christus est unum cum Patre & Spiritu Sancto. Ergo est æternus Deus.* Argumentationes nonnullas à Bellarmino ad hunc locum allatas, quia parum firmę videntur, non attingimus.

Socinus primò contra hunc locum excipit, *emendatiora Græca exemplaria, & antiquiora Latina, verba ista non habere, nec etiam Syriacam editionem. Contextum ipsum loci per se satis docere, adulterina illa esse. Legatur, inquit, Erasmus in suis annotationibus in hunc locum, & ipsorum Theologorum Lovaniensium notationes, in quibus inter cætera scriptum est, antiquum correctorium, quod contribuerat M. N. Hunnæus, annotare, verba ista omnia, præter extremas illas duas voces,* in terrâ, *quas quædam exemplaria habent, deesse libris Græcis & antiquis Latinis, ac propterea cum locus planè controversus sit, nihil ex eo colligi posse ad quidquam concludendum.* *Socin. pag. 312.*

Resp. Legi hunc locum in exemplaribus Græcis Roberti Stephani: ea etiam Complutensis editio habet; etsi cum eâ varietate, quod legat εἰς τὸ ἓν εἰσί. Erasmus non dicit universaliter de omnibus. Antiquū correctorium, cujus meminerunt Theologorum Lovaniensium notationes, cum annotet voces illas in terrâ, ha-

beri in quibuſdam exemplaribus, indicat reliqua addenda, quæ ad ſenſum ſupplendum deſunt: nec ſine ratione id ſuſtinent, qui ſentiunt, ante Arij tempora de hoc loco non fuiſſe litem; nam locus hic contra Arium productus ab auctore diſputationis Athenaſij cum Ario habitæ in Concilio Nicæno, ab eo non rejectus. Cyprianus etiã hunc locum producit libro de Unitate Eccleſię: ubi ſectione quintâ verba ejus ſunt. *Et iterum de Patre, & Filio, & Sp.S. ſcriptũ eſt: Et hi tres vnum ſunt. Et quiſquã credit, hanc vnitatem, de divinâ firmitate venientem, ſacramẽtis cæleſtibus cohærentem, ſcindi in Eccleſia poſſe, & voluntatum collidentium divortio ſeparari? Hanc vnitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris & Filij fidem, vitam non tenet & ſalutem.* Socratis, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 7, cap. 32, diſceptantis de Neſtorio, verba ſunt. *Ignorabat itaq; in vetuſtis exemplaribus Catholicæ Iohannis eſſe ſcriptum,* omnem ſpiritum qui Ieſum ſoluit, à Deo non eſſe. *Hanc enim ſententiam, ex vetuſtis exemplaribus abſtulerunt illi, qui divinitatem à diſpenſatione hominis ſeparare voluerunt. Unde & veteres interpretes hoc ipſum ſignificârunt, eſſe quoſdam, qui epiſtolam hanc depravare conati ſunt, vt hominem à Deo ſoluerent. Non ergo reijciendus locus propter hanc lectionum varietatem, quæ & in alijs occurrit, qui tamen expungendi non ſunt, vt hunc Arianorum audaciâ exoſum eſſe, Hieronymus auctor eſt.*

Poſt diſputationem de lectione loci, accedit ad argumenti refutationem, & reſpondet: *ſi* *Socin. pag. 313.* *ratio ex verbis illis vulgò ducta valeret, concluden-*

dum

dum similiter fore, spiritum, aquam & sanguinem, quæ eodem in loco commemorantur, eandem essentiã inter se habere: quod ad lectionis varietatem attinet, quæ est in eo, quod v. 7. legitur hi tres vnum sunt. *v. 8.* in unum *ait complutensem editionem vtrobiq; habere* εἰς τὸ ἕν εἰσι, *addens interea cũ Erasmo, posse voculã* in, *ex idiotissimo hebraico, prorsus abundare.* Socin. pag. 314.

Resp. primò ad argumentm, esse comparationem imparium: testes qui testificantur in terrâ, essentiâ distingui, res & per se apertissima, testes in cęlo essentiâ unum esse, non tantum ex diversâ lectionis ratione probatur; verum etiam ex loco hoc cum alijs comparato, & ex ijsdem illustrato: Complutensis editio non potest communi lectioni præjudicare, Particulam *in* hîc abundare, tam facile reijcitur, quam affertur.

CAP. XII. Tertiæ Classis argum.

De loco 1. Iohan. 5. vers. 20.

ARgumentum breviter sic habet. *Qui est verus Deus & eterna vita, est Deus ille vnus. At Christus est verus Deus & æterna vita.* Ergo.

Contra hoc argumentum nullum non lapidem movet Socinus: nullas non latebras quærit, ad claram & planam sententiam obscurandam, & tænebras inducendas rebus.

Majorem præfractè negat, & magno molimine impugnat, non expugnat locum in meridie lucentem. Præmisso hoc antisyllogismo pugnam exorditur. *Verus Deus est vnus & solus : at Pater est verus Deus : ergo est vnus & solus, consequenter non Filius,* Socin. pag. 315.

 cum

cum Filius Dei non sit Pater, nec Pater sit Filius. Hic, inquit, de hoc suo ficulneo argumento gloriaturus, necesse habent ad distinctionem personæ, & individuæ essentiæ confugere; quæ cum pugnet cum ipso sensu communi, & simpliciter allata, sit in hac disputatione quædam principij petitio, &c. Resp. 1. Hęc est inanis rhetoricatio: nam argumentum Socini non profertur ex Scripturis, sed ex Κυρίαις δόξαις à se confictis: hic verò syllogismus noster ex Scripturâ formatus est, & cum ad hunc & alios ejus syllogismos respondent Orthodoxi, per distinctionem personæ, & individuę essentiæ, ex Scripturis ipsis respondent: nam hoc ipso versu Pater docetur esse Deus & Filius, & non potest solvi Scriptura Joh. 10. vers. 35: quapropter necessariò deveniendum ad distinctionem personæ & essentiæ divinæ: ille ad sensum suum communem provocat, nos fidei doctrinam ducem sequi tutius existimamus, vt nihil amplius de hoc sensu ejus communi dicamus, quia ea de re aliàs actum, quantum satis esse debet ijs, qui libenter in verbo Dei acquiescunt.

Hoc syllogismo præmisso, ad minorem se accingit, *& negat primò hæc verba ad Christum esse referenda; quia in Græco articulus appositus est. Christus, inquit, etsi est verus Deus, non tamen est ille verus Deus, ille, inquam, solus verus Deus, id est, ille solus perfectissimâ ratione Deus.* Verùm respondeo, hoc argumentum ex articulo depromptum, imaginarium esse, vt suprà demonstratum, & demonstrabitur, Deo volente, amplius, vbi ad istum locum deventum fuerit.

Secundò

Secundò non agnoſcit Scriptura duos veros Deos; ſed vnum tantùm: & qui cum Socin. ſic diſtinguit, non Scripturæ ductum, ſed ſenſus ſui ſequitur.

Secundò diſputat de pronomine relativo, *quod non ſemper referat id quod propius eſt, ſed id ferè, de quo præcipuè agitur: quod alioqui loci ſenſus perverteretur, nec propinquitas major efficere debeat, vt de quoquam ſub pronomine relativo id cenſeatur dictum, quod illi convenire non poteſt; præſertim cum alius, quamvis non ita propinquus, nominatus fuerit, cui id, quod ſub pronomine relativo dicitur, optimè conveniat, & non tam Gramaticales regulas, quam rationem ipſam attendendam eſſe. Hoc totum probat quinque exemplorum inductione. Primum eſt locus ille Pauli 2. Theſſ. 2. verſ. 9: ſecundum eſt Hebr. 5. v. 7: tertium eſt 1. Iohan. 2. v. 28: quartum eſt 1. Iohan. 4. verſ. 2: quintum eſt Ioh. 5. v. 14.* *Socin. pag. 316.*

Reſp. Regulas prædictas, in materiâ ſubjectâ, pro adverſario non concludere: nam cum hæc verba de Filio accipiuntur, nec loci ſenſus pervertitur, nec tribuitur Filio, quod Filio non convenit: & ex ratione eſt, ad Gramaticales regulas attendere, niſi obſtet prægnans ratio in contrarium: ſequendus ergo hic ſenſus, quem totius ſermonis cohærentia præ ſe fert: non enim interpretationes longè petitæ, quas milleſimus non obſervet, eligendæ, præ obvio & plano verborum ſenſu. Præſtat autem ſenſum, ſponte quaſi ex dictis profluentem, amplecti, quàm callidè excogitatum ijſdem obtrudere. Referendus non adferendus eſt ſenſus Scriptu-

ræ: quæ omnia cum ita ſint, exempla adducta, in ijs rebus diſſimilia, in præſenti caſu pro Socino non concludunt. In loco ad Theſſ. 2. illa verba: *cujus adventus eſt ex efficacitate Satanæ* &c. evidens eſt per ſe, referri debere ad impium illum, antecedenti verſu ab Apoſtolo nominatum; adeo vt ſine inſaniâ & blaſphemiâ aliò referri non poſſint. In loco ad Heb. 5. Melchiſedechus non recenſetur, niſi vt demonſtretur, ſacerdotalem Chriſti dignitatem legitimam eſſe, adeo vt hęc verba ſine manifeſtâ torſione, omnibus facilè conſpicuâ, aliò referri non poſſint, quàm ad Chriſtum. In loco Iohan. 2. agitur de ſpirituali nativitate, quâ in Dei Filios geniti ſunt fideles: hæc ſolet ad Deum Patrem referri, quâ ille nos in ſuos filios gignit. De loco quarto dixi, in loco ſecundo hujus claſſis. In loco quinto, vbi legitur, *& hæc eſt fiducia quam apud eum habemus*, Deus proximè nominatus fuit: nam dixit Apoſtolus in fine verſ. 13. *& vt credatis in nomen Filij Dei*, & quamvis verſ. 12. & 13. continuâ verborum ſerie, vt hîc ait Socinus, actum de Dei Filio; tamen in ijſdem verbis, multum facit ad rem illam perſuadendam, de quâ agitur, quod Filius Dei Filius: inſinuat enim eo hoc loco, Deum vitam æternam in illo ſuo Filio dediſſe nobis: ergo & hîc etiam revera de Dęo Patre agitur.

Socin. pag. 317.

Socin. pag. 318.

Iſtis omnibus ſic poſitis, ſtatuendum (cum exempla ſint planè diſſimilia, & circumſtantiæ iſtorum locorum, rerumque ſubjectarum argumenta oſtendant, ea ſic interpretanda,

vt

vt jam dixi, hîc verò secus) verba hæc ad Jesum Christum proximè nominatum referenda esse : sermonis enim simplex & plana cohærentia nos eò ducit : nec verum est quod scripsit hoc loco antagonista, de Deo Patre hîc præcipuè agi.

Tertiò obijcit titulum *veri, quod nusquam alibi Iesus Christus ille verus Deus esse dicatur, aut quidpiam aliud, quod tantundem valeat, de ipso apertè affirmetur : nec per se idolis opponatur, sed Pater, vt Actor. 14. vers. 15: Actor. 17. v. 24. 1. Cor. 8. vers. 4: 2. Cor. 6. vers. 16: 1. Thess. 1. v. 9: Ioh. 17. v. 3.* Resp. Act. 14. Patrem nec apertè, nec tacitè nominari, & quamvis Iesus Christus, cum terminis ita expressis non dicatur verus Deus, nec ita formaliter idolis opponatur; sunt tamen loca, in quibus Deus absolutè dicitur, vel Deus & Dominus meus, quæ tantundem efficiunt, ac si verus Deus appellatus fuisset. Deinde etsi in loco Ioh. 17. Pater dicatur solus verus Deus expresse, verba tamen eadem, secũdum convenientissimam expositionem, ad Filium referuntur : nam in solius veri Dei cognitione, & inde profluente cultu, vitam æternam vniversa Scriptura sacrà collocat. Ex loco ad Cor. satis evidenter perspicitur, oppositionẽ, ex mente Apostoli, fieri inter idola & Dominum illum vnum Iesum Christum : nam verba ejus sunt vers. 3. 4. 5. *De esu igitur eorum quæ idolis immolantur, scimus idolum nihil esse in mundo, & nullum esse Deum alium nisi vnum. Nam etiamsi sint qui dicantur dij, & in cœlo & in terrâ, (sicut sunt dij multi, & Domini multi) nobis tamen*

vnus

vnus Deus, Pater ille à quo omnia, & nos in ipso, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum. Hîc Apostolus vnum Deum & Dominum, quem Christiani habebant, idolis, dijs, & dominis multis opponit. Denique Christus satis, quod ad rem ipsam, idolis opponitur, dum omnis cultus, idolis ademtus, Deo vivo & vero vindicatur ab Apostolo Paulo Act. 14. v. 15. 16. cum enim inter res vanas, quæ colendę non sunt, & Deum vivum creatorem cæli & terræ, qui colendus est, non sit medium, & neutrum quoddam; sequitur, cum Christus colendus sit, esse Deum illum vivum creatorem cæli & terræ. Sic Thessal. 1. v. 10. dicuntur fideles spem suam in Filio collocâsse: nam dicuntur *eum exspectare è cælis, eruentem se à venturâ illâ irâ*; quę exspectatio Filij, cum servitute Dei vivi & veri, idolorum derelictioni opponitur. Quod ergo colitur Apostolo, aut idolum est, aut Deus vivus & verus. Quod autem Socinus dicit, Christum alibi per se idolis non opponi, hoc elumbe est: nam & hoc loco non est necesse, statuere Apostoli Iohan. admonitionem, de cavendis idolis, tantùm Filium respexisse: imò potius statuendum, Iohannem, vt & in multis alijs hujus epistolæ locis, fidelibus commendare voluisse perseverantiam in fide vnius & veri Dei. Deinde falsum est, illum per se idolis non opponi, videatur 1. Cor. cap. 10. v. 16. 17. 20. 21.

Socin. pag. 302. Quartò objicit, *planè verisimile esse, verba illa proximè antecedentia* & sumus in illo vero, *referenda esse, ad illum eundem verum, cujus cognitionem nobis dedit Filius Dei veniens, vt qua statim*

con-

consequuntur in Filio ejus &c. *Ex Hebræorum idiotissimo, eoque in N. Testam. frequentissimo, ita accipiantur, ac si scriptum fuisset* per Filium ejus.

Resp. per antithesin, prorsus probabile esse, ad sequentia illa referenda esse: nam *esse in vero illo, in Filio ejus Iesu Christo*, aliam expositionem, aut relationem ad Deum Patrem non permittit: quod facilè vidit Socin. ideoque ad enallagen præpositionis *in* pro *per* confugit: sed sine ratione & necessitate vllâ, quod contemnendæ temeritatis est: si hoc voluisset Apostolus, non vtrobique in his verbis vsus esset particula ἐν in sensu dispari: neque etiam Erasmus hoc in loco ἐν pro διὰ scriptum ait.

Quintò objicit, *verba illa per parenthesin legi & posse & debere*. Resp. Socinum hîc parenthesin fingere ex authoritate propriâ sine vllo exemplo.

Tandem evidentiâ loci convictus, *in eam sententiam se facilè devenire dicit, vt quando omnino videatur idem hujus loci sensus esse, qui est verborum ipsius Christi Ioh. 17. v. 5. non solùm ad Patrem clausulam istam*, hic est verus Deus & vita æterna, *referendam esse; sed etiam ad Christum, quatenus referri potest & debet: perinde ac si Iohannes dixisset: hîc habetis verum Deum & vitam æternam:* verum quidem Deum, *quia ecce habetis Christi Patrem, qui est solus verus Deus, vt ipse Christus dixit:* vitam autem æternam, *quia ecce, simul cum Christi Patre ipsum Christum habetis: & sic pronomen* hic *eandem vim habere posse, ac si hoc dictum fuisset, ita vt referatur ad totum illud, quod proximè præcessit, masculino tamen,* Socin. pag. 421.

non

non neutro genere , pronomen istud fuisse enuntiatum, propter nomen verus Deus, *masculini generis, quod illi statim subijciebatur : exemplum simile dicit esse Math. 13. vers. 38.* bonum semen, hi sunt Filij regni : *& Ioh. 17. v. 3.*

Resp. Ita trahendo & distrahendo, ex locis Scripturæ sensum, quem volueris, facilè excusseris. Socinus disputator quodlibeticus hîc est, quod probavit mox damnat : statim parenthesis probabilis ; nunc rejectâ parenthesi locum discerpit, & prius illud *verus Deus Patri donat:* posterius illud, *æterna vita, Filio.* At quid clarius, quàm verum Deum, & vitam æternam de eodem prædicari? hæc ergo adversarij concessio, Filium hîc vitam æternam dici, pugnat pro sententiâ orthodoxa, Filium hîc à Iohanne verum Deum esse dictum: & etiamsi ille non concederet, concedendum tamen magis, hunc verum Deum esse Jesum Christum, quia ille qui verus Deus dicitur, hîc etiam vita æterna dicitur; hoc enim revera multo fortius astringit argumentum nostrum : nam etsi vita æterna non tantùm in Filio, sed & in Patre residet, semper tamen fere vita æterna in Filio esse dicitur : & quamvis æqualis necessitas est fidei in Deum Patrem, quæ est fidei in Filium, semper tamen fere vrgetur fides in Filium, quod tum in Euangelio, tum in Epistolis hujus Apostoli valde est obvium : Iohan. 1. vers. 12. 16: Iohan. 3. vers. 15. 16. 17. 18. 35. 36: Iohan. 4. vers. 14: Iohan. 6. vers. 29. 35. 37. 40. 47. 48. 50. 51. 53. 54. 56. 68. 69. & alibi passim : sic prioris Epistol. cap. primo

vers. 1.

verſ.1.*ſermo vitæ appellatur*: cap.2. verſ. 22. 23. *quis eſt mendax niſi qui negat Ieſum eſſe Chriſtum illum? hic eſt antichriſtus,qui negat Patrem & Filium: quiſquis negat Filium, nec Patrem habet,qui agnoſcit Filium etiam Patrem habet*: cap. 3. v. 23. *hoc eſt igitur ejus mandatum, vt credamus nomini Filij ejus Ieſu Chriſti*: cap.4. v. 2. *ex hoc cognoſcite Dei Spiritum,quicunq; Spiritus profitetur Ieſum Chriſtum ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα ex Deo eſt*: rurſum v.3. ibidem & 15.cap. 5. v. 1.5.& 11. hoc teſtimonium Dei eſſe dicitur, *quod vitam æternam dedit nobis, & hanc vitam in Filio eſſe*: rurſum v.12.& 2.Epiſt.v.9. Dico ergo multo magis hęc verba,*hic eſt verus Deus*,ad Filium eſſe referenda,quia ille,qui verus Deus dicitur, etiam vita æterna appellatur : at Socinus hæc dividere maluit : rationes audiamus.

Primò putat,*hunc locum æquipollere loco Ioh.3. v.17.* Reſp. multùm differe: Ioh.17. expreſſis verbis docetur,vitam ęternã acquiri cognitione Dei Patris, ſolius veri Dei, & Mediatoris Ieſu Chriſti. Hic tantùm Filius, & verus Deus, & vita æterna dicitur. Ad ſecundum,*in quo hic,pro hoc interpretatur*,reſpondeo, totam iſtã interpretationẽ diſtortam,& corruptionem textus eſſe: hæret enim imperfecta hæc ſententia, per hanc inſolentem explicationem. Exempla quæ attulit, pro hac depravatione loci non faciunt; nam in vtroque exemplo iſta enallage generis eſt manifeſta, & ſubjectum, & prædicatum enuntiationis,in vtroq; loco eſt expreſſum : hîc verò Socinus enallagen comminiſcitur,cujus ne minimum quidem in textu veſtigium, & ora-

tionem

tionem Apostoli, hærentem & mutilam facit: frustra ergo exemplis illis commento color quæsitus fuit.

CAP. XIII. Tertiæ Classis argum. *De loco* Johan. cap. 1. vers. 1. &c.

IN principio erat verbum: & verbum erat apud Socin. pag. 322. *Deum: & Deus erat verbum, omnia per ipsum facta sunt.* Quatuor hoc loco argumenta sunt, secundum numerum enuntiationum. Primum argumentum est in illis verbis, *in principio erat sermo.*

Duæ videntur potissimum esse causæ, cur Dei Filius λόγος. Prima est, quia est æterna Dei, & subsistens sapientia. Altera est, quia Deus per eum nobis revelat voluntatem suam: secundum priorem λόγος ἔμφυτος est, secundum posteriorem προφορικὸς: secundum priorem relatè ad Deum sermo, secundum posteriorem ad nos: hæ causæ antiquitati istius denominationis sunt præcipuæ, si quæ aliæ interdum afferuntur, secundarię sunt, & ex istis tanquam rivuli ex fonte deducuntur. Posteriorem significationem tantùm admittit Socinus, non priorem: ac propterea putat, nihil ex istâ voce concludi posse pro essentiâ divinâ Christi. Verùm significatio prior ei minimè contemnenda fuit; nam in translatione Chaldaicâ, quam sæpius Iohannes imitatur, quęque magnæ semper authoritatis fuit Iudæis, verbum Dei passim hoc sen-

ſenſu appellatur. Significatio etiam hæc, quâ λόγος dicitur, ratione originis à Patre, vt æterna Patris ſapientia, convenit omnino rebus, de quibus in principio hujus capitis agitur: nam quà verbum Dei ſubſtantiale, *in principio erat apud Deum, Deus mundi & rerum omnium fabricator.* Sed miſſà voce, de quâ curiosè non contendo, argumentum ſtatuimus in prædicato hujus propoſitionis; vel quod idem eſt, quod ſermo ille dicitur *fuiſſe in principio*: verùm antequam hoc argumentum tractemus preſſiùs, non abs re videtur, nonnulla adverſario reſpondere ad ea, quæ de voce λόγȣ hîc diſputat.

Obijcit vocem λόγος, *conſuetâ ac frequentiſſimâ, (præſertim in ſacris literis, vbi vetus interpres verbum plerumque illam reddidit) ſignificatione, ſermonem ſignificare.* Reſp. hoc non negari: at tum in priori ſignificatione etiam accipitur, aut ea non excluditur. *Socin. pag. 32.3*

Pergit pag. 326. *videri omnino, Euangeliſtam voluiſſe explicare, cur Chriſtum verbum appellaſſet, cum poſtquam expreſſiſſet v. 17. iſtud verbum alind nihil eſſe, quam Ieſum Chriſtum, pro verbo videlicet apertè Ieſum Chriſtum reponens; ſtatim v. 18. ſubjunxit,* Deum nemo vidit unquam; vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit. *Adfert in eundem finem pag. 327. locum 1. Ioh. 1. v. 2. cap. 5. v. 11. cap. 2. v. 25. ejuſdem Epiſtolæ. Deinde citat 2. ad Timoth. 1. v. 10.*

Reſp. Locum illum primi cap. v. 17. 18. aut omnino non exponere, cur Filium Dei λόγον nuncupaverit (exponere autem, nullo argumento fides fit) vel ſi quis velit expoſitionem eſſe,

dici poteſt non totaliter, ſed partialiter per hoc exponi. Ad locum cap. primi Epiſt. prioris reſpondeo, priorem ſignificationem hîc imprimis retinendam eſſe, quia quod Chriſtus λόγος æternus ęterni Patris, fundamētum eſt ejus, quod λόγος nobis arcana Dei de ſalute noſtrâ conſilia patefaciens, & magis eſt nobis λόγος vitæ ex vi ſenſus prioris, quàm poſterioris. In tribus locis ſequentibus λόγος non appellatur, ideoq; ad rem non faciunt; neque ea quæ in ijs dicuntur, adferuntur tanquam hujus nominis cauſæ. Nec etiam locus ille Apocal. cap. 19. v. 13. probat, Chriſtum eſſe nominatum λόγου ratione officij Prophetici, aut ſolùm ratione ejus.

Socin. pag. 328. Ex eo, quod hoc verbum carnem factum eſſe legitur, duxit rationem Bellarm. pro naturâ didivinâ ejus verbi: hanc eludit Socinus hoc pacto. *Verbum Græcum, quod Latinè redditum fuit,* factum eſt, *eſſe* ἐγένετο, *quod non minus*, fuit, *quàm*, factum eſt, *ſignificat: debuiſſe locum verti* & verbum caro fuit, *non autem* & verbum caro factum eſt: *quemadmodum, inquit, ordo ipſe verborum Iohannis poſtulat; qui abſurdè diceret, verbum carnem eſſe factum, id eſt, vt adverſarij volunt, naturam humanam aſſumpſiſſe, poſteaquam de ipſo ea dixiſſet, quæ poſt Chriſtum hominem natum extiterunt; ſed non abſurdè, poſt iſta omnia de eo dicta, ſub* verbi *appellatione, de homine, qui aliquando mortalis fuit, ſe loqui declaravit, dicens iſtud verbum fuiſſe carnem.*

Reſp. Etiamſi interpretatio vocis ἐγένετο per *fuit* admitteretur, ſequeretur nihilominus, verbum hoc eſſentiâ Deum eſſe: ſi enim Chriſtus

ſecundum humanitatem tantùm Dei verbum eſſet, nihil operarentur hæc verba Iohannis, ſed ridiculè locutus eſſet, *verbum*, hoc eſt, hominem divinę voluntatis interpretem, fuiſſe hominem. 2. Vocis ἐγένετο natura & propria ſignificatio eſt, *naſci*, *oriri*; inde Latius *fieri*: hinc per metalepticam ſignificationem, ſumitur pro eſſe: quoniam res factæ, cùm factæ, tum ſunt. Et pro *fieri* perpetuò fere vſurpatur in N. Teſtam. quod plus quàm ſexcentis locis probari poſſit, & quando ſignificat eſſe, altera ſignificatio connotatur. Iohannes certè nunquam, quantum ego quidem obſervare potui, eâ voce eſt vſus, niſi in ſignificatione propriâ, aut ita, vt ſignificatio illa excludatur. Oſtorod. cap. 19. Inſtitut. Germ. ſection. primâ, profert nonnulla loca pro ſenſu, *fuit*: Ioh. 1. v. 6: Marc. 1. v. 4: Luc. 1. v. 5: Luc. 24. v. 19: Rom. 11. v. 34. Verùm loca Ioh. 1. v. 6: Marc. 1. v. 4: Luc. 24. v. 19: Rom. 11. v. 34. per *fieri* rectè explicantur, aut ſaltem non negandum, ſenſum ipſius *fieri* dictis iſtis incluſum eſſe. Nam cum de Iohanne Baptiſta dicitur, ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσαλμένος παρὰ θεοῦ, revera factus eſt miſſus, vt ſic dicam, vt belgicè dicimus *geſonden geworden*. Ita Iohannes baptizans factus eſt, baptizando Marc. 1. verſ. 4. & ſic baptizavit, & baptizatus fuit. Ita Rom. 11. verſ. 34. τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο, reddi poſſet, quis factus ei à conſilio? eſſe enim Dei conſiliarius nemo poſſet, niſi factus aliquando eſſet. Ita & locus Luc. 24. v. 19. commodiſſimè exponitur, per factus Propheta potens. Unus tantùm locus videtur iſtam ſignificationem,

exclusâ propriâ & nativâ,postulare,qui est Luc. 1. v. 5. Iohannem dixi nunquam eâ voce vsum, nisi in significatione propriâ; aut ita vt illa excludatur: in loco ab Ostorodio producta,res manifesta est, non enim dicitur de Iohanne simpliciter ἐγένετο,sed missus fuit. Unus adhuc locus est, de quo dubium moveri posset, Iohan. 20. vers. 27. in quo Dominus Thomæ dicit μὴ γίνου ἄπιστος: sed & hîc significatio propria retineri potest: non enim tantùm volebat Dominus,vt Thomas desineret esse incredulus, vt hactenus fuerat; sed ne porro incredulus esse pergeret; sic enim magis ac magis factus fuisset incredulus: accedit quod dicitur ἀλλὰ πιστὸς; fidelis autem esse non poterat Thomas, nisi fieret: *sis fidelis* valet hîc, *fias fidelis*: ex hisce efficitur, legendum hîc esse,non *fuit*, sed *factum est*. Porro cum Iohan. hoc loco, simpliciter significare vult rei existentiam, non ortum,verbo substantivo εἰμὶ vtitur: sic dicit,*in principio erat verbum,erat apud Deum,erat Deus, in ipso vita* erat, *& vita erat* lux. Cum verò indicare vult ortum & rerum productionem, vtitur voce γίνεσθαι. At instat, ordinem verborum postulare, verbum illud γίνεσθαι reddi per verbum *fuit*. Quia absurdè diceret Iohan. Christum naturam humanam assumpsisse, posteaquam de eo dixit, quæ post Christum hominem natum extiterunt: hoc post magistrum, discipulus Ostorodij etiam objicit sententiæ orthodoxæ de incarnatione cap. 18. Institution. German. section. 2. etsi paulò aliter ille objectionem suam formet.

Resp.

Resp. Sępe hysteron proteron multa narrari. Genes.10.v.31.confer cum Gen.11.v.1:1,Cor. 10.v.16: Marc. 14. 23. 24: sic & hoc ipso loco v. 10. 2. dici potest, ordinem hìc imperturbatum esse, & regressionem fieri ad sermonem illum, qui fuit aliquantum intercisus, per intercurrentem v. 12. 13. vt clarius & plenius Scriptura nobis explicaret,quomodo *in mundo fuerit & ad suos venerit*. 3. Quod si adhuc de inverso ordine conquerantur,& id sentētiæ nostrę obijciant, dicam, turpe esse doctori,cum culpa redarguit ipsum : nam si quam ordinis inversionem expositio orthodoxa infert, meminisse oportebat,& ipsorum inferre. Quid? an non Ioh. dicit *commoratus est inter nos* v. 14? & tamen v.11.& 12.narravit ea quæ consecuta sunt ejus inter nos manifestationem,& adventum. Ostorodius statuit, Christum carnem esse factum, hoc est inter alia hominem vulgarem, posteaquam Iohannes testatus est, contemptum à suis fuisse vers. 11. quod est effectum ejus rei, vt ipse ibidem existimat. Et quod si Euangelista, vt eodem loco existimat Ostorodius, docuerit istis verbis, Christum afflictionibus obnoxium fuisse, inverso ordine hoc docuit; cum postmodum historiam vitæ & operum nobis componat. Denique Socinus, vocem illam ἐν ἀρχῇ pag. 331. interpretatur, cum Baptista prædicare cœpit: v.6. verò de missione ejus agitur: ergo & hìc inversio ordinis est.

Instat amplius Ostorod. sectione tertiâ ejusdem capitis,dicens, *quod si quis communē versionem retinere velit,dici posse,istis nō significari Christum*

stum hominem esse factum; sed tractatū fuisse ut peccatorē; afflictionibus, & ignominiosæ morti factū obnoxiū, ut Apostolus in re pene simili, similibus verbis locutus est Gal.3.v. 13: Rō.8.v.3:2.Cor.5.v.21.

Resp. 1. Christum semel carnem esse factū, secundum script. non bis, videatur suprà in loco ad Philip.2. 2. Dico non rectè passiones ipsius naturæ humanæ infirmæ & mortalis, significationi vocis carnis includi: multo minus illę, quæ naturæ humanæ conditionem juxta communem ejus sortem non consequuntur: qualia sunt cædi, conspui, crucifigi. Scriptura disertè carnem Christi à passionibus & morte ejus distinxit; non enim cum Ostorodio, passiones & mortem ejus carnem ejus facit: sed carnem facit subjectum passionum Rom.8.v. 3. *caro peccati*, non est ipsa mors, sed subjectum mortis; nam dicitur *peccatum in carne condemnâsse, hoc est in corpore illo carnis suæ* Col. 1. v. 12: ita Petrus testatur, *Christum peccata nostra sursum tulisse, in corpore suo super lignum*, 1.Pet.2. v.24: *carne mortificatus* dicitur cap.3.v.18: caro subjectum, mortificatio carnis passio subjecti statuitur: rursus caro ejus non est passio ejus, sed est *passus carne* cap.4.v.1. Evincitur ergo, hæc verba Apostoli non confundenda cum ijs, quæ de passione & maledictâ ejus morte loquuntur; sed ad incarnationem ipsam quâ naturam passibilem assumpsit, referenda esse.

Hisce sic disiectis, venit jam pressiùs examinandum argumētum hoc, *in principio erat sermo.* Audi Euangelium, inquit Basilius magnus, sermone in hęc verba. Si erat in principio, quando

non

non erat? nervosa & brevis argumentatio: quod enim erat jam tum in principio, æternum est; nam quicquid est, aut æternum est & non principiatum, aut temporale & principiatum. Si verbum æternum est, & non prius verbũ quàm Deus, vtique æternus Deus.

Socinus occurrit, aliam significationem principij obtrudens; *principium pro subjectâ materiâ varium esse dicens: omnia sacra testimonia, in quibus ista duo verba absolutè, vt hîc, posita leguntur, id manifestè docere: Esa. 52. vers. 4: Esa. 60. v. 9: Dan. 8. v. 1: Act. 11. v. 15: proinde cum hîc subjectâ materia sit Euangelium, nulli dubium esse posse, quin hoc loco,* in principio, *Euangelij initium significet, ac si scriptum fuisset, in principio Euangelij: semper enim in hujusmodi locis aliquid subaudiendum esse, ad quod vox principij referatur.* Socin. pag. 329.

Resp. Cum Orthodoxi ex istis verbis ἐν ἀρχῇ argumentum ducunt, pro æternâ Christi Deitate; non argumentari ex istis vocibus, in abstracto consideratis; sed in concreto, hoc est ex eo, quia agitur de principio productionis rerum omnium. Hanc principij significationẽ, vt everteret Socinus, ad Euangelium restrinxit, quàm rectè, de eo jam videbimus. Ait ergo *mentem Ioh. fuisse, jam tum, cum Baptista prædicare cœpit, fuisse à Deo huic muneri, voluntatem suam patefaciendi, destinatum, & jam reipsâ ad id singulariter electum: adeo inquit, vt Ioh. Baptista ipse, vt tempore patefactionis suæ aliquanto superior, sic dignitate multo inferior esset.* Socin. pag. 331.

Resp. Per istiusmodi interpretamentum novum deteri, imo prorsus evanescere augustam

horum verborum majeſtatem,quibus tamen nihil gravius, ab Euangeliſta adduci potuit, ad commendandam incomparabilem Filij Dei dignitatem. 2. Non eſt ferenda interpretatio, quę ex tam auguſto exordio, identicam, ineptam, & puerilem propoſitionem facit : at Socini interpretatio hoc facit. Confirmatur, nam ſi verba illa, *in principio*, tantundem valent, ac ſi dixiſſet, cum cœpit prædicare Baptiſta : tum in ipſis illis verbis, *in principio*, hoc continetur, Chriſtum deſtinatum fuiſſe in lucem vitalẽ : ſi ergo hæc reſolvas, aut potius involuas ex mente Socini, habebis Chriſtum deſtinatum fuiſſe in lucem vitalem, jam tum, cum inciperet Iohannes prædicare, ipſum deſtinatum eſſe in lucem vitalem : hoc ipſum enim erat, quod prædicabat Ioh. vt Scriptum eſt v. 7. 8. hujus capit. & teſtatiſſimum hoc fecit Apoſtolus Paulus, vt alia omittam Act. 19: vbi ſcriptum extat verſ. 4. *Iohan. quidem baptizavit baptiſmo reſipiſcentiæ, dicens populo, vt in eum qui poſt ipſum veniebant crederent, hoc eſt in Ieſum Chriſtum* : ſi enim credere debebant in Chriſtum Ieſum qui veniebat, ſatis ſignificabatur eo, à Deo deſtinatum & electum fuiſſe. 3. Si intendiſſet Iohan. Socini mentem, non dixiſſet, *in principio erat verbum* : ſed ante principium erat verbum: ſemper enim Baptiſta Chriſtum anteponit : vide v. 15. 27. 30. 4. Cum de prędeſtinatione Ieſu Chriſti agitur, non reſtringitur illa ad tempus, nedum ad iſtiuſmodi tempus, quod parum præceſſit tempore executionem ipſam, Ioh. 17. v. 5. 1. Pet. 1. v. 20. in quo loco exiſtimat Smalc. lib. de divinitate Ieſ. Chriſti

cap.

cap. prim., agi de decreto Dei, quo Christus destinatus est in præconem æternę vitæ: de eo, qui prædestinatus est ante jacta mundi fundamenta, Patribus promissus, à Prophetis prænuntiatus, ab angelis, Simeone, Zacharia, matre Maria & alijs pijs agnitus, quod Christus esset & arcanorum Dei interpres, (erat enim principium notissimum, Christum omnia annuntiaturum, Ioh.4.v.25.) dicere ejus dignitatem nobis per hoc hîc ob oculos poni, quod ab inito ministerio Baptistæ destinatus fuerit, nimis insulsum est. 5. Secundum hanc expositionem, nihil singulare de Christo dicitur: nam Iohan. magis sic erat, cum Malachias de ipso prophetaret, & Apostolus Paulus separatus fuit ab vtero matris suæ. 6. Non potest admitti hæc corruptio textus, per quam & contradictoriæ dignissimarum propositionum verificantur. In principio non erat sermo, non erat apud Deum, non erat Deus, non erat in illo vita. 7. Dico vocis *erat* vsitatam, simplicem, & proprijssimam significationem retinendam esse; quia nec rei subjectæ, nec loci natura contrarium postulat, sed pro propriâ significatione militant. Concludo itaque non agi his verbis de prędicatione Euangelij, per Iohannem inchoatâ; nec de destinatione ad munus Propheticum: nec si de eâ ageretur, inde duceretur hoc consectarium, Christum Baptista dignitate priorem esse.

Hoc jacto erroris fundamento, alienissimos sequentibus sensus affinxit. Sequitur apud Euangelistam: *Sermo erat apud Deum.* Hîc novam interpretationem adfert vocis, *erat:* expo-

nit enim hoc, ſoli Deo notus erat: nam *legitur, inquit, illum ipſi Iohanni Baptiſtæ aliquando fuiße ignotum* Ioh.1. verſ.33. Reſp. Interpretamentum adulterinum eſſe. 1. Quia nuſquam eo ſenſu, Dei Filius apud Deum eſſe, vel fuiſse dicitur. 2. Non in principio, ſed ab omni æternitate, Deo & Patri ſuo notus fuit. 3. Falſum eſt, & ſacrę hiſtoriæ veritate repugnans, ſoli Deo fuiſse notum: jam enim angelis, & multis hominibus innotuerat: nec Iohanni erat ignotus ſecundum notitiam internam, ſed ſecundum notitiam perſonæ externam tantùm, ſeçundum quam tamen, Simeoni, magis, paſtoribus, Marię, manifeſtatus erat: eligat quod vult, non evincet ſoli Deo notum fuiſse: quod ſi intelligat de notitiâ externâ, vt omnino hoc videtur inferre, quod dicit Baptiſtæ aliquando fuiſse ignotum, tum ab Apoſtolorum temporibus uſque ad diem judicij fuit, & erit apud Deum. Concludo ergo, fuiſse apud Deum, vt erat in principio: nulla enim ratio permittit, nunc de hoc, nunc de illo eſsendi modo, hæc verba accipere. Et eſt hoc alterum divinitatis Chriſti teſtimonium, erat enim in principio apud Deum ſermo ſubſiſtens perſonaliter, ſermo enim ſuppoſitum eſt, vt inter nos & adverſarium convenit.

Socin. pag. 332.

Tertium *Deus erat ille ſermo.* Reponit adverſarius. *Primum non eße Deum illum vnum, qui apud eum fuit; reſpondere autem per diſtinctionem eſſentiæ & perſonæ, vaniſſimum effugium vocat.* At etiam nos vaniſsima effugia dicimus eſse, reſpondere per negationem diſtinctionis eſsen-

Socin. pag. 333.

tiæ

tiæ & personę, vt hac de re visum jam aliquoties: imò ex hoc ipso loco adversarius refelli potest, & ostendi, non esse vanissimum effugium. Cum enim duo hîc dicantur Deus, & non dicatur Deus absolutè, qui nō est Deus ille unus, necesse est vt sentiamus Christum, de quo inter nos & adversariū controvertitur, non dici Deū nisi ob istam causam: & quamvis Deus ille vnus, tamen ab eo distinguitur: habemus hîc ergo, in vnitate essentiæ, distinctionem personarum.

Excipit secundò, *articulum non appositum, in hac sententiâ arguere, vocem* Deus *non accipiendum eo sensu, quo in sententiâ præcedente.* Apponit Græcans, quia hoc illi ex re suâ videtur. *Grecam linguam; cum aliquod nomen eodem sensu vult repetere, articulum ei repetendo apponere, quamvis antea appositus non sit, tantum ab est, vt antea appositum, in repetendo deinde ommittat. Exemplum adfert ex vers.4. hujus cap.* Joh. 13. vers.3. *Socin. pag. 334. 335.*

Resp. Quantum tribui debeat argumento, ex fonte articuli derivato, judicabit lector ex ijs, quæ suprà dicta sunt pag.95. Miror vnicum articulum, in tantâ causâ, tantum adversario armamentarium esse, & ex fonte tam exiguo, tot interpretationum rivos pullulare: contenti itaque erimus hoc loco attendere ad id, quod hic monet, de usu Græcę linguæ in hujus articuli vsurpatione: quem Iulius Cæsar Scaliger dixit, loquacissimæ gentis flabellum. Observationem hanc nullam esse dico, non enim ex particularibus inferri potest mox regula generalis: fallit hæc ob-

servatio;

ſervatio; conſule Mat.5.verſ.8.9. vbi legitur cum articulo, *mundi corde Deum videbunt*, & in ſequente ſine articulo, quod *pacifici Filij Dei vocabuntur:* Luc.22. v.20.21. Ita appoſitus articulus omittitur hoc cap. verſ.14. *& ſpectavimus gloriam ejus*, cum articulo; mox ſequitur ſine artulo, *gloriam vt vnigeniti*, & verſ.45. *erat verò Philippus* cum articulo; in ſequente, *invenit Philippus*, ſine articulo: appoſitus ergo articulus, in repetendo ſæpe omittitur. Fallit & altera obſervatio, Græcam linguam, cum aliquod nomen eodem ſenſu vult repetere, articulum ei in repetendo apponere, quamvis antea appoſitus nõ fuerit. Legitur Nathanael verſ,49. 50. ſine articulo: cap.2. verſ.1.11. Cana vtroque loco ſine articulo. Scribit Budęus, vir in Grecâ linguâ non vulgariter verſatus, Commentar. Græcæ linguæ pag. 593. Atticorum eſſe, τὰ ἄρθρα πλεονάζειν, καὶ περιστὰ τιθέναι, & viciſsim καὶ ἐλλείπειν τῶν ἄρθρων πολλάκις λέγειν. Viſum itaque, pręterire diſputationem illam, de cauſis, propter quas quidam exiſtimant, vt hîc ſibi objjcit adverſarius, articulum illum omiſſum eſſe.

Socin. pag. 335. 336.

Quartum eſt. *Per quem facta ſunt omnia, ille non eſt factus; ſed Deus ille vnus. At per Chriſtum facta ſunt omnia: ergo. Primò negat ex eo, quod verbum non eſt factum, ſequi non eſſe creaturam: creare, eſſe ex nihilo producere.* Reſp. Agnoſcere adverſarium, confundi hæc in ſacris, ad Deum relata: Nec apud Philoſophos creare & facere opponuntur: nam dicunt rem eſſe factã, vel fieri poſſe, per creationem: imò Scholaſtici definiunt creationem, effectionem rei ex nihilo:

Socin. pag. 337.

quæ verba, ex nihilo, actionem creandi distinguunt ab eâ, quæ est per eductionem de potentia subjecti. Dei facere itaque, cum de emanatione rerum ex Deo agitur, creare est: ita Deus in creatione cæli & terræ, & rerum omnium, creando faciebat, & faciendo creabat. LXX. interpretes Gen. 1. v. 3. 6. habent, ἐγένετο φῶς, ἐγένετο στερέωμα.

Secundò excipit, negans eum, per quem facta sunt omnia, illum non esse factum. Verba ejus sunt: *etiam si vox, omnia, vniversè planè accipienda fuerit: semper enim in istiusmodi locutionibus, quantumuis vniversalibus, excipitur is, de quo ipsa vniversalis enuntiatio effertur. Huic exceptioni firmandæ adfert illud, quod vers. 7. hujus cap. scriptum extat, vbi sic legitur.* Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. *Hic, inquit, apertum est, vocem* omnes *Iohannem non comprehendere: aut si velimus neminem prorsus excipiendum, sequi alterutrum; Iohannem, aut in Christum non credidisse, aut per seipsum credidisse, neutrum autem verum esse: sic non sequi, Verbum non esse factum, quia non per seipsum factum.* Socin. pag. 338. Socin. pag. 339.

Mens adversarij, si rectè assequor, est: etiamsi particulare aliquod absolutè sub vniversali aliquo contineatur; illud ipsum particulare sub isto tamen vniversali non comprehendi, cum vniversale hoc prędicatur de particulari, vt hîc: quamvis Verbum sit de genere factorum, in hoc tamen enuntiato, quo omnia facta ab ipso facta prædicantur, non esse sub isto vniversali comprehensum. At sic ista responsio supponit,

quod

quod inter nos & antagonistam controvertitur, Verbum de genere factorum esse. Regeret majorem Syllogismi nostri: per quem facta sunt omnia, ille non est factus: similiter non probare, Verbum de genere factorum non esse, cum possit esse factus, per quem porrò omnia facta. Verùm huic difficultati sic occurritur. 1. Sic facta per Christum omnia, vt nullum ens factum excludatur: per quem ergo ita facta omnia, ille non est factus: nec potest intelligi, eum, qui sic fecit omnia, excipi ab ijs omnibus; etsi absolutè sub ijs contineatur: sed necesse est intelligi, eum non contineri sub genere factorum. 2. Dico, per quem sic facta sunt omnia, vt ille existẽs tantùm inducatur, vbi agitur ex professo de principiatis per efficientiam, evincitur profecto, sic facientem omnia non esse factum: si non esset ἄναρχος & ἀναίτιος fabricator rerum omnium, non reticuisset hic Iohan. Tam efficaciter ergo hæ propositiones probant, *Verbum non esse factum*, quam illa, *Deus creavit omnia*, & similes, probant Deum non esse creaturam. Per hanc datam solutionem, corruunt argumentationes petitę ab exemplo Iohannis: nam indubitata est hæc positio, Iohannem de numero credentium esse; ac propterea alia ratio est, propter quam Iohannes excipitur, alia, propter quam Christus: per consequens, Iohannem non fuisse credentem, malè quispiam inde concluserit, rectè verò Christum numero rerum factarum absolutè eximendum esse.

Tertiò disputat, *vocem, omnia, non prorsus vniversè accipiendam esse; sed ad subjectam materi-*

am restringendam esse; id præsertim in Novi Fœderis scriptis, frequentissimè vsuvenire: subjectam materiam hîc eße Euangelium, seu Novum Fœdus, quod cum hominibus Deus pepigit. Illi ergo sensus verborum hic est: omnia, quæ jam facta eßent, cum ipse sciberet, ad Euangelium & Novum Fœdus pertinentia, per Verbum, *idest, per Christum facta fuisse. Sentit præterea, triplici de causâ hæc verba addita; absque eo factum est nihil, quod factum est.*

Socin. pag. 339.

Socin. pag. 340.

Primum, *vt declararet, Christum omnium proximam & immediatam causam non fuisse, sed multa per intermedios Apostolos eße facta; qui munus, potestatem, atque adeo efficaciam, à Deo per ipsum in illos proficiscentem, ista faciendi habuissent.* Secundò ait, *hoc additum, vt indicaret, nihil eorum omnium excipiendum, quæ quocunque modo ad Ecclesiam pertinent.* Tertia causa, *illi privatim pertinet ad illa verba, quod factum est; putat eo declarari, quæ facta illa sint, nimirum inusitata illa mirabilia, atq; divina.* Sũma huc redit, *non agi his verbis de primâ creatione mundi, & rerum omnium; sed de rebus ad Euangelium & regnum cælorum pertinentibus.*

Socin. pag. 341.

Resp. 1. Non leve argumentum est à veritate, hanc glossam Socini deviare à consilio Iohannis, quod fuit, sinceram doctrinam de personâ Christi, adversus pullulantes & enatas hæreses asserere. Consilium autem hoc Iohan. fuisse, probat Ireneus author fide dignus, & antiquitatis summæ; nuncupatus à Tertulliano, *omnium doctrinarum curiosissimus explorator.* Videatur scriptor ille lib.3 .cap.11.

adver-

adversus hæreses: *dicit enim ibi disertè, Iohannem contra omnes illas hæreses, regulam veritatis voluisse constituere in Ecclesiâ; ac propterea eum sic inchoasse in eâ, quæ est secundum Euangelium doctrinâ.* In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, omnia per ipsum facta sunt. *Inter illas autem hæreses nominatim recensetur ea, quâ* λόγος *creator universitatis negabatur.*

Secundum Marcionem, inquit, & eos qui similes sunt ei, neque mundus per eum factus est: secundum Gnosticos, ab angelis: secundum eos qui à Valentino iterum, non per eum factus est, sed per Demiurgum. Nec aliud totius antiquitatis, & eorum omnium, qui ἀυτόπται & ἀυτήκοοι Apostolorum fuerunt, de re totâ judicium. 2. Contra hanc expositionem novam & totam Samosatenicam de Filio Dei, & annexis ejus sententiam, pugnat & hoc: incredibile prorsus esse, Apostolicam & primitivam Ecclesiam, nec non Apostolicos viros, doctrinam Apostolorum de Filio Dei, & annexis ejus, in sensu ex diametro cum vero pugnante apprehendisse: aut si rectè apprehenderunt, ita prorsus perijsse, & in contrariã transijsse; vt nulli fuerint reliqui, qui sententiam illam de creatione novâ & restauratione spirituali, & deificationem illam ex gratiâ defenderint. 3. Non de novâ, sed de primâ cæli & terrę rerumque omniũ creatione agi; firmatur eo, quia agitur de principio Mosaico, cum dicitur *in principio erat verbum,* & non de principio Euangelij: nam contextus indicat, Verbum operatum in principio, vt erat in principio. 4. Fidem hoc facit, Iohannem hisce verbis, de creatione

novâ,

tiovâ, & de ijs rebus, quæ ad erectionem, conservationem & propagationem Ecclesiæ Dei & regni ejus spiritualis spectant, non agere, quia Euangelistæ istius rei in Euangelicâ historiâ nusquam neminerunt. Nec non huic sensui obstat, luculenta horum verborum interpretatio v. 10. *mundus per eum factus est.* Nusquam enim Ecclesiæ ædificatio, isto loquendi genere, aut simili significatur ab Apostolis: ac proinde cum restrictio facienda ad subjectam materiam, vt hîc monet, & pag. 344. multis docet; sequitur, ad primæ creationis opus hæc restringi debere. 5. Hîc non agi de efficacitate Christi, quæ se per Apostolos exeruit, ex eo suadetur, quod scriptores sacri, cum ejus rei meminerunt, solent expressam mentionem facere Apostolorum, vt causarum mediarum & instrumentalium, vt Act. 4. v. 20, 21: Act. 5. v. 12: Act. 19. v. 10. 11: Rom. 15. v. 17: Heb. 2. v. 4. Hisce sic positis, ruit expositio Socini: nec necesse, particulatim ad singula ejus membra quicquam adferre, ne actum agamus.

In firmamentum tertiæ causæ suæ, quâ dixit per verba illa, quod factum est, *intelligi in usitata mirabilia & divina opera Christi, adfert illustrem illum locum ad Rom. 1. v. 20.*

Hunc locum ad Rom. pro magistrali sapientiâ & authoritate suâ, vero suo nitori restituturus Socinus, satis Thrasonicè interpretes & explanatores omnes traducit. Verba ejus sunt. *Sensus enim illius Paulini loci, ab interpretibus & explanatoribus, præterquam à vetere Latino interprete, omnibus, quos ego quidem legerim depravati,*

est, sempiternam virtutem ac divinitatem Dei, quæ posteaquam mundus creatus erat, conspectæ non fuerant, per mirabilia, ad Euangelij prædicationem confirmandam, in eaque promovendâ, divinitus patrata opera, intellectas, & intelligendo conspectas fuisse: continet siquidem Euangelij prædicatio eam Dei sempiternam virtutem ac divinitatem, antea mundo non conspectam, de quâ ibi Apostolus loquitur: id est Dei sempiternum decretum, de hominibus beatâ immortalitate afficiendis, quotquot in Christum crediderint. Est enim, inquit, ut idem Apostolus paulò ante affirmaverat, Euangelium virtus Dei, in salutem omni credenti: itemque in æternum duraturæ divinæ voluntatis, in ijs, quæ ad ipsius Dei cultum pertinent, non adumbrata ostensio quædam, sed solida patefactio: ita θεότητα *ad Col. 2. v. 9. exponit de hac solidâ patefactione.*

Resp. Ita locum hunc, qui consensu omnium de Theologiâ naturali agit, refert ad Theologiam Euangelicam cum suis, & ad Euangelica præcepta, & æternæ vitæ promissum, Christiq; & Apostolorum ejus miracula. Nec aliter Ostorod. cap. prim. Instit. sect. 7. Nullam Theologiã naturalem agnoscit Socinus, nisi cum atheismo conjunctã, sic enim scribere non erubuit prælect. cap. 2. *Quod si tamen volumus Pauli mentem fuisse, ut semper homines Deum quærere possint, dico illum suis verbis explicâsse, quid verè in hominibus naturaliter sit positum, quod ad religionem attinet. In omnibus enim hominibus naturaliter est aliquod justi atque injusti discrimen, aut certè in omnibus hoc situm est, ut cognoscant & fateantur, justum injusto anteponi debere, honestum turpi. Hoc autem*

nihil aliud est, quàm Dei verbum quoddam interius, cui qui obedit, ipsi Deo obedit, etiamsi alioqui ipsum Deum non esse quidem aut sciat aut cogitet. Sed ad rem. Dico ergo hoc novum interpretamentum meram textus corruptionem esse. Do rationes. 1. Extra chorum saltare Faustum, sic interpretãtem, liquet ex scopo Apostoli, qui est, Gentiles & Iudæos peccati & condemnationis reos agere, ac propterea per legẽ & opera nullam ipsis patere viam ad justitiam & vitã. Hoc thema Apostolus tractandum sibi sumit v. 18. primi cap. & multis gravissimis argumẽtis pertractatum concludit tert. cap. v. 10. 20. 2. Non agitur hîc de revelatione iræ Dei super incredulos, sed super peccatores vt sic, & istius iræ revelationem justam esse demõstrat Apostolus, ex concessâ numinis notitiâ Gentibus. 3. Ut Apostolus à v. 18. usq; ad 20. cap. 3. demonstrat Gentiles & Iudæos reos esse peccati & mortis; ita simul istis omnibus vnicè proposuit sibi, necessitatem fidei ad justitiã astruere: minimè ergo Apostolus agit hisce verbis de rejecto per incredulitatem Euangelio: totum enim tractationis negotium concludens ait. *Scimus autem, quæcunq; lex dicit, ijs qui in lege sunt dicere, vt omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi. Propterea ex operibus legis nulla caro justificabitur:* agitur ergo de sententiâ condẽnatoriâ, non Euãgelij sed legis. 4. Agit ibi Apostolus de doctrinâ, quâ ἀναπολόγητοι & condemnationi obnoxij ad vnũ usq; Rom. 2. v. 1. Rõ. 3. v. 9. 10. 11. 12. 19. 20. At si doctrinã fidei respexeris, cui multi ex Iudęis & plurimi ex Gẽtibus obedive-

runt,non sunt ἀναπολόγητοι omnes & condẽnationi obnoxij. Extra oleas ergo vagatur Socinus & θειότης sive θεότης, vt loquitur ad Colos. Apostolus, non Dei voluntatem, sed divinam naturã & essentiam significat; per Deitatẽ enim Deus Deus est, vnum est abstractũ, alterum concretũ.

Socin. pag. 342. Putat hic censor reprehendendos hoc loco sibi eos, *qui præpositionem* à *transformaverunt in* ex, *cum Græcè sit* ἀπὸ; *quod non ex, sed à significat: & non à verbo* conspiciuntur, *quod inferius legitur, sed à nomine* invisibilia, *quod suprà proximè scriptum est, omnino pendere.* Resp. 1. Præpositionem ἀπὸ Græcis etiam interdum notare *ex*, ἀπὸ τῦ ἴσυ Thucid. dixit, pro ἐκ τῦ ἴσυ ex æquo. Ita Xenophon dixit, ἀπὸ πολέμυ βιοτεύειν, ex bello vivere. Nec inusitata in sacris vocis ἀπὸ in eo sensu significatio: ἀπὸ τριχῶν καμήλου, *è pilis cameli* Mat. 3. v. 4: ἀπὸ τῶν καρπῶν *ex fructibus*: Mat. 7. v. 16. *Iesus egressus* ἀπὸ τῆς οἰκίας: Mat. 13. v. 1: & *egressus Iesus* ἐπορεύετο ἀπὸ τῦ ἱερῦ: Mat. 24. v. 1: *statim ascendens ex aquâ* ἀπὸ τῦ ὕδατος: Marc. 1. v. 10. πώρωσις ἀπὸ μέρυς, *obduratio ex parte*: Rom. 11. v. 25: nec aliter 2. Cor. 2. v. 5: 2. Cor. 11. v. 9. 2. Retineatur vsitata maximè significatio præpositionis ἀπὸ, vt Beza hîc retinuit, & Ioh. Drus. cum eo; qui mavult hîc legi, à creaturâ mũdi, vt idem sit cum illo, à condito mundo, vt Latini dicunt, ab vrbe cõditâ; cui tamẽ Drusio vox Græca ambigua est, vt quæ verti etiã posset, ex creatione mundi: idem inquã tamen sensus hic efficietur, Deum nẽpe se luculenter semper, in rebus à se conditis, ab ipsâ mũdi origine, hominibus conspiciendum præbuisse. Hæc de tertiâ exceptione dicta sunto.

Drus. præteritorum lib. sexto.

Quar-

Quartò excipit contra illustrationem & confirmationem argumenti ex v. tertio hujus capitis desumti, petitam ex v. 10. *In mundo erat, & mundus per eum factus est : sed mundus eum non agnovit.* Primò ait, *nihil vetare, quominus de re diversâ vtrobique agatur, & in priore testimonio nihil dicatur de mundi creatione, etiamsi in posteriori de eâ ageretur, imò verisimile esse, si in posteriore de eâ agitur, in priore aliâ de re actum fuisse.* Resp. Hoc frivolum est : collatio rerum, de quibus in vtroque loco, indicat agi de eadem re : rem enim eandem, nunc proponi, nunc illustrari, nunc repeti certis de causis, valde vsitatum est. Secundò ait, *verba prioris testimonij non ita à se accipi, ac si Iohannes dixisset, omnia per ipsum renovata sunt, sed propriè se accipere verba illa,* facta sunt, *vocem autem,* omnia, *non quidem mundum, sed omnia mirabilia ac divina opera, ad novum fœdus pertinentia, ipsi significare; si tamen de renovatione mundi in ijs agi concesserit, id quod ad se attinet, ex accidente esse.* Resp. pag. 340. alteram caussam exponens, cur Iohannes ista verba addiderit, *& sine ipso factum est nihil quod factum est:* dixit Iohannem ijs voluisse persuasissimum nobis esse, Christum omniū, quæ quocunq; modo ad ipsius Ecclesiam pertinent, curā gerere; quibus sanè rebus nova creatio seu renovatio continetur. 2. Illud facere Christi, de quo Iohannis verba v. 10. exponit, idem est ipsi, quod de novo creare & renovare: ergo si sibi cōstare velit, negare non potest, se in ijs de renovatione agere. *Socin. pag. 345.*

His missis, accingit se ad pleniorem hujus loci excussionem & sententiam Orthodoxam, de

creatione primâ mundi hujus aſpectabilis per ſermonem Dei, ijs, quibus poteſt, machinis convellere nititur. Ad evertendam autem orthodoxam de hoc loco ſententiam, duo agit. Primò refellit ratiocinationem Bellarmini ex hoc loco ductam. Secundò ſentētiam ſuam Samoſatenicam in medium producit. Bellarmini ex hoc loco ratiocinatio ſic habet. Hîc habemus, eum mundum factum eſſe per Chriſtum, qui Chriſtum non cognovit. At ſi effectio mundi non eſſet creatio, ſed renovatio, falſum eſſet illud, *mundus eum non cognovit*, cum renovatio fiat per fidem & cognitionem Chriſti; hanc Bellarmini argumentationem putat duo pro conceſſis ſumere, quæ falſa vel controverſa ſunt pag. 349.

Primum eſt *eum mundum factum eſſe per Chriſtum, qui Chriſtum non cognovit*. Huic theſi Bellarminianæ, hoc ſibi argumentum opponendum duxit pag. 347. *Si mundus per Chriſtum factus eſt ſubſtantia cœli & terræ; tum mundus per Chriſtum factus, non eſt is, qui eum non cognovit*: at quia facile videbat poſitionem iſtam, ex mente Bellarmini, non rectè proponi, eâ ratione corrigit & ſupplet poſtea hoc pacto: *quod ſi dicat, ea ſimul omnia intelligere, quæ ipſis continentur, & inter hæc præcipuè omnes homines, conſequenter etiam impios, ſed non quatenus ſunt impij: qui quatenus ſunt homines, à Chriſto ſint facti: quatenus verò ſunt impij, Chriſtum non cognoverunt.* At inſtat *locutionem tum improprijſſimam eſſe, dicere eum mundum factum eſſe per Chriſtum, qui eum non cognovit: ſić enim non quidem mundus*

Socin. pag. 347.

per

per Christum factus, sed pars ejus quædam Christum non cognovisse dicenda est. Verùm respondetur, quamvis id, quod convenit parti, idcirco toti non conveniat, nisi secundum quid; vsitatissimum tamen esse, partium affectiones de toto prædicari. Non enim ille improprijssimè loquitur, qui dicit hominem ægrotare; quia pars aliqua in homine tantùm laborat: hominem videre, quia videt oculus tantùm; aut audire, intelligere, quia auris tantùm audit, intellectus intelligit. Mundus ergo totus, secundum totum sui factus est: mundus eum non agnovit, secundum partem sui, eam nempe, cujus erat eum agnoscere. Hi modi prædicandi non inusitati in sacris. Math. 3. vers. 5, dicitur *Hierosolyma exivisse*, sine dubio tamen pars ejus, non tota exivit: locutio, huic controversæ aliquatenus similis, extat hoc ipso loco vers. 11. *ad sua venit, & sui eum non exceperunt:* non omnes, ad quos venit, Deum rejecerunt, sed pars maxima: ita 1. Iohan. 5. vers. 19: Marc. 15. vers. 32. Denique ipso Socino teste pag. 355. cum mundus eum non cognovisse dicitur, id rectè dicitur, ratione partis maximæ.

Pergit dicens. *Ex hoc ipso manifestum est, diversâ admodum significatione accipi vocem* mundi, *à Bellarmino in Iohannis verbis.* Resp. Quàm rectè hoc inferatur, jam vidimus: quapropter etiam non est necesse, hîc amplius respondere ad consectarium ejus, quod ex præsuppositâ diversâ significatione vocis mundi trahit, pro duplici suâ significatione vocis Deus, vers. primo hujus capitis, vbi rursum articulus

Socin. pag. 348.

illi in acie; quod prima vox Deus cum articulo; altera ſine articulo; vox mundi hîc vtrobique articulum habeat appoſitum. Interea tamen animadvertere hîc libet non nihil, ad id quod dicit, Chriſtum divinitate ſuâ jam reipſâ aliquatenus fuiſſe præditum, cum ſcilicet Baptiſta inciperet prædicare. Dic ſodes mî homo, quæ illa divinitas? non ratione immortalitatis Deus; non ratione regni: non potentiæ, non ratione miraculorum patrandorum; non ratione ſapientiæ Euangelicę, à quâ quod *Sermo Dei*, nondum enim in cœlos aſcenderat: reſtat ergo juſtitia & ſanctitas, ſecundum quam jam tum actu Deus erat: illa autem divinitas non poteſt cenſeri communicata, cum juſtitia non Dei donum ſit, ſed liberi arbitrij peculium, ſi Socini Pelagianiſmo fides. Et qualis quæſo Deus, quo major revera Deus, tum temporis Iohannes Baptiſta; aut ſaltem æqualis ſecundum hanc ſententiam: nam præter juſtitiam & ſanctitatem non vulgarem, erat jam actu magnus: Prophetis major: lucerna ardens: parans vias Dei. Nec dij minores angeli, qui prorſus ſancti & inculpati nulloque peccati vitio contaminati.

Poſtquam verò primam Bellarminianæ argumentationis poſitionem diſcuſſit, quantum ſatis ipſi viſum: ſuam ſententiam promit, & in fine cap. relabitur ad alteram Bellarminianæ argumentationis theſin: illam nos hoc loco, quia ſeries rerum & tractationis ordo ſic poſtulat, examinabimus. Syllogiſmus in formam redactus ſic habet. *Mundus, qui dicitur hîc factus per Chriſtum, Chriſtum non agnovit. At renovatus*

mun-

mundus agnovit: renovatus ergo mundus, non est mundus, qui hîc dicitur factus per Christum. Hoc argumentum eludit Socinus, negatione minoris: existimat ille, *renovationem esse actum renovandi, non verò actum cum ejusdem apotelesmate, eo sensu hoc dici, quo Christus dicitur servator mundi: illuminans omnem hominem, vitam dare mundo, esse servatorem, illuminantem, vitam dantem, quantum est in se: ratione maximæ partis, ea sine apotelesmate esse: efficiendi ergo vis, non effectus ipse, consilium non eventus illi declaratur. Hæc summa est Socinianæ dissertationis,* Socin. pag. 354. 355.

Resp. Nõ est animus hîc ingredi in controversias illas de decretis Dei, gratiâ, arbitrio humano, & annexis, in quibus proh dolor! seculi nostri infœlicitas, Pelagianismi & Semipelagianismi recidivatum passa est: sufficiet hoc loco, ad incidendum Socinianæ dissertationis nervum, commonstrare, quicquid interim de alijs sit, hoc ioco obstare rationem isti sensui, eamque duplicem. 1. Sumitur ex communi & recepto verbi *factum esse* vsu. 2. Ex vsu vocis renovationis. Quod ad vocem ἐγένετο attinet, dico semper actum cum eventu & apotelesmate notare, nunquam legimus factum esse, id cujus faciendi tantùm vis fuit, aut consilium & conatus inefficax: proferatur vel vnus locus è multis in contrarium. Secundò non dicitur etiam in sacris renovatus esse, qui non est cum apotelesmate renovatus: Rom. 21. v. 2: Tit. 3. v. 5: Col. 3. v. 10: Paulo novus homo est, qui actu & re novus est, qui potuit esse, non est tamen, nusquam. Cum ergo legitur, per *Verbum*

factus esse mundus, intelligendum hoc cum apotelesmate; consequenter de creatione primâ: pro quo sensu, præter rationes jam expositas, ipsa vox faciendi militat, quæ nunquam vsurpatur de creatione novâ.

Objicit Socinus. *Non sine causâ multis ex nostris hominibus visum fuit, verbum faciendi renovationem significare posse, juxta Hebræorum idiotismum, qui cum verba composita non habeant, haud rarò simplicibus pro compositis vtuntur, vt hîc factus est, idem sit ac refectus est, vt ita loquar, id est denuo factus, seu renovatus & instauratus.* Resp. 1. Johannem hunc Hebræorum idiotismum secutum hîc, vana conjectura est. 2. Hellenismus compositis abundat, quibus frequenter vsi Apostoli. Accedit, quod in hoc argumenti genere, compositis solet vti Scriptura sacra Mat. 19. vers. 28: 1. Pet. 1. vers. 3. & 23, vbi de regeneratione sermo est. Simplici verbo, in colloquio cum Nicodemo, salvator est vsus, sed adjecit indubitatas secundæ generationis notas, ἄνωθεν & πνεύματος. Sic vsus Apostolus voce renovandi: simplice quidem creandi vsus voce, sed adijciuntur passim ea, quibus satis indicatur, de secūdâ creatione verba fieri. Eph. 2. v. 10. 15. cap. 4. v. 24. Col. 3. v. 10. 2. Cor. 5. v. 17. Gal. 6. v. 15.

Triplicem sensum Socinus hîc comminiscitur, pro ternario numero vocis mundi. In uno fuisse ait: alterum per ipsum factum esse: tertium eum non cognouisse.

Socin. pag. 349. *Mundus in quo erat, ait fuisse hanc hominum communi-*

communionem : hanc ſignificationem vocis mundi frequentem eſſe. Ad quod reſpondetur, hoc quidem eſse verum, interea tamen mundi ſignificatum hoc loco ita coarctandum non eſse: nam in mundo eſse ſimpliciter ſignificat, in mundo hoc aſpectabili eſse: ſic ſuprà dixit Johannes, illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum.

Secundò, *ſi verbum, fieri, hîc non renovari, ſed primò effici ſignificat, tum mundum eſſe illud ſeculum futurum nobis, quod jam Chriſto eſt præſens, & in quod, ipſius obedientiâ atque morte conditum, ille jam introductus eſt: in quo vnà cum ipſo immortales ac beati erimus in perpetuum omnes, quotquot ipſius eſſe inventi fuerimus, id eſt in ipſum crediderimus. Hoc præſens ſeculum, id eſt hanc vivendi rationem animalem & mortalem, mundum in ſacris literis appellari Ioh.17.verſ.5:* Non rogo, vt tollas eos de mundo, *nihil mirum igitur eſſe, ſi ſimiliter futurum ſeculum, id eſt, ratio illa vivendi ſpiritualis & æterna. mundus appelletur à ſacris ſcriptoribus. Petrum Sam. novos cœlos & terram novam vocare: autorem Epiſtolæ ad Hebræos orbem terræ futurum.* Socin. pag. 350.

Reſp. 1. Mundi vocem æternam & immortalem vivendi rationem notare, nullo idoneo exemplo probatur: Petrus non mundum nominavit, ſed novam terram novoſque cœlos, & autor ad Hebræos orbem futurum dixit. 2. Dico ne in hiſce quidem locis hæc formaliter idem valere, quod æterna vita: probatur, nã novi cœli & nova terra, quos ſecundum promiſsionem

exſpectamus, quos Petrus cœlo & terræ perituris oppoſuit; ex lege contrariorum, non ſunt ipſa æterna vita, propriè loquendo, ſed æternæ vitæ locus ſignificatus ſit. Mundus ille futurus, de quo loquitur Apoſtolus ad Hebręos, ſi exponatur, Eccleſia, quæ virtute Chriſti ad dexteram Dei collocati condenda erat, commodiſſima expoſitio erit, & adhortationi, ab Apoſtolo in antecedentibus factæ, valde congrua: per iſtam enim admirabilem reformationem, & regni Satanici deſtructionem, divinâ Chriſti Domini virtute potentiſſimè inſtitutam, nova forma inducta mundo: de ſolâ æternâ vitâ agi, nec antecedentia, nec conſequentia indicant. 3. Vitam mortalem nomine mundi venire Ioh. 17. verſ. 5. dicitur à Socino, non probatur: qui tollitur è mundo, ei regulariter quidem adimitur vita animalis; non tamen per exiſtentiam in mundo, formaliter exprimitur ipſa animalis vita: nihil enim prohiberet, hominem tolli ex hoc mundo, & tamen hanc mortalem vitam illi non adimi. Nam etiam, ſi Socino credimus, Chriſtus è mundo per aſcenſionem ſuam tranſlatus eſt, cum nondum revera immortalis eſſet: Enoch & Elias ſublati, mortales tamen erant, cum tollerentur è mundo. 4. Beatum illud futuræ vitę ſeculum non intelligi ſuadet & illa ratio, quod illud ſeculum non factum, ſed futurum ſemper dicatur. Mat. 12. v. 32: Luc. 18. v. 30: Luc. 20. v. 35: Eph. 1. v. 21: Heb. 6. v. 5. 5. Etiamſi mundus alicubi vitam æternam notaret, & expoſitio, abſolute ſumta, veriſsima eſſet; falſa tamen relata ad hunc locum. Confirmatur

matur. 1. Quia is mundus per Christum hoc loco factus dicitur, in quo mundo erat: aut quidlibet ex quolibet fingere promtum erit, aut hoc agnoscendum. 2. Is mundus factus per eum, qui non agnovit eum, nam hisce verbis simul ostenditur istius ingratitudinis indignitas, quàm indecorum sit, mundum non agnovisse Christum, qui Christo tamen acceptum referre debet, quod sit. 3. Expositionem nostram germanam esse; Socini verò adulterinam, verba vers. 11. sequentia demonstrant; vbi dicitur, ad sua venit, pro eo quod dixit, mundus per eum factus est. Et sane aut intelligi noluit Iohannes, & affectavit illud Heracliti σκότισον; aut sensus ille Socini fictitius.

Unicus est locus quem vehementer urget, ad Heb. 10. v. 5. Verba ejus sunt, *nō posse referri hæc ad ingreßum Christi in hunc mundum, sed oportere de ingressu Christi, in alium quenquā mundum in illis agi, in quē videlicet simul atq; Christus ingressus est; imò cum in illum ingrederetur, suum sacrificium & oblationem fecerit. Iam præterquam, quod Christus præter mundum hunc quem incolimus, in nullum alium ingressus fuisse dici potest, nisi in futurum illum, quem nobis, vt diximus suâ obedientiâ peperit ac condidit; in illum etiam ingrediens, revera sui corporis oblationem fecit, quæ licet semel facta fuerit, necesse est tamen illam in perpetuum durare, non quidem vim modo & efficaciam ipsius, alioqui nec Christus eßet sacerdos in æternum, nec quicquam nunc in cœlis offerret, adversus id, quod in eâdem epistolâ expreßè docemur, aut non vnam tantùm ejus oblationem esse oporteret, quod & toti illi* Socin. pag. 351.

illi epistolæ, & rationi manifestæ adversatur, cùm hîc de expiatoriâ pro nostris peccatis oblatione agatur, quæ non nisi vna esse potest.

Resp. 1. Non pugnare cum horum verborum veritate, interstitium aliquod temporis intercessisse inter ingressum in mundum, & oblationem expiatoriam Christi. Christus enim dicit, ad hoc natus sum, & in mundum veni, vt testimonium dem veritati. 2. Vehementer miror, quod dicat Christum in nullũ alium mundum ingressum, præterquam in futurum illum: cum Christus nõ futurum illum, sed præsentem hunc intellexerit, cũ diceret, ad hoc natus sum, & in mundum veni, Apostolus non illum futurum, sed præsentem hunc intelligit. 1. Tim. 1. v. 15: Imò cum toties legatur in mundum venisse Christus, semper hic præsens, nunquã ille Socini intelligitur. 3. Oblationem Christi, non vi modo; sed actu & existentiâ reali perpetuam esse, aut Christum se adhuc offerre, non scripsit author ad Hebræos, & nunquam de oblatione Christi, vt adhuc durãte, & in pręsenti, sed semper de eâ vt præteritâ loquitur: non vixisse dicimus qui vivit adhuc, sed vivere: res enim quamdiu sunt, etsi fuerunt antea, plerunq; verbis temporis præsentis enuntiari solent. Christus nõ offerre legitur, sed *hoc fecisse semel.* Heb. 7. v. 7. *Christus semel oblatus est*, Heb. 9. v. 28. *Non amplius oblatio pro peccato*, Heb. 10. v. 8. *Oblatio corporis Iesu Christi facta semel. Unicâ pro peccatis oblatâ victimâ*, Heb. 10. v. 12: Hęc sane non ingerunt rem pręsentem, sed præteritę memoriam. Dices, vna, non multiplex oblatio;

actus

actus enim non interruptus, sed continuatus, vnus actus est. Resp. Hoc quidem verum est; sed tum ille non præteritus, sed præsens diceretur; scriptor autem ad Hebræos testatum nobis fecit, Christo quotidianam oblationem, ad expiationem peccatorum nostrorum, necessariam non esse, ad exemplum sacerdotum legalium, Heb. 7. v. 27: hoc si verum est, vt profecto est; nec continuata oblatio necessaria illi erit: nemo enim magis offert quotidie, quàm qui offert perpetuò: si verò non opus habet perpetuò offerre, non offert; sublatâ enim oblationis necessitate, cessat oblatio, ex vi argumentationis ab Apostolo ibi factæ. Hanc non continuari, sed ita semel esse factam, vt jam desierit fieri, idem testatum nobis fecit, cum dicit vers. 12. 13 cap. 10: *Hic verò vnâ pro peccatis oblatâ victimâ, in perpetuum consedit ad dextram Dei*: quæ verba, etsi structura orationis; vel ad θυσίαν vel ad ἐκάθισεν referri patiatur; convenientiùs tamen ad θυσίαν referuntur: nam eò sunt relata v. 14, idque ex scopo Apostoli v. 17. Hîc Apostolus, non oblationem ipsam, sed vim tantùm ejus perpetuam esse asserit, contra quàm Socinus, qui oblationis efficaciam non magis perpetuam, quàm oblationem ipsam existimat, nec offerre dicitur, sed *de cætero exspectare* vers. 13: cessavit ergo oblationis actus; nam offerre εἰς τὸ διηνεκὲς, sacerdotum legalium est. 4. Dato, oblationis actû perpetuum esse, non inde tamen sequeretur hoc loco, de actu illo oblationis agi. 5. Perpetua oblatio non est necessaria ad æternum sacerdotium, nec Pontifex noster docetur habere

per-

perpetuum ſacerdotium, vt offerat perpetuo, ſed vt interpellet: quæ interpellatio, quia perpetuò durat, non facta, nec facta ſemel, ſed fieri dicitur.

Socin. pag. 352. Obijcit pro perpetuâ oblatione Heb. 8. v. 3. 4. Reſp. In loco illo, non doceri oblationem perpetuam eſſe. Inſtat ibidem amplius, *oblationem expiatoriam pro peccatis noſtris, præſentatione ſui ipſius coram Deo in cœlo, ſeu pro nobis ibi, in Dei conſpectu apparitione, quæ perpetuò durat, omnino contineri.* Reſp. Apparitionem perpetuam in Dei conſpectu, oblationem expiatoriam pro peccatis noſtris eſse, non eſt ſcriptum ad Heb.: potius illa interpellationis perpetuę fundamentum eſt: nec ſi cœlum ingrediens, & coram Dei facie apparens, obtulit ad exemplum ſacerdotis ſummi Heb. 9. v. 7. ſequitur apparitionem illam in cœleſti ſanctuario, in eundem finem continuari.

Obnititur aliâ adhuc ratione, oblationem expiatoriam in terris non fuiſſe factam. Sed egregiè hanc refellit Grotius in erudito ſuo ſctipto, de ſatisfactione Jeſu Chriſti, pag. 154, 155, 156.

Poſtremò argumentatur ex voce κατηρτίσω quod eſt, inquit, *Deum ipſi aptaviſſe corpus, perfeciße, abſolutum reddidiſſe, concinnâße, & ad id quod quærebatur, aptum & accommodatum feciſſe, quod nihil aliud eſt, inquit, quam Chriſti corpus, quod prius mortale erat, immortale à Deo factum fuiße, hoc enim inquit ſignificatur verbo Græco* κατηρτίσω *quod ibi redditum eſt* aptâſti; *non autem connexio, aut applicatio aliqua, quemadmo-*

dum

dum pleriq; crediderunt, isto Latino verbo decepti, quod istud significare potest, & ad commentitiam illam Filij Dei (quam vocant) incarnationem retulerunt.

Resp. Expositio illa, referens hoc ad ipsam immortalitatis collationem per glorificationem, tam facilè reijcitur, quàm adfertur, nam καταρτίζειν est, vel componere, perficere, & absolvere rem, vel concinnè aptare: vtraque significatio ad incarnationem est accommodatissima. 2. Christi corpus, quà immortale & glorificatum, non est oblatio pro peccatis nostris; sed quà crucifixum & mortuum: corpus Christi, ratione sanguinis effusi, nos expiat & mundat Heb.9. v.14: *per proprium sanguinem ingressus* v.12. Vide Colos.1. v.22: 1.Pet.2. v.24. & Apostolus conclusiones consolatione plenas deducens, ex expiatoriâ oblatione corporis Christi, dicit nos habere *libertatem ingrediendi in sacrarium, per sanguinem Iesu,* Heb.10. v.19. & *viam recentem & vivam per velum*, quod non corpus immortale; sed caro, quę Socino non est corporis immortalis.

Ex his omnibus efficitur, nullo modo adversarium planum fecisse, mundi simplici appellatione, futurum illud immortale seculum significari, & sanè si futurum quid significâsset, non ipsam immortalitatem, sed ejus locum significaret, quem Apostolus hîc nomine sacrarij, non manufacti, aut cœlorum voce appellat. Nec sequitur, si mundus hic est æterna vita, à Iohanne in eodem sensu acceptum esse.

CAP. XIV. Tertiæ Claſſis argum.

De loco ad Coloſſ. cap. 1. v. 16. 17.

ARgumentum hujus loci, ad formam ſyllogiſticam reductum, ſic habet. *Per quem omnia, tam cæleſtia, quàm terreſtria ſunt condita, ille non eſt creatura; ſed Deus ille vnus & verus cum Patre creatore omnium. At per Christum condita ſunt omnia, tam cæleſtia, quam terreſtria: ergo.* Reſponſio Socini ad hoc decimum quartum argumentum bimembris eſt. Primò majorem propoſitionem falſitatis arguit: ſecundò argumenta Bellarmini, pro expoſitione Orthodoxâ ſubvertere tentat. Primâ reſponſionis parte majorem duplici nomine falſitatis arguit. Primò, *quia in hujuſmodi, quantumvis univerſalibus locutionibus, ſemper excipitur is, de quo ipſa vniverſalis enuntiatio effertur.* Verùm ad hoc reſpondetur, id ſuprâ examinatum eſſe. pag. 174. 175. ad quem locum lectorem remitto.

Socin. pag. 358.

Secundò ait, *nullo modo ſic inferendum fuiſſe, cum Chriſtus hîc dicatur primogenitus, quod oſtendit eum omnino creaturam eſſe: juxta perpetuum enim ſacrarum literarum vſum, primogenitum eſſe, ex numero eorum, quorum eſt primogenitus: conſequenter, Christum vt creaturam, creaturas omnes alias tempore anteceſſiſſe, ac proinde non ad creationem primam, ſed ad creationem ſecundam referendum eſſe.* Hæc ſumma exceptionis eſt.

Reſpondetur, totam hujus argumentationis vim conſiſtere in ſignificatione vocis primogeniti;

niti; quam affirmat quidem adversarius, ad alios relatam, denotare primogenitum esse ex eorum numero, quorum est primogenitus; at minimè probat; imò si huic ratio cinationi Socinianę locus detur, concludetur contrarium ejus, quod Apostolus intelligi voluit, cum Dominum nostrum primogenitum omnis creaturæ dixit: nam hoc tam illustre de Christo testimonium, & alia multa, quæ hîc adfert Apostolus, eò collimant omnia, vt commonstretur, Christum omnibus creaturis præcellere, & ab ijsdem distingui; ac propterea, si quis hujus præconij dignitatem, prout decet, tueri velit, dicendum erit, Apostolum eo dicto Christum disertè rerũ creatarum ordine exemisse. Sic cum scriptor ille ad Hebr. 1. primogenitum eum dixit, contra istius scriptoris scopum inferret illi, qui Christum statueret esse ex eorum numero, quorum primogenitus est. Ad illustrationem allatæ à se expositionis, ait, eodem sensu vocari eundem Christum ἀρχὴν τῆς κτίσεως τοῦ θεοῦ: hoc adversario est, Deum in creando initium à Christo fecisse. Ad quod respondeo, 1. Socinum niti suppositione minimè verâ & certâ, nam alijs ejusdem locis Apocalypsis, in quibus ἀρχὴ & τέλος dicitur, vt Apocal. 1. vers. 8: & cap. 22. vers. 13, non convenit hæc expositio principij, nec huic etiam loco; nam hoc per se sumtum, parum aut nihil facit, ad dignitatem & authoritatem Christi commendandam, quod à Christo novæ creationis initium factum: ac propterea hoc principium non est principium ordinis, sed principium

 causæ,

CAP. XIV. Tertiæ Classis argum.

De loco ad Coloss. cap. 1. v. 16. 17.

ARgumentum hujus loci, ad formam syllogisticam reductum, sic habet. *Per quem omnia, tam cælestia, quàm terrestria sunt condita, ille non est creatura; sed Deus ille unus & verus cum Patre creatore omnium. At per Christum condita sunt omnia, tam cælestia, quam terrestria: ergo.* Responsio Socini ad hoc decimum quartum argumentum bimembris est. Primò majorem propositionem falsitatis arguit: secundò argumenta Bellarmini, pro expositione Orthodoxâ subvertere tentat. Primâ responsionis parte majorem duplici nomine falsitatis arguit. Primò, *quia in hujusmodi, quantumvis universalibus locutionibus, semper excipitur is, de quo ipsa universalis enuntiatio effertur.* Verùm ad hoc respondetur, id suprà examinatum esse. pag. 174. 175. ad quem locum lectorem remitto.

Socin. pag. 358.

Secundò ait, *nullo modo sic inferendum fuisse, cum Christus hîc dicatur primogenitus, quod ostendit eum omnino creaturam esse: juxta perpetuum enim sacrarum literarum usum, primogenitum esse, ex numero eorum, quorum est primogenitus: consequenter, Christum ut creaturam, creaturas omnes alias tempore antecessisse, ac proinde non ad creationem primam, sed ad creationem secundam referendum esse.* Hæc summa exceptionis est.

Respondetur, totam hujus argumentationis vim consistere in significatione vocis primogeniti;

niti; quam affirmat quidem adverſarius, ad alios relatam, denotare primogenitum eſſe ex eorum numero, quorum eſt primogenitus; at minimè probat; imò ſi huic ratio cinationi Socinianę locus detur, concludetur contrarium ejus, quod Apoſtolus intelligi voluit, cum Dominum noſtrum primogenitum omnis creaturæ dixit: nam hoc tam illuſtre de Chriſto teſtimonium, & alia multa, quæ hîc adfert Apoſtolus, eò collimant omnia, vt commonſtretur, Chriſtum omnibus creaturis præcellere, & ab ijſdem diſtingui; ac propterea, ſi quis hujus præconij dignitatem, prout decet, tueri velit, dicendum erit, Apoſtolum eo dicto Chriſtum diſertè rerũ creatarum ordine exemiſſe. Sic cum ſcriptor ille ad Hebr. 1. primogenitum eum dixit, contra iſtius ſcriptoris ſcopum inferret illi, qui Chriſtum ſtatueret eſſe ex eorum numero, quorum primogenitus eſt. Ad illuſtrationem allatæ à ſe expoſitionis, ait, eodem ſenſu vocari eundem Chriſtum ἀρχὴν τῆς κτίσεως τοῦ θεοῦ: hoc adverſario eſt, Deum in creando initium à Chriſto feciſſe. Ad quod reſpondeo, 1. Socinum niti ſuppoſitione minimè verâ & certâ, nam alijs ejuſdem locis Apocalypſis, in quibus ἀρχὴ & τέλος dicitur, vt Apocal. 1. verſ. 8: & cap. 22. verſ. 13, non convenit hæc expoſitio principij, nec huic etiam loco; nam hoc per ſe ſumtum, parum aut nihil facit, ad dignitatem & authoritatem Chriſti commendandam, quod à Chriſto novæ creationis initium factum: ac propterea hoc principium non eſt principium ordinis, ſed principium

causæ, πάντα γὰρ τὰ ἄιτια ἀρχαὶ, vt docet Aristoteles 1.cap. lib.4. Metaphysic. 2. Inconsequens est hęc argumentatio, à loco Apocalypsis, ad locum hunc ad Colossens; quis enim, si vel leviter textum verborum Apostoli introspexerit, falsam non deprehendet sententiam illam, & menti Apostoli planè contrariam, initium generationis & creationis rerum omnium à Christo fuisse factum?

Post hæc accedit ad argumenta, quibus Bellarm. tentat persuadere (vt ipse loquitur) necesse esse, vt hic locus de primâ creatione accipiatur. Primò obijcit Bellarminus Transylvanorum expositioni, vnanimem omnium interpretum consensum (uno Procopio in Genesin scribente excepto) in hoc loco, de primâ creatione intelligendo: hunc Procopium ait Bellarm. meliorem Rhetorem quàm Theologum, & Epistolam hanc non interpretari, sed obiter, cum scriberet in Genesin, allegâsse ad suum propositum vnam sententiam ex hâc Epistolâ, non respicientem ad præcedentia & sequentia.

Hanc objectionem sibi suisque obijci, ridiculum existimat Socinus, cum ipse cum suis ingenuè profiteatur, sententiam suam de naturâ & essentiâ Christi, adversari omnibus Scripturę interpretibus, quorum scripta ad nos pervenerũt. In quo liceat amplam & nimiam Socini liberalitatem mirari, qui alibi scripsit, *se cum suis persuasum esse, scriptores ante Concilium Nicanum, qui hodie extant, non minus, imò magis nostra, quam sua sententia repugnare. Quin etiam Patres illos quod ad sententiam illam de vno illo Deo, quod*

Socin. pag. 477.

vidilicet

videlicet is nullus alius ſit, præter Ieſu Chriſti Patrem, prorſus cum ipſis facere. Quod ad Procopij authoritatem attinet, ejus in reipsâ diſſenſum, & in Paulini loci interpretatione conſenſum, hoc pondus addere authoritati exiſtimat. Verùm reſpondetur, authoritatem unius interpretis parum faciendam, qui ex non ſatis attentâ inſpectione loci, attulit ſententiam à loco alienam, ideoque in reipsâ diſſentire & interpretatione ἀκυρολόγως prolatâ, conſentire, hoc ſanè non pondus authoritati addit, ſed eandem non parum elevat. Deinde Procopius in initio integrum locū pro primâ creatione adduxit. Et poteſt etiam reſponderi, alteram hanc loci ad Col. explicationē, eum ex aliorum opinione attuliſſe. Verba enim ejus ſunt, *citant etiam teſtimoniū eorum, qui dicunt, omnia per ipſum condita ſunt in cælo & in terrâ, id eſt renovata & in integrū reſtituta.*

Secundò ſentit Bellarm. verba illa, *per eum condita omnia*, impertinenter adduci, ſi de creatione novâ ſumantur; poſito quod antecedentia, *primogenitus omnis creaturæ*, de vetere intelligantur, vt oportet fieri. At hæc negat Socinus, qui antecedentia de creaturâ novâ, & hęc verba, *per eum cōdita ſunt omnia*, de creatione novâ accipit. Poſt hæc totius loci paraphraſin adfert, contra Bellarm. ad totius ſanè loci corruptionem: & quomodo hæc creatio & pacificatio ad angelos pertineat, explicat: de quâ re totâ jam videndū.

Sententia ergo Socini, de hoc toto loco pag. 363. 364, propoſita, huc recidit. Creationem hanc, vel vniverſalem reformationem, duas habere partes præcipuas: unam eſſe, dominium

Christi super angelos, & Ecclesiam vniversam in terris militantem: alteram esse earundem rerum inter se conjunctionem, atque erga Deum inter se reconciliationem & concordiam. Eodem modo hunc locum exposuit, in disputatione, de vnigeniti Filij Dei existentiâ, contra Erasmum Iohan.pag.153.

Totam vero Socini interpretationem, duram, alienam, distortam esse, hisce ostendo rationibus. 1. Insolens est in sacris, creationem novam, per Dominium Christi super angelos, & Ecclesiam vniversam exponere: nusquam enim, vbi extra controversiam de creatione novâ agitur, ista Christi super res omnes dominatio indicatur creatione novâ. 2. Iuxta stylum loquendi, in sacris vsurpatum, pacificatio per sanguinem crucis Domini nostri Iesu Christi, non est novâ creatio, nec in totum, nec ex parte; etsi beneficium sit indivulso nixu cum ipsâ pacificatione cohęrens. 3. Creatio illa nova, talem mutationem singularem rebus per eam creatis infert, vt illa in angelos non cadat: peccati enim vetustatem & dominium supponit, in eo qui creatur: quam peccati vetustatem & dominium, in electos angelos, qui nunquam peccaverunt, non cadere, res est extra controversiam posita: novitas enim illa, quæ per creationem novam inducitur, vetustati opponitur, & inhærenti pravitati; ac propterea dicimur, *conditi in Christo Iesu, ad bona opera.* Eph.2. vers.10. *Et deposito vetere illo homine, jubemur induere novum hominem, qui secundum Deum conditus, in justitiâ*

ſtitiâ & ſanctitate veritatis. Col.3. verſ.9. 10. Nova illa creatio, eſt neceſſaria ad vitam æternam conſequendam, Gal.6. verſ. 16. Angelis electis ad hoc non eſt neceſſaria. Novam creaturam ſtatuit Apoſtolus Paulus eum, qui eſt in Chriſto. 2.Cor.5. verſ.17: at qui in Chriſto eſt, per fidem & Spiritum Chriſto adunatur, quod non eſt angelorum. Multum ergo fallitur Socinus pag.365: cum ſcribit, *angelos ipſos per Chriſtum reformatos dici poſſe (hoc eſt creatos) citra vllam conſiderationem, quod peccaverint, & veteres per peccatum facti fuerint.* 4. Abſurdum oportet haberi expoſitionem illam; ex quâ ſequitur, cælum, terram, creaturas prorſus omnes, quin etiam diabolos & impios creaturas novas eſſe, ſeu illa omnia novâ creatione per Chriſtum creata eſſe: at hoc ſequitur ex Socinian. expoſitione. Ergo. Verba Smalcij ſunt lib. de divinitate Ieſu Chriſti cap.16. de regno Chriſti ſuper angelos. *Tam latè patet regnum Chriſti, quàm latè patent omnes cæli, & omnis terra, & nihil eſt omnium, in omnibus cælis, & in omni terrâ, cujus poteſtatem & quidem abſolutam atque perfectam, non habeat Ieſus Chriſtus.* Rurſum cap.19. de regno Chriſti in terrâ. *Hoc autem Chriſti regnum, quod in mundo ſive in terrâ habet, extenditur tam in ipſos homines, quàm in omnia alia, quæ ſunt extra hominem, à Deo creata in hoc mundo, adeoque in ipſum mare, & in omnia, quæ in eo ſunt.* Idem rurſus in fine cap.21, in quo agit de reliquis divinis regni Chriſti in terrâ effectis, *Chriſto ait ita ſubjecta omnia, vt quandocunque velit*
 poſſit

possit ea ad vsum populi sui, & necessitatem regni sui convertere: ita Socin. etiam pag. 155. contra Wiek. qui etiam in disputatione suâ contra Erasmũ Iohan.pag.157, agnoscit,posse quoq; diabolos ad priorem illam renovationis partem pertinere. Absurdè sanè, & summopere à doctrinâ Apostolorũ abhorrens, dicere diabolos à Christo renovatos, & crearuras novas esse factas. Huic cõmento stupendam valde interpretationem affingit; novam illã creationem interpretans, imminutionem potentiæ diabolorum, per Christũ factam.Egregia verò interpretatio, perinde se habens,ac si dixero,ovem bovem,album esse nigrum. Nam primò per creationem, qualiscunque tandem illa sit,rebus creatis confertur aliquid. Secundò si imminutio potentiæ diaboli nova ejusdem creatio dicẽda erit,sequetur perditionem & æternum ejus exitium, novam ejusdem creationem consummatã esse: & abolitionem creationem esse, hoc est album esse nigrum. Tertiò quod si sic liceat, quidlibet ex quolibet facere; facile etiam erit,alteram reformationis partem, hoc est pacificationem per sanguinem crucis (absit dicto blasphemia) ad diabolos referre. 5. Si Christus thronos & dominationes condidit, quia distribuit & disposuit omnia, ita vt jam ad ipsum respiciant ac referãtur, Socin. pag.364. aut quia angelorũ dignitates mutavit,vt Smalc. pag.98. libri de divinit. Iesu Christi,sequitur, cũ ista novę formæ in cœlestem Hierarchiam introductio,pristinam non sustulerit, oppositum etiam ejus, quod hîc scripsit Apostolus, verissimũ esse:per Christum nempe

nempe non eſſe condita inviſibilia, thronos, dominationes; nec ea per eum, aut ejus reſpectu, eſſe condita; nec verum erit eum ante omnia, & omnia per eum conſiſtere: hoc autem vel ex ipſâ textus inſpectione redarguitur: in quo ſatis diſertè dicitur, ipſos thronos & dominationes per ipſum eſſe, & conſiſtere, καὶ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε, vſus Apoſtolus voce, quę Latinis eſt, coagmento, formo: Lucianus in Prometheo ἐνενόησε ὡς ἀμείνων εἴη ζῶά τινα συστήσασθαι. Plato in Timæo eâ voce vſus, de creatione mundi loquens. Novos verò thronos inſtitutos eſſe in cœleſti illâ hierarchiâ, & ſic jam veteres & novos eſſe thronos, novorum Chriſtum authorem eſſe, non veterum; hoc nihil præter ſatis audacem Socinianorum aſſertionem continet, & nullâ Scripturæ ſacræ authoritate muniri poteſt. 6. Reconciliatio cum Deo, non competit angelis, de quâ tamen agit Apoſtolus v. 20. fruſtra in contrarium nitente Socino cap. 8. lib. primi de Servatore.

Scribit Socinus in fine reſponſionis ſuæ, ad hoc XIV. argumentum, ſe multo plura ſcribere potuiſſe pro ſententię ſuę confirmatione, in hoc Paulino teſtimonio interpretando, illa verò lectorem petere poſſe addit, ex diſputatione adverſus Andream Volanum, & adverſus Eraſmun Iohan. vbi fuſiſſimè de interpretatione hujus loci à ſe actum ait. Libet ergo nonnihil ea hoc loco diſcutere, & quantum ſatis videbitur, refellendo expendere.

Primò itaque diſputatione contra Eraſmum Iohannis (diſputationis contra Volanum mihi

non datur jam copia) pag 167. ex eo probare contendit, in hoc loco ad Colos. de creatione novâ agi, *quia Christus imago Dei invisibilis dicitur, id non obscurè indicare, de homine illo Iesu Dei Filio verba fieri, per quem Deus ultimis temporibus locutus esse scribitur.* Item pag. 168: quod Paulus ibidem mentionem faciat *sanguinis dilecti Filij Dei, hoc sentit sine controversiâ similter demonstrare, ipsum de eo, vt homine, verba facere.*

Resp. 1. De eo, quomodo Christus imago Dei, visum ad pag. Socin. 215. 216. in examine loci ad Heb. 1. & loci Ioh. 14. 2. Dico etiamsi quàm maximè verum esset, Christum non prius imaginem Dei invisibilis fuisse, quàm homo fuit; ad argumentationem tamen, quam in pręsenti materiâ inde nectit Socinus, dissolvendam, sufficit ostendere, ex eo non sequi, de Christo non prædicari aliquid, quod diu ante contigit, quàm Christus homo factus est. Sic etsi Christus, quà homo, redemptor noster per sanguinem suum, non efficitur ex eo, non agi de creatione primâ, quæ facta est longissimo tempore, antequam homo ille fuerit. Argumentationem istam adversarij manifestâ inconsequentiâ laborare sic demonstro. Christus homo creavit, ergo quà homo? non sequitur: si Christus homo creavit, non tamen quà homo, nihil impedit creâsse antequam homo esset. Christus qui est caput corporis Ecclesiæ, nos reconciliavit per sanguinem suum, & tamen ex Socini sententiâ, Christus prius reconciliavit nos, quam caput Ecclesiæ factus. Christus in terris versans & mortalitati obnoxius, vi-

tam

tam promittit credentibus æternam, neque tamen quà mortalis dabit, sed quà immortalis: si autem Christus, mortalis & in terris versans, rectè dicitur credentibus daturus æternam vitam, per resurrectionem ex mortuis vltimo die, quamvis longissimum temporis spatium interveniet, inter Christi mortalitatem, & æternæ vitæ donationem, ab ipso aliquando per resurrectionem ex mortuis faciendam; pari ratione, prima creatio Christo homini rectè tribuitur, quamvis facta longissimo tempore antequam homo fieret. Zacharias in suo cantico ait: Tu verò puerule Propheta altissimi vocaberis, non tamen Iohannes quà puerulus, aut cum puerulus, prophetavit.

Secundum ejus argumentum ejusdem disput. pag. 168. propositum, sic habet. *Si Pauli mens fuisset, Christo primam creationem tribuere, ijs sane loquendi modis vsus esset, quibus, in eâ commemorandâ, tum alij omnes sacri scriptores vti solent, tum ipse alibi est vsus, ipsiusque cæli & terræ creationis disertè meminisset: Et hoc non facit Apostolus. Ergo.* Verum occurritur, sic locutum Apostolum, vt loqui solēt de creatione primâ scriptores sacri: non enim viri sancti semper solent meminisse cæli & terræ, vide Marc. 10. v. 6. vox creationis legitur, sine vllo addito, & tamen de primâ creatione agitur: Apoc. 4. v. 11. legitur: *tu creâsti omnia, & per voluntatem tuam sunt & creata sunt:* Act. 17. v. 24. Paulus non fecit mentionem cæli & terræ; sed dixit, *Deus ille, qui fecit mundum & omia quæ in eo sunt*: & sane etiamsi Apostolus Paulus hîc locutus, juxta Gram-

Gramaticam legem Socini, nihil tamen apud eum proficeretur; sed facile hoc per reformationem cœli & terræ, aut mundi futuri, & seculi immortalis creationem eluderet.

Tertiò ibidem probare conatur, non de primâ, sed de novâ creatione hæc accipienda, *quia sub ijs, quæ sunt in cælo, substantiæ intelligentes tantùm comprehenduntur*. At nec sic obtinet. Talia enim sunt subjecta, qualia à suis prædicatis esse permittuntur: creatio rerum omnium est, reconciliatio hominum: quapropter objectum reconciliationis, non est commensuratum objecto creationis; nec angeli rationem formalem objecti reconciliationis ingrediuntur.

Socin. contra Erasm. Ioh. pag. 169.

Quartò argumentatur ex collatione loci ad Coloss. cum ijs quæ leguntur cap. primo & secundo ad Ephesios: *quamvis inquit, hoc idem argumentum plenissimè tractet de excellentiâ illius à Deo dilecti, deque maximis operibus, per ipsum à Deo factis; tamen ne verbum quidem disertè scribit de creatione illâ vniversali, per ipsum facta, nisi demum cap. 3. vbi satis perspicuum est, eum loqui, de reformatione cultus & religionis vniversa per vnum Christum factæ, quâ potissimum aggregatio gentium omnium, ad Dei populi Remp. continetur; de quâ jam antea locutus fuerat: sed in ijs verbis, quæ propriè loco nostro respondent, & sunt cap. 1. v. 20. vsq; ad finem capitis, quibus addi debent ea, quæ scripta sunt à v. 10. & infrà cap. 2. v. 13. vsque ad v. 17; vbi tamen aliquid dicitur, quod in ipso loco nostro expressum non est; sed exprimitur in hac eâdem epistolâ ad Col. cap. 2. v. 14. in istis, inquam, verbis nulla fit aperta mentio vniversalis alicujus crea-*

creationis, & præsertim quod invisibilia illa, throni, dominationes, &c. per Christum creata fuerint. Sed pro eo, quod est in loco nostro, per eum condita omnia; ibi est v. 10. cap. primi, instaurare, seu potius, summatim comprehendere omnia in Christo, sive per Christum quod hîc legitur, Thronos, dominationes &c. per ipsum, & in ipsum creatos esse, & ipsum ante omnes esse, & omnes in ipso constare: ibi simpliciter scriptum est, ipsum constitutum fuisse supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem. *ibidem pag. 170.*

Resp. Istud argumentum ex collatione petitum, non est magni æstimandum: nititur enim eâ suppositione, ac si statuendum sit, non aliud argumenti genus, hoc loco ad Colosſ. tractatum, quam istis ad Ephes. capitibus, quia non pauci vtriusq; Epistolæ loci inter se respondent: quæ ratio pro veritate & certitudine istius suppositionis non concludit: quod vel ipse adversarius agnovit ex parte, cum infrà ait cap. 2. v. 13. vsque ad v. 17. aliquid dici, quod in ipso loco nostro expressum non est: neque etiam ad Colos. cap. 2. v. 14. id exprimitur, vt ad Ephes. cap. 2. v. 15. expressum fuit. Accedit quod in ijs verbis, quæ propriè loco nostro respondere sentit Socinus, leguntur non pauca, de quibus nulla mentio fit, nec in hoc ad Colos. loco, (quod tamen fieri deberet, si quicquam valet ratiocinatio hæc Socini ex collatione locorum ducta) nec in totâ Epistolâ: nam v. 14. primi capitis, agitur de prædestinatione Ephesiorum ad salutem v. 15. 16. de ejusdem salutis per arrhabonem Spiritum obsignatione.

Econ-

E contrariò ergo nihil est absurdi, Apostolum hoc loco ad Coloss. egisse de creatione primâ: etiamsi de eadem in Epistolâ ad Ephes, non egerit. Hæc de illustri loco ad Coloss.

CAP. XV. Tertiæ Classis argum. *De loco* ad Heb. cap. 1. vers. 2. & 10.

PEr quem & secula fecit ; & tu Domine initio terram fundâsti, & opera manuum tuarum sunt cœli : quia autem de loco v. 10. copiosè actum, in diluendâ responsione adversarij, ad quartum (ipsi quintum) primæ classis argumentum, cum Socino eò lectorem remitto: verba illa *per quem fecit & secula*, in quem sensum accipienda sint, intelligi potest ex verbis Iohan. *& mundus per eum factus* : videantur si placet ea, quæ isto loco disputavimus : quo etiam reijcit lectorem Socinus, duo præterea adferens, quibus astruere conatur, hisce verbis de æternâ vitâ agi.

Socin. pag. 367.

Primum argumentum colligit ex voce αἰῶνες, quam putat æternitatem illam quam speramus, & quà futurum nobis seculum continetur, quodammodo ob oculos ponere; & idcirco futurum illum mundum evidentius significare. At contrà 1. dico, in hoc petitionem quæsiti esse. 2. Secundò cum Scripturâ beatæ immortalitatis seculum intelligit, nomen futuri expesſè adijcere solet: sic hic ipse author. cap. 6. ad Heb. *virtutes futuri seculi dixit.*

Alterum ejus argumentum est, quod hîc ser-

mo est de Dei Filio, vt nobis patefacto &c. Coincidit hæc ratio cum primâ illâ, ex disputatione cum Erasmo Iohan. petitâ, de cujus valore visum, in examine loci præcedentis.

Secundò respondet Socinus ad objectum sententiæ suæ, de hoc loco, *per quem & secula fecit*, locum ad Heb. 11. v. 3; vbi scriptum extat, *per fidem intelligimus aptata secula verbo Dei.* *Socin. pag. 368.*

Excipit primò, *locum istum nihil habere commune cum eo, de quo disputamus, excepto verbo* secula, *& sine vllâ comparatione multo frequentius, verbum istud, hanc æternitatem, & sic futurum illud immortale seculum, quàm veterem mundum significare:* addit *non legi hîc,* facta, *sed aptata esse secula, id est concinnata, & aptè composita & accommodata: quod etiamsi reipsâ idem esset, cum facta esse, (quod tamen ipsi à veritate non parum abest) hoc nihilominus satis non esset, inquit, in hac disputatione, vbi de ipsâ phrasi* facere secula *nominatim agitur.* *Socin. pag. 369.*

Resp. Decisio controversiæ pendet hoc loco, ex significatione vocis *seculorum*, quàm authorem ad Hebręos, non alio sensu accepisse, hîc aut alibi ostenditur: ac propterea etiam eo sensu hoc loco accipiendã esse, concluditur. Quod verò contendit Socinus, multò frequentius, verbũ istud, hanc æternitatem, quam veterẽ mundũ significare, in eo labitur. Discrimen etiã illud, inter vocẽ aptandi, & faciendi, quoad vsum illarũ in sacris, vbi de rerum omniũ ex Deo emanatione agitur, revera nullum est; solet enim Scriptura, nunc his, nunc illis vocibus vti promiscue; quæ tamen ex grammatico rigore loquendi, nonnihil in conceptâ formali differunt, vt apud

Hebr.

Hebr. *Iatzan, gnaſa, bara.* Apud Græcos κτίζω, ποιέω, ἐργάζομαι: & apud Latinos, creare, facere, aptare. Ita LXX. Ion. 1. v. 9. ἐποίησε mare & aridam: κόσμος δέδημι χρῆσθαι, dicitur à Platone, hoc eſt factus: deinde καταρτίζειν Græcis, non tantùm eſt aptè componere & concinnare; ſed ſæpe etiam ſimpliciter ſignificat coagmento, compono, in quo ſenſu idem eſt ποιεῖν & καταρτίζειν ſecula: καταρτίζω luxata membra repono apud Æginetam: hinc καταρτισμὸς Galeno eſt ἡ μεταγωγὴ ὀστῶν, ἐκ τοῦ, παρὰ φύσιν, εἰς τοῦ, κατὰ φύσιν.

Excipit ſecundò, *iſtius loci nullam ad hunc noſtrum relationem apparere, cùm hic ab illo decem interpoſitis capitibus, diſtet; ideoque conjecturas afferri oportere, cur hæc ſignificatio, in loco noſtro, agnoſcenda ſit. At nulla, inquit, unquam afferentur: cum omnes, quæ antecedentibus & conſequentibus verbis, ex loci ipſius argumento, ex circumſtantijs denique quibuſcunque duci poſſunt, contrarium planè ſuadeant.* At reſpond. 1. Socinum *diſputat. ſuâ contra Eraſmum Iohan. de unigeniti Filij Dei exiſtentiâ*, argumentum petere ex Epiſtolâ ad Epheſios: quæ profectò majori intervallo diſtat ab Epiſtolâ ad Coloſ. quàm locus hic ad Hebr. primo à loco illo cap. 11. 2. Ex phraſium vtriuſq; loci collatione, elucet convenientia & identitas rei ſubjectæ in vtroque loco. Quod denique dicit, de loci argumento, circumſtantijs &c. Tam facile reijcitur, quam adfertur.

Socin. pag. 370. Subijcit poſtremo loco, verba illa: *Qui cum ſit ſplendor gloriæ*, non de æterno & coeſſentiali Filio

Filio loqui; sed de exhibito humano generi, & proinde eatenus hîc Dei Filio tribui, quatenus nobis talis est. At respondeo, de loco illo copiosè actum esse suprà pag. 86. 87. 88. quò lectorem remitto. 2. Etiamsi adversarij sententia vera esset, nihilominus argumentatio inde ducta, inconsequens esset.

CAP. I. Quartæ Classis argum. *De Nomine* DEUS.

TErtia argumentorum classis sic fuit, quarta sequitur: quæ argumenta continet, ex nominibus ducta. *Primum nomen divinum est Deus.* Ex hoc nomine tale formatur argumentum. *Is quem Scriptura absolutè, numero singulari, vocat Deum prædicatione verâ, is est vnus ille Deus. At sic Christus dicitur Deus.* Ergo.

Contra hujus argumenti tum majorem, tum minorem varia movet Socinus: singula ordine examinabo.

Primò contra majorem excipit. *Christo homini, majestatem, potentiam, & imperium divinum, ex Dei liberalitate communicata; ac propterea nullum fere Dei nomen esse posse, quod Christo homini similiter tribui non possit: proinde, inde non esse inferendum, Christum esse ipsummet Deum.* Socin. pag. 372.

Hac vnicâ responsione, ait, omnia classis quartæ argumenta dilui posse. Resp. Ne actum agamus, recurrat lector ad ea, quæ in nostro examine in præcedentibus sunt disputata.

Hebr. *Iatzan, gnaſa, bara*. Apud Græcos κτίζω, ποιέω, ἐργάζομαι: & apud Latinos, creare, facere, aptare. Ita LXX. Ion. 1. v. 9. ἐποίησε mare & aridam: κόσμος δεδημιουργεῖσθαι, dicitur à Platone, hoc eſt factus: deinde καταρτίζειν Græcis, non tantùm eſt aptè componere & concinnare; ſed ſæpe etiam ſimpliciter ſignificat coagmento, compono, in quo ſenſu idem eſt ποιεῖν & καταρτίζειν ſecula: καταρτίζω luxata membra repono apud Æginetam: hinc καταρτισμὸς Galeno eſt ἡ μετάγωγὴ ὀστῶν, ἐκ τοῦ, παρὰ φύσιν, εἰς τὸ, κατὰ φύσιν.

Excipit ſecundò, *iſtius loci nullam ad hunc noſtrum relationem apparere, cum hic ab illo decem interpoſitis capitibus, diſtet; ideoque conjecturas afferri oportere, cur hæc ſignificatio, in loco noſtro, agnoſcenda ſit. At nulla, inquit, unquam afferentur: cum omnes, quæ antecedentibus & conſequentibus verbis, ex loci ipſius argumento, ex circumſtantijs denique quibuſcunque duci poſſunt, contrarium planè ſuadeant.* At reſpond. 1. Socinum *diſputat. ſuâ contra Eraſmum Iohan. de vnigeniti Filij Dei exiſtentiâ*, argumentum petere ex Epiſtolâ ad Epheſios: quæ profectò majori intervallo diſtat ab Epiſtolâ ad Coloſ. quàm locus hic ad Hebr. primo à loco illo cap. 11. 2. Ex phraſium vtriuſq; loci collatione, elucet convenientia & identitas rei ſubjectæ in vtroque loco. Quod denique dicit, de loci argumento, circumſtantijs &c. Tam facile reijcitur, quam adfertur.

Socin. pag. 370. Subijcit poſtremo loco, verba illa: *Qui cum ſit ſplendor gloriæ*, non de æterno & coeſſentiali

Filio

Filio loqui; sed de exhibito humano generi, & proinde eatenus hîc Dei Filio tribui, quatenus nobis talis est. At respondeo, de loco illo copiosè actum esse suprà pag. 86. 87. 88. quò lectorem remitto. 2. Etiamsi adversarij sententia vera esset, nihilominus argumentatio inde ducta, inconsequens esset.

CAP. I. Quartæ Classis argum. *De Nomine* DEUS.

TErtia argumentorum classis sic fuit, quarta sequitur: quæ argumenta continet, ex nominibus ducta. *Primum nomen divinum est Deus*. Ex hoc nomine tale formatur argumentum. *Is quem Scriptura absolutè, numero singulari, vocat Deum prædicatione verâ, is est vnus ille Deus. At sic Christus dicitur Deus*. Ergo.

Contra hujus argumenti tum majorem, tum minorem varia movet Socinus: singula ordine examinabo.

Primò contra majorem excipit. *Christo homini, majestatem, potentiam, & imperium divinum, ex Dei liberalitate communicata; ac propterea nullum fere Dei nomen esse posse, quod Christo homini similiter tribui non possit: proinde, inde non esse inferendum, Christum esse ipsummet Deum*. *Socin. pag. 372.*

Hac vnicâ responsione, ait, omnia classis quartæ argumenta dilui posse. Resp. Ne actum agamus, recurrat lector ad ea, quæ in nostro examine in præcedentibus sunt disputata.

Socin. pag. 373. 374. 375. 376. Secundò excipit, *nomen Dei absolutè positum, rebus quoque creatis tribui, & non solum illi vni Deo: Bellarminum id non ausum apertè negare: Irenæum non aliter sentire; verùm id ex varijs locis Scripturæ confirmare, & alijs amplius confirmari posse; denique, inquit, dato, nusquam alibi cuiquam nisi illi vni Deo tribui, non sequi idcirco, cum Christo tribuitur, necesse esse, vt Christus sit ille vnus Deus.*

Resp. Falsum esse Bellarminum id non ausum apertè negare: *verba enim ejus sunt: Scriptura non solet absolutè vocare Deum, nisi verum Deum*: Socinus id interpretatur, ac si voluisset Bellarm. perrarò id fieri: quæ Socini expositio affingit Bellarmini verbis, mentem alienam; vult enim simpliciter Bellarm. non vocari absolutè Deum, nisi Deum illum vnum, quod manifestum esse potest consequentia Bellarmini verba inspicienti.

Socinus sententiam Irenæi tractans de hoc argumento, duo eidem tribuit. *Primò sentire Irenæum, neminem vocari Deum in Scripturis, sine aliquo additamento, qui tantùm nomine & non revera sit Deus, sive ex se, sive Dei dono. Secundò Irenæum sentire, Patrem tantùm ex se Deum esse.*

Resp. Adversarium non probare locis ex Irenæo prolatis, ipsum sensisse, nomen Dei absolutè, & sine aliquo additamento sumtum communicari etiam ijs, qui ex dono Dei Dij, & non Deus ille vnus.

Postquam enim produxit Irenæus cap. 6. lib. tertij testimonia Psalm. 50. v. 1, & Psal. 82. v. 1. ijs verbis quæ citat Socinus pag. 375. hæc subjungit

jungit Irenæus. *Nemo igitur alius, quemadmodũ prædixi, Deus nominatur, aut Dominus appellatur, nisi qui est omnium Deus & Dominus.* Quod ad locum illum, qui in fine prooemij lib. quarti, vbi ſcriptum reliquit Irenæus : *& manifeſtavimus, neminẽ alium Deum appellari à Scripturis, niſi Patrem omnium & Filium, & eos, qui adoptionẽ habent* : & locum illum, initio cap. primi, lib. 4. vbi ſcriptum. *Cum ſit igitur firmum & conſtans, neminem alterum Deum & Dominum à Spiritu prædicatum, niſi eum qui Dominatur omnium Deus, cum verbo ſuo, & eos qui adoptionis ſpiritum accipiunt.* Reſponderi poteſt Irenæum, in hiſce locis non aſſeruiſſe, nomen Dei eo enuntiandi modo dici de adoptatis vt de Patre & Filio, quibus Dei nomen definitivè & abſolutè tantùm attribui, aſſerit Irenæus lib. tert. cap. 6.

Secundò aſſerit Socinus, *Patrem tantùm ex ſe Deum eſſe, Filium verò ſere adjungi, ac Deum cum ipſo nominari, quia dominium accepit à Patre ſuo* : citat horſum ex Irenæo hæc loca cap. 6. lib. tertij, in initio ferme ejuſdem libri cap. 12. paulo poſt medium, & cap. 9. poſt initium, & lib. 4. cap. 1.

Teſtimonij primi verba ſic habent. *Neque igitur Dominus, neque Spiritus Sanctus, neque Apoſtoli, eum qui non eſſet Deus, definitivè & abſolutè Deum nominâſſent aliquando, niſi eſſet verus Deus; neque dominum appellâſſent aliquem, ex ſuâ perſonâ, niſi qui dominatur omnium, Deum Patrem & Filium ejus, qui Dominium accepit à Patre ſuo omnis conditionis.* Hactenus Irenæus. 1. In hiſce verbis, non divinita-

tem, ſed dominium accepiſſe à Patre Chriſtus dicitur. 2. Non aſſerit Irenæus, Filij dominium à Patre eſſe ex gratiâ adoptionis, diſtinguit enim cap. primo lib. 4. & procemio ejuſdem, inter Patrem, Filium, & adoptatos.

Secundi teſtimonij verba ſunt. *Quoniam qui paſſus eſt ſub Pontio Pilato, hic Dominus eſt omnium, & Rex & Deus & judex, ab eo, qui eſt omnium Deus, accipiens poteſtatem.*

Reſp. Hæc verba Irenæi loqui de glorificatione Filij Dei, poſt mortem crucis; Filium autem Dei tum demum regem & Dominum factum fuiſſe, Irenæi mens ſecundum ipſam confeſſionem adverſarij non fuit: non ergo hæc verba loquuntur de re, ſed de rei patefactione: non dicitur his verbis, nec expreſsè, nec tacitè, divinitatem ſuam à Patre accipiſſe Filius. 3. Etiamſi diceretur, non tamen rectè concluderetur ex eo Irenæi cum adverſario hac in parte conſenſus.

Tertij teſtimonij verba, quæ citat Socinus, ſic habent. *Et ipſo Domino, Patrem tantùm Deum & Dominum eum, qui ſolus eſt Deus & Dominator omnium, tradente diſcipulis, ſequi nos oportet*: in quâ ſententiâ confirmandâ, vt ſcribit Socinus pag. 376. quod ſcilicet Pater Chriſti tantùm ſit ille vnus Deus, reliquum captis inſumit.

Ad hoc teſtimonium reſpondetur, Irenæum in ſententiâ illâ confirmandâ, Patrem Filio non oppoſuiſſe, minimè vero; ſed eorum, qui ſentiebant, Deum & Patrem Dom. noſtri Ieſu Chriſti, ſive Deum N. Teſtam. eſſe alium à Deo legis, & Prophetarum. Sic enim perorans ſcribit, *vnus*

vnus igitur & idem Deus, qui à Prophetis prædicatus est, & ab angelo annuntiatus : nec vllo modo Irenæo propositum fuit ostendere, Patrem tantùm Deum & Dominũ eum, qui solus est Deus & dominator omnium, excluso Filio; imò disertè Filium inclusit verbis, quæ immediatè in ipso cap. exordio antecedunt verba, quæ produxit Socinus. *Ostensum igitur hîc planè, & adhuc ostendetur manifestius, neminem alterum Dominum vel Deum, neque Prophetas, neque Apostolos, neque Dominum Christum confessum esse ex suâ personâ, sed præcipuè Deum & Dominum: Prophetis quidem & Apostolis, Patrem & Filium confitentibus, alterum autem neminem, neq; Deum nominantibus, neque Dominum confitentibus*: post quæ verba, sequuntur immediatè, quæ produxit Socinus.

Quarti testimonij à Socino prolati, verba sunt. *Apostoli autem secundum eum (id est post Christum) transgressores ostenduntur præcepti, Demiurgum Deum & Dominum & Patrem confitentes, quemadmodum ostendimus, si non hic solus est Deus & Pater.*

Resp. Manifestum esse, ex ipsâ inspectione cap. 1. Iren. non excludere Filium à divinitate Patris, sed agere, vt ipse loquitur, adversus eos, qui Demiurgum naturaliter, neque Deum neq; Patrem esse statuebant, dicentes naturaliter, & Deum & Patrem esse, quem ipsi adinvenerunt: hisce ergo invehitur Irenæus adversus hæresiarchas, qui alium creatorem à Patre Domini Iesu Christi inducebant, imponens necessitatem, Demiurgum confiteri suum Patrem.

Sic ergo animadvertere in ea, quæ ex Irenæo proferuntur, visum fuit: Post quæ ait Socinus: *Satis testimoniorum videmur attulisse, ad probandum, quod in sacris literis, nomen Dei absolutè positum, creaturis ipsis aliquando tribuatur, ex Psalm. 49. vers. 1: & Psalm 81. vers. 1. 6: addit illis & hac: Exod. 15. vers. 11: Deut. 10. vers. 17: Exod. 21. vers. 6: & cap. 22. vers. 26: Psalm. 8. v. 6: Psalm. 6. v. 7.*

Resp. Psalm. Heb. 50. v. 1. non legitur juxta Hebraicam veritatem, Deus Deorum, sed Deus fortis, vt versio interlinearis habet: sic & Græci, Aquila, Theodot. Sym. vertunt hunc locum ἰχυρὸς θεὸς Psalm. 82. vers. 1. 6. vtrobique scriptum est, Eloim; non est autem eadem ratio, si vsus sacrarum literarum attendatur, vocis Eloim quæ est vocis Dei: non enim hæc apud Latinos notat reges, judices, magistratus & eos omnes, qui dignitate & potestate aliquâ pollent, sed numen religiosè colendum, cui vox Græca θεὸς respondet: Iohannis cap. 10. magistratus appellantur θεοὶ, nemo autem singulari numero appellatur θεὸς. Actor. 7. vers. 43. legitur *bajulastis tabernaculum Molochi, & sidus Dei vestri Remphanis*; at ista prædicatio non vera, erat enim idolum Actor. 28. vers. 6. dicebant eum, nempe Paulum, esse *Deum*, at ficta erat prædicatio. De homine illo peccati, & filio perditionis legitur, quod se opponat & efferat ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν: hoc enim esse potest tum verus Deus, tum numina fictitia. Est itaque stylus perpetuus sacrarum litterarum Novi Testament. voce θεὸς, notare Deum illum

vnum

vnum verum & vivum, quæ plus quam millies occurrit. Exod.15. verſ.11: ad verbum. *Quis ſicut tu, in fortibus Iehova*: Deut.10.v.17. *Iehova Deus veſter, Deus Eloim dicitur*, non hîc abſolutè *Eloim dicti*. Exod. 21. verſ. 6. vox etiam Eloim eſt: eadem eſt ratio loci Exod. 22. v.28: Pſalm 8.& 97.

Excipit denique, in hac ſecundâ exceptione ſuâ contra majorem: *dato nomen Dei, abſolutè poſitum, nuſquam alibi cuiquam, niſi illi vni Deo tribui, inde tamen non ſequi, cum Chriſto tribuitur, neceſſe eſſe, vt Chriſtus ſit ille vnus Deus, nullo prorſus modo. Tantopere enim, inquit, excedit Chriſtus homo omnes alias creaturas, & tam vltra, & ſupra eas, omnis divinitatis particeps eſt factus, vt meritò potuerit illi concedi, vt Dei nomine abſolutè appelletur, etiamſi omnibus alÿs creaturis perpetuò negatum fuiſſet.* **Socin. pag.378.**

Reſp. Hanc exceptionem ita formatam, coincidere cum exceptione primâ contra majorẽ: firmat hanc ſuam exceptionem Socinus authoritate loci Philip.2.v.9. Heb. 1.v.4. de quibus alibi viſum, & authoritate humanâ, eâq; geminâ Lactantij, lib.4.cap.14. nec non Chriſtophori Longolij, hominis Pontificij.

Verba Lactantij, quæ profert Socin. ſic habent in calce cap.14. li.4. quem de verâ ſapientiâ inſcripſit. *Propterea quia tam fidelis extitit, quia ſibi nihil prorſus aſſumſit, vt mandata mittentis impleret, & ſacerdotis perpetui dignitatem, & regis ſummi honorem, & judicis poteſtatem, & Dei nomen accepit.*

Reſp. Lactantium illis verbis, *Dei nomen ac-*

cepit, nequaquam voluisse, novum Deum inductum, numero naturâque, à Deo illo vivo & vero, rerum omnium conditore, separatum: vnitatem enim Dei, ejusque solius cultum, septem suis institutionum libris propugnat: nec vnitatem istam, aut solius Dei cultum, interpretatus est vllibi in sensu Sociniano: nec sunt ista consentanea apud Lactantium; vnum esse Deum, & tamen esse Deum, qui non sit ille vnus, sed contradictoria: sic enim scriptum reliquit, hoc ipso loco, verbis immediatè antecedentibus. *Hæ sunt viæ Dei in quibus ambulare eum præcepit: hæc præcepta, quæ servanda mandavit, ille verò exhibuit Deo fidem: docuit enim, quod vnus Deus sit, eumque solum coli oportere: nec vnquam se Deum esse dixit, quia non servâsset fidem, si missus, vt Deos tolleret, & vnum assereret, induceret alium, præter vnum: hoc erat, non de vno Deo facere præconium, nec ejus qui miserat, sed suum proprium negotium gerere: ac se ab eo, quem illustraturus venerat, separare:* quæ verba Lactantij exponenda per œconomicam demissionem: nam revera ex Lactantij sententiâ, Christus ante glorificationem erat Deus, etiamsi dicat hîc Christum, postquam fidem suam Deo & Patri per omnia probâsset, Dei nomen accepisse: nam verba illa, non de ipsâ divinitatis collatione, sed ejusdem gloriosâ manifestatione, accipienda sunt. Istam enim Lactantij cum Lactantio conciliationem, suggerit nobis Lactantius ipse cap. 13. ejusdem libri, vbi verba ejus sunt: *Interim & Deum*

fuisse

fuisse, ex vtroque genere permistum, Prophetis vaticinantibus discimus, & citat horsum testimonia ex Esa. Ierem. & Psalm 44. *Thronus tuus* Deus, &c. Sic verò Lactantio Deus Christus, antequam homo fieret, vt ibi expresse docet, & cum in terris versaretur; nam de Iudæorum incredulitate verba faciens, ait: *nec tamen tantarum virtutum contemplatione, impelli potuerunt, vt Deum crederent, quem videbant.* Hæc respondere ad Lactantium productum, visum fuit. Verba Christophori Longolij, qui Pontificius fuit, agnoscente Socino, quamquam prȩterire possem, hîc apponam tamen, & ad ea vno verbo respondebo. Illa verò sic sonant referente Socino. *Quid Christũ summi regis honore, summi judicis potestate, summi Dei nomine adornavit? nẽpe illa animi demissio?* Resp. Propter factã manifestationem sic locutus. Hæc ergo de secundâ exceptione ad majorem dicta sunto.

Post hæc autem ad minorem syllogismi venit, negans Scripturam Christum appellare Deum, ijs locis Scripturæ, quæ complura à Bellar. & Wiek. producuntur: varijs enim modis ea eludere conatur. Verum antequam particularem singulorum locorum enervationem aggrediatur, hanc basin operi suo hîc præstruendam sibi censuit. *Sciendum est igitur ante omnia, nomen*, Deus, *suâ naturâ esse nomen appellativum, & idcirco pluribus conveniens: per excellentiam tamen vni illi summo rerum auctori, & conditori singulariter attribui: ita vt, in Testam. Novo, cum subjecti locum absolutè obtinet, sive cum articulo sit, sive sine articulo, vel cum obtinet rationem prædica-* *Socin. pag. 379.*

 ti, si

ti, si articulum habeat simpliciter, aut sine tali adjuncto vel constructione, quæ articuli vim infringat, nunquam nisi ipsi soli, ne Christo quidem ipso excepto, tributum inveniatur: nam sicubi Christus in N. Testament. Deus nominatur, tunc nomen Deus, *non subjecti, sed prædicati locum tenet, ac præterea vel articulo caret, vel quidpiam aliud, præter articulum adest, quod articuli vim infringit.*

Primò statuit Socinus, nomen Dei, nomen appellativum esse, in quo sanè hallucinatur: nam primo & individuo enti per essentiam tantùm tribuitur vox θεὸς, cui respondet Latina Deus: quotiescunq; enim Christus & Apostoli Deum appellant, non suggerunt nobis qualitatem aliquam dignitatis, aut potestatis, per gradus distinctos, pluribus communem; sed ens aliquod individuum, & singularitate essentiæ determinatum: Scripturæ enim asserunt *vnum esse Deum*, 1. Tim. 2. v. 5: 1. Cor. 8. v. 6: quæ ratio vnitatis Socin. pluralitatem excludit, vt suo loco demonstravimus: efficitur itaque inde valido argumento, nomen hoc proprium esse; quod enim vni rei, non pluribus convenit, hoc proprium, non appellativum est.

Secundò statuit *vocem θεὸς subjectivè enuntiatam, nullibi in Novo Testam. Christum exprimere*: quæ positio Socin. fallax est: nam 1. Act. 20. v. 28: 1. Tim. 3. v. 16: Heb. 1. v. 8. 9. subjectivè legitur; nec in loco Ioh. 20. quicquam prohibet, vocem *Deus* subjectivè intelligere.

Locum istum ad Timoth. in quo præcipua redemptionis nostrę mysteria, magnificis verbis effe-

efferuntur de Christo, negat Ostorod. scund. part. disputat. suæ, contra Georg. Tradel. cap. 5. pag. 109. de Christo accipiendum esse, sed ad Patrem referendum esse ait. At contrà, nullum adferre possunt argumentum Sociniani, propter quod hic locus de Christo accipi non debeat, quinimò de Christo accipi debere, ex Scriptura Deo adjuvante demonstrabo. 1. Deus hîc in carne manifestatus dicitur, quod de Christo exponendum, quia passim in scripturis, caro de Filio, & non de Patre prædicatur. *Verbum caro factum: caro mea cibus est* Ioh. 6. v 55: & Act. 20. vers. 30: Rom. 1. v. 3: Rom. 8. v. 3: Rom. 9. vers. 5: Colos. 1. vers. 22: Heb. 2. v. 14: Heb. 5. vers. 7: 1. Pet. 3. vers. 18.: 1. Pet. 4. vers. 1: 1. Iohan. 4. vers. 2: nihil ergo certius, & magis tutum, quàm etiam hoc illustre testimonium ad Christum referre. 2. Deum in carne patefactum esse, est Deum incarnatum esse: quia hoc, vt exponit Ostorod. non est, bonitatem, potentiam, sapientiam Dei, per Christum & Apostolos mortales, & varijs calamitatibus obnoxios, patefacta esse. Nam gloriosa Christi prædicatio, quâ Dei bonitas, potentia, sapientia, manifestata sunt, ad fragilem Christi naturam, afflictionibus obnoxiam Ostorod. referri non potest, cui terminus gloriosæ prędicationis Christi, initium præcipuũ carnis Christi, Instit. Germ. c. 19. sect. 3. 3. Iustificationẽ illã in spiritu Christus sibi tribuit Ioh. 16. v. 10. Quid autẽ convenientius, quàm huic loco lucẽ explicationis adferre ex loco illo, in quo habemus luculentum Christi testimoniũ, de glorificatione, & justi-

justificatione sui per spiritum, à se in Apostolos effundendum, aliquando facienda. 4. Visus ab angelis, de Christo accipimus, Apostolo Petro interprete, cui res illæ, in quas desiderant angeli introspicere, sunt perpessiones Iesu Christi, & gloria eas consecuta. 5. Gentibus prædicatis fides habita illi in mundo, ad Christum potius, juxta sacrarum literarum stylum referendum est, quàm ad Deum Patrem: ratio est, quia Christus tum in Actis, tum in Epistolis Apostol. 1. prędicatus dicitur: Act. 8. v. 5: Act. 9. v. 20: Act. 19. v. 13: 1. Cor. 1. v. 23: 1. Cor. 15. v. 11. 12: 2. Cor. 1. v. 19: 2. Cor. 3. v. 4: 2. Cor. 11. v. 4: Philip. 1. v. 15. Compellimur ergo hîc Christum intelligere; & quamvis indivulso nexu fides in Deum & Christum cohæreant, & se mutuò ponant & tollāt, fidei tamen in Christum creberrimè salus astringitur, & in eum incredulitati adimitur: Joh. 20. v. 21: 1. Ioh. 2. v. 23: 1. Ioh. 5. v. 12. 13. 6. Denique ἀνελήφθη ἐν δόξῃ, parum dextrè interpretatur Ostorod. Deum Patrem gloriosè receptum esse, hoc est cum gloriosâ sui exaltatione. 1. Nam cogitur, hîc enallagem fingere præpositionis ἐν pro σὺν; aut nomen gloriæ exponere adverbialiter; vel substantivum transformare in adjectivum, additâ de suo voce exaltationis: præferenda ergo simplicior & planior verborū interpretatio. 2. Durū & sine exemplo est, Patrem ἀναλαμβάνεσθαι, Christum verò ἀναλαμβάνεσθαι, in sacris receptissimum est, & notæ planè significationis, in cœlos nempe assumi: Marc. 16. vers. 19: Act. 1. vers. 2. 11. 22.

Obijcit

Obijcit verò, contra interpretationem nostram Ostorod. Christi hoc loco ne verbo quidem mentionem fieri. Ad quod respondeo, nec Patris fieri. 2. Axiomata, quæ de Deo prædicantur; hoc loco satis indicare, de Deo Filio hîc sermonem esse.

Secundò vrget receptionem illam, Christi assumptionem in cælos esse non posse, quia illa prædicationem fidei inter gentes non consecuta est, sed antecessit; ideoque de aliâ receptione hanc, de quâ agitur, accipiendam esse. Resp. Objectionem istam, parum stringere; non enim semper res narrantur eo ordine, quo accidunt, quod vidimus antè. 2. Deus etiam prius prædicatus gentibus, quàm quà talis conspectus ab angelis, Eph. 3. v. 10. 3. Non tamen incongruum est dicere, ordinem immutatum esse, quàm Dicere, in tam ponderosis sententijs tautologiam commisisse; nam juxta Ostorod, expositionem, Deum gentibus prædicatum esse, dixit Apost. ijs verbis, *Deus in carne manifestatus*. Dico deinde, etiamsi verum esset, vocem θεὸς subjectivè sumtam, non tribui Christo in N. Testam, sed tamen predicativè; inde tamen nullatenus elici posset, nõ esse Deum illum vnum. Affirmat quidẽ Socin. vocem, subjecti locũ obtinentẽ, excellentiæ singularis illam notã esse; at nullo argumento probat, majoris excellentiæ notam esse, subjectivè Deum dici, quàm prædicativè, vt sic dicam: consequentur in eo, quod Filius attributivè tantùm Deus, Pater subjectivè Deus dicatur, nullum argumentum discriminis inter Patris & Filij deitatem; præsertim cum,

cum, fatente Socino, etiam Pater attributivè Deus dicatur, quod tamen quādo fit, non minus ſingularis ejus excellentia ſignificatur, quàm cum ſubjectivè Deus appellatur: cum Apoſtol. dixit, *nobis vnus eſt Deus, Pater ille*, divinitatem de Patre prædicans, excellentiam etiam ejuſdem ſingularem intellexit.

Tertiò ſtatuit, vocem *Deus*, cùm prædicati rationem obtinet, cum articulo, vim ſuam retinente, Chriſto non tribui; ſentit ergo Socinus articulum appoſitum, excellentiæ notam eſſe; ac propterea Filium nunquam Deum, appoſito articulo, integrarum virium appellatum eſſe.

Reſp. De articulo aliquoties actum, quæ omnia & ſingula hîc repetere ſupervacaneum: hîc dicemus tamen de eo, in quantum ſatis videbitur ad pręſens argumentum. Itaq; articulum, apud Græcos, non ſemper egregiam quandam, & ſummam rem dicere; ſed redundare ſępius, & ornatus tantùm gratiâ adhiberi, vt ſuprà annotavi, exemplis jam aliquot, ex probatis Græcæ linguæ ſcriptoribus confirmabo. Ariſtophanis Plutus in principio. Proh Jupiter, & Dij, quàm dura eſt provincia, ſi quis hero deſipienti ſervus ſerviat! nam ſi optima quæque ſervus ſuaſerit, ſecus autem hero ſint viſa, μετέχειν ἀνάγκη τὸν θεράποντα τῶν κακῶν. Ad hunc Ariſtophanis locum Henr. Steph. notat in appendice theſauri Græcæ linguæ, non tantum Atticis, ſed & alijs ſcriptoribus vſitatum eſſe dicere, μετέχειν τῶν κακῶν, non minus quam κακῶν. Thucydides, ἐλπίδα δὲ, οὐδὲ τὴν ἐλαχίστην

χίστην εἶχον, ναῦς πελοποννησίων, εἰς ἰκονίαν παραβαλεῖν. Ita Aristoteles Politicorum 4. cap. 4. φησὶ γὰρ ὁ Σωκράτης. Complura alia adducit exempla Budæus, ex eodem Aristotele, Platone & cæteris Græcis, in commentarijs suis linguæ Græcæ. Vice versâ articulus sæpius supprimitur, vt probat idem auctor ex Theophrasto, Aristotele Platone & alijs probatis scriptoribus. Et sane scriptores sacros N. Testam. additione, vel omissione articuli, excellentem, & minus excellentem significationem non intendisse, eo evincitur, quod alioqui, de Deo vno & summo, vox θεὸς non promiscuè legeretur cum, vel sine articulo. Promiscuè autem legi id confirmat, quod plus quàm centies quinquagies, sine articulo ista vox scripta reperiatur, quinimò eo ipso loco, quo Sociniani sentiunt Apostolum Paulum docuisse ex professo, Patrem excellenti & singulari ratione esse Deum, articulus ab Apostolo Paulo est omissus: *nobis tamen vnus Deus*, sine articulo dixit: nullum ergo, in addito, vel omisso articulo, argumentum discriminis, cum toties verus & *vnus ille Deus*, sine articulo legatur, & idola etiam, cum articulo, dicantur Deus: τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ῥεμφάν Actor. v. 43: ita & LXX. cum articulo Amos. 5. v. 6. Diabolus cum articulo, dicitur *Deus hujus seculi* 2. Cor. 4. v. 14: quapropter Ioh. Drusius, parte alterâ annot. in N. Test. in cap. 1. Ioh. carpit Erasm. qui ad v. 6. ejusdem c. sic annotavit. *Haud scio, an alioquin id perpetuum sit in arcanis literis, cum Deo opponitur articulus; aut certam personam deno-*

denotari in divinis hypostasibus, aut verum illum & vnicum Deum à reliquis gentium Dijs distingui. Quam Erasmi sententiam sic perstringit Drusius. Ego scio, non esse hoc perpetuum, quod facilius, & citius probabo, quàm vulpes pirum comest.

Nullum ergo Socinianæ causæ præsidium in eo, si detur Christum attributivè non dici Deum, cum articulo vim suam retinente: nam perinde est, sive cum articulo, sive sine articulo dicatur; cum & Christus subjectivè Deus dicatur, cum articulo, Act.20. vers.28. Heb.1. vers.8:9. Nam Socino majus quid est, subjectivè, quàm attributivè Deum dici. Deniq; locus Joh.20, exponitur à Socino de Christo, ac proinde ex ejus sententiâ, vox θεὸς ibi prædicati locum obtinet, & tamen cum articulo legitur, quæ autem contrà excipit Socin. videantur in tractatu nostro, de loco illo, vbi ad ejus exceptiones responsum est.

Sic ergo se habet examen basis, quam Socin. hîc operi suo sibi præstruendam censuit. Sequitur jam pressius examen locorum singulorum, quę pro stabilimento minoris, Bellarm. & Wiekius adduxerunt.

Socin. pag. 379. 380. Primus locus est Esa.9.v.6. Excipit Socinus. *Nomen Deus, non esse absolutè ibi positum, sed cum adjuncto* fortis. 2. *Rabbinos appellationem istam vnà cum cæteris, que ibi recensentur, non ad Messiam referre, de quo alioqui ibi vaticinationem esse concedunt, sed ad illum,* qui nomen ejus vocabit, *nempe ad vnum illum Deum; in Hæbræo enim,* vocabit *legitur, non* vocabitur: *Deum alicubi alicu-*

jus

men vocare, ſimpliciter dici, vt Eſa.45. v.3: hæc ſe non adferre, quaſi Rabbinorum interpretationem probet; ſed vt eo magis appareat, non eſſe certam probationem inde ſumtam. Denique verba illa, ex Hebræo aliter legi poſſe, fortis heros, *vel* heros fortis.

Reſp. Cum ſermo eſt de Deo, abſolutè & ſine additamento ſic vocato, eumque ſic nuncupatum eſſe, *Deum illum vnum*, aſſeritur; non intelligitur, nihil prorſus eſſe additum, ſed quod additum tale non ſit, vt ſignificationis excellentiam imminuat: additum autem hoc loco, non eſt naturæ talis. Ad ſecundum dico. 1. Nõ omnes Rabbinos, ſed recentiores tantùm, odio Chriſtianę fidei, hoc pulcherrimum de Chriſto teſtimonium ſic interpretatos. 2. Rabbi Selomo falſæ hujus expoſitionis author eſt; qui tamen non omnia illa epitheta ad Deum illum vnum refert, ſed poſtrema ad Ezechiam regem, hoc pacto: & vocavit nomen ejus, ſcilicet Ezechiæ, Deus ſanctus & benedictus: qui eſt admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater ſempiternus, principem pacem: quæ novitia ejus expoſitio priſcis repugnat. Rabbi Ioſes Galilęus, in expoſitione ſuper planctum Ierem. dicit, parem eſſe vnum de Meſſiæ nominibus: nec duo poſteriora tantùm, quę de Ezechia Rabbi Selomo exponit; ad Meſſiam referuntur ibi, ſed & reliqua. Diſcipuli Rabbi Hija, ad Meſsiam hoc referunt in Thalmud ſimiliter. Nec aliter Chaldaicus paraphraſtes hoc loco. 3. Non erat, quod Socinus fictitiam hodiernorum Rabbinorum gloſſam hîc objiceret, cum eam à ſe non probari

dicat;nec dicendum illi fuit,hanc probationem propterea non esse certam:nam sic nihil certi in fidei dogmatibus esset, quia vbique jam contradicunt Iudæi. Nec adjumenti quicquā huic detorsioni ex voce *Vajicra*, quod *vocabit* legendum dicit,non *vocabitur*; quo argumento etiam vsus Bellarm. vt ostenderet Hebraicam editionem corruptam esse, & turbidum alicubi fluere fontem. AtFranciscus Iunius reposuit.*Hem. grammaticum: quasi verò id insolens apud Hebræos esset; verba tertiæ personæ vtrovis numero impersonaliter accipi, & modo activè, modo passivè ad evidentiam reddi oportere,id quod Hebræis, ex idiotissimo ipsorum, est evidens*. Gen.16. v.14. Mich.2. vers.4. Amos 4. vers. 2. Hab.3. v.17. & citat complura exemplaBuxtorfius in Hebraicis versatissimus lib.2. thesauri grammatici pag.394. quem Hebraici sermonis idiotismum idem vir doctissimus observat, Lucam Euangelistam secutum Luc.12. vers.20. τὴν ψυχήν σου ἀπαιτοῦσιν ἀπὸ σοῦ, ita & alij, *vocabitur*, interpretantur, vt Vatablus, versio interlinearis, nec aliter LXX. *& vocatur nomen ejus*. Sym. *vocabitur nomen ejus*. Theod. *& vocavit nomen ejus*.

Locus ille Esa. cap.45, impertinens est: ista enim vocatio non est appellatio nominis,sed vocatio regis Cyri ad liberationis opus. 2. Deinde alia hîc structura verborū & rerum, quàm in isto Esa. loco. Obijcit postremò,*alios ex Hebræo aliter legere*. Respon. agnosco aliter posse reddi, interea quamvis vox Hebraica *El* creaturis communicabilis, hæc tamen, quæ Esai. hîc addidit & congessit, tam sunt excellentia,

vt

vt vnius Dei optim. Max. ſint propria.

De ſecundo loco Ioh.20. verſ.29. ait, *ſe idem dicere, quod de primo, videlicet, non haberi ibi nomen Dei abſolutè poſitum, ſed cum adjuncto* meus, *& hoc efficere, vt additus articulus ſuam vim non retineat.* Reſp. Jam reſponſum eſse argumento præcedenti, & in tractatu argumenti 7. Claſſis 3, quo etiam refert lectorem antagoniſta. *Socin. pag. 380.*

Tertius locus eſt Act.20. verſ.28. vbi ſic Socinus, *Si nomen, Deus, ad Chriſtum referretur, contra id, quod ante diximus, Chriſtus Dei nomine, ſubjecti locum tenente, in N. Teſtam. appellaretur: ideoque exiſtimat ad Chriſtum hoc referendum non eſſe.* Reſpond. iſta hypotheſis commentitia cum ſit, parum nomenti etiam habet, quod eidem ſuperſtruitur, hoc verò illud eſt, *nomen, Deus, non ad Chriſtum, ſed ad Deum Patrem referendum eſſe, Chriſti ſanguinem ejus ſanguinem dici, eâ figurâ ſermonis & ob eam cauſam, propter quam dicitur apud Prophetam, eum qui tangit Dei populum, ipſius Dei pupillam oculi tangere; & vt ſuprà oſtenſum, in diſſolutione 9. argumenti ſecundæ Claſſis, Euangeliſtam Iohannem, ejuſdem Prophetæ verba, de ipſo Deo Patre dicta, videbunt in quem transfixerunt, ad Chriſtum accommodare.* Reſp. videantur, quæ ibi dicta, in reſponſ. noſtra ad ſolutiones iſtas. *Socin. pag. 381.*

Subdit amplius, *Chriſti ſanguinem, Dei ſanguinem poſſe appellari, præſertim conſideratum, vt fuſum pro nobis: Chriſtum eſſe Dei agnum, qui peccatum mundi tollit, conſequenter, ſanguinem hujus agni, in hunc finem effuſum, ipſius Dei ſanguinem meritò dici poſſe, non quaſi Deus hunc* *Socin. pag. 381.*

ſanguinem in ſeipſo habeat, ſed quia illum ſingulari ratione, ſicut & agnum ipſum, poſſidet, atque vt rem ſuam, vnà cum ipſo agno, pro noſtris peccatis expiandis dat.

Reſp. 1. A verborum proprietate, ſine gravi ratione, non eſſe recedendum, à quâ longiſſimè recedit Socin. hac inſolenti expoſitione ſuâ: nemo dicitur ſanguinem ſuum fundere, niſi fundat eum qui ſibi ſubſtantialis eſt: imperator aut princeps non fundit ſanguinem proprium; dum militum, aut ſubditorum ſanguis funditur. 2. Nemo qui proprium ſibi bovem mactari curat, dixerit niſi ineptè & ridiculè, ſe, dum bos ſanguinem ſuum fundit, proprium ſuum ſanguinem fundere: non dicitur ſanguis proprius, niſi poſsidenti ſubſtantialis ſit: nam ſi ſanguis rerum poſſeſſarum, propterea quod Domini ſunt, proprius ſanguis Domini eſſet, & Chriſtus, etiamſi nos ſanguine pecudum redemiſſet, proprio tamẽ ſanguine redemiſſet, quod falſum eſt, vt patet ex Hebr. 9. v. 12. 3. Cum ſint ἰσοδυναμοῦντα in ſacris, Chriſtũ ſanguine ſuo & morte nos redemiſſe; non poteſt non dura, & diſtorta æſtimari expoſitio hæc; niſi quis velit ſimul Deum Patrem morte ſuâ Eccleſiam acquiſiviſſe, quod tamen Filio ſemper appropriatur, Patri nuſquam.

Tertiò obijcit, *in Syriacâ verſione, pro Dei, legi Chriſti.* Reſp. in fonte eſſe vocem θεοῦ. Complut. editio Regij 2. & alij totidem legunt τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ. Syrus ergo interpres, non verbũ, ſed ſenſum reddidit, cum Meſſias hîc legit: Syrus enim non ſemper verborum proprietatem ſequitur,

ſequitur, ſed ſenſum quandoque paraphraſticè exprimit; locum illum Rom.3.v.25. τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων, reddit *peccata, quæ ab initio peccavimus:* ſic Rom.3.v.5. πιςεύοντι δὲ ἐπὶ τὸν, reddidit ad exprimendum ſenſum, *credidit modo in eum.* Præſumendum ergo, accedente Grecorum codicum authoritate, Syram tranſlationem non verba fontis hoc loco, ſed ſenſum reſpexiſſe; ex quâ ſimul primâ & antiquiſsimâ verſione N.Teſtam. liquet, hunc ſanguinē proprium, non Dei Patris, ſed Chriſti eſſe propriū.

Quartus locus eſt Rom.9.v.5. Ad hunc ita Socinus. *Hic locus, vt in octavo ſuperioris claſſis argumento diluendo diximus, cōmodiſſimè ita accipi poteſt, vt nomen* Deus *ad Deū Patrem referatur; niſi ea ratio obſtet, quam nos ibi attulimus: quæ etiāſi nos non parum moveat, alijs fortaſſe non probabitur: deinde ait, nomen Dei non abſolutè ibi poſitum eſſe.*

Reſp. 1. Non eſſe nobis laborandum de hac exceptione, quam cum adverſarius damnet, ex libidine contradictionis tamen obijcit. Secundò ad illud, de nomine Dei abſolutè non poſito, jam ſuprà reſponſum eſt: plura qui volet, conſulat examen octavi loci ſecundæ Claſsis.

Ad quintum locum Apocal.4.v.8, non eſt quod dicam.

Locus ſextus Joh.3.v.16. Obijcit Socinus, *in Græco deeſſe nomen Dei: Complutenſem tantum edition. conſentire cum vulgata Latinâ. Syriacum etiam interpretem reijcere.* Verùm reſpondeo, etiamſi varient codices, nō ſequitur propterea, vocem Dei hîc legendam non eſſe. 2. Hanc lectionem germanā eſſe, probatur ex circumſtantijs Socin. pag.382.

loci: in antecedentibus enim actum de Deo & Dei Filijs, 1 Ioh. 3. v. 9. 10: ita & v. 17. hūc immediatè consequente, in quo agitur de charitate in proximum, ducto argumento à charitate Dei, quo loco expressa Dei mentio fit. Excipit deinde, *etiamsi lectionem hanc recipiamus, non sequi tamen, pronomen,* illc *ad Dei non referendum esse; tum propter causas, in responsione ad duodecimum argum. superioris classis explicatas; tum quia in Græco est pronomen* ἐκεῖνος, *quod non modò eū, qui multò ante, verùm etiam eum, qui nunquam antea apertè nominatus fuerit, referre & significare potest.* Resp. Me lectorem remittere ad ea, quæ ibi disputata sunt, de pronomine relativo pag. 161, 162. 2. Quod dicit de pronimine ἐκεῖνος, nullo firmat exemplo, quod huic loco in modo isto loquendi simile, posito, pronomen *hic* ad Deum proximè nominatum referendum non esse.

Socin. pag. 384. 385.

Minore sic oppugnatâ, ad majorem revertitur, cui tertiò opponit *locum Ioh. 10, vers. 36. & istam sanctificationem, & in mundum missionem, ad Christum vt hominem pertinere, & consequenter, Christum ipsum testari, divinitatem suam, quamvis excellentissimam, non naturalem sibi esse, sed ex gratiâ sibi à Deo Patre, datam fuisse.*

Resp. Dicere quidem, at non probare Socin. sanctificationem & missionem Filij in mundū, causam divinitatis procreatricē esse: sunt causæ essendi, sunt causæ cognoscendi, vt loquuntur.

Bellarminum hîc acriter reprehendendum sibi sumit, qui Francisco Davidis, & ministris Transylvanis, obijcientibus hæc verba, ex Hilario

lario lib. 7. de Trinitate, reſponderat, *Christum voluiſſe dicere, ſi illi poſſunt appellari Dij, qui dono Dei participant deitatem, quia ſermo Dei ad eos factus eſt, vt ſunt à Deo principes aliorum conſtituti, auctoritate ab ipſo acceptâ, quantò magis ego poſſum dici verè Deus, licet homo ſim, cum Pater me ſingulari dono ſanctificaverit, id eſt ſanctum ſanctorum fecerit, in ipsâ conceptione vniendo naturæ meæ humanæ hypoſtaſin Verbi ſui.*

Longum eſſet, inquit Socin., *ſi docere velim, Hilarium, neque hæc dicere, neque ita ſentire, vt Bellarminus ait, legat, quicunque velit, verba ipſius eo loco, quem Bellarminus citavit; & videbit quàm verba ejus abſint ab eo, quod iſte eum dicentem facit. Tantùm hoc affirmo, neceſſe eſſe, vt ipſe Hilarius ait, vt omnis in Chriſti verbis de homine reſponſio ſit.*

Verba Hilarij, loco controverſo, ad quem reſpexiſſe videtur Bellarm. ſic habent. *Demonſtraturus itaq; hoc, quod ipſe & Pater vnū eſſent, ex nativitatis vſurpatum eſſe naturâ, in eo primùm ineptiā ridiculi opprobrij confutat, quum in reatū vocaretur, quod ſe cū homo eſſet, Deū faceret. Cū enim lex hujus nominis appellationem ſanctis hominibus decerneret, & ſermo Dei indiſſolubilis confirmaret hanc imperiti nominis profeſſionem: quomodo hic, quem Pater ſanctificâſſet, & quem in hunc mundum miſiſſet, blaſphemus eſſet Dei Filium ſe confitendo, cū cognominatos per legem Deos, indiſſolubilis Dei ſermo ſtatuiſſet? jam ergo non eſt criminis, quod ſe Deum, cum homo ſit, faciat: cum eos, qui homines ſint, lex Deos dixerit. Et ſi â cæteris hominibus non irreligioſa hujus nominis eſt vſurpatio,*

ab eo homine quem Pater sanctificavit (omnis enim hîc de homine responsio est, quia Dei Filius etiam hominis filius est) non inpudenter vsurpari videtur, quod Dei se Filiũ dixerit, cum præcellat cæteros, qui cognominare se non irreligiose Deos possunt, per id quod sanctificatus in Filium est, beato Paulo scientiã nobis istius sanctificationis intimante, cum ait, qui ante promisit per Prophetas suos in scripturis sanctis, de Filio suo, qui factus est ei de semine David, secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei, in virtute, secundum spiritum sanctificationis. Cessat ergo blasphemiæ crimen, quod cum sit homo, Deum se faciat; cum hoc nomen plurimis, Dei sermo detulerit, & sanctificatus ac missus à Patre, nihil aliud se, quàm Dei Filium sit professus. Non est relictus, vt arbitror, ambigendi locus, quin de naturâ nativitatis dictum sit: Ego & Pater vnũ sumus. *Nam cum Iudæi arguissent illum, quod per hoc dictum,* homo ipse cum esset, se Deum faceret: *responsio ejus confirmat, quod Dei se Filium, per id, quod ego & Pater vnum sumus ostenderit, primùm nomine, deinde naturâ, postremò nativitate.* Hactenus Hilarius: ex quibus sane omnibus, patet Hilarij mentem, revera non aliam fuisse, quã recenset Bellarm. Convenientia in sensu est, etsi non in verborum sono. Postquam Socinus Hilarij autoritatem infringere studuit; assertionem istam sanctificationis & missionis Filij, per vnionem naturæ humanæ ad hypostasin Verbi sui, tanquam absonam, & rationis sanæ judicio repugnantem, varijs strophis evertere tentat.

Socin. pag. 385. 386.

Prima est talis, ad Syllogismi formã redacta. *Quod est res diversa ab eo, qui loquitur, seq; sanctificatum*

ficatum dicit, non eſt à Patre ſanctificatum: at Verbum eſt res diverſa ab eo qui loquitur, & ſe ſanctificatum dicit. Ergo verbum non eſt à Patre ſanctificatum. Reſ. Minor propoſitio vitio laborat manifeſto; falſum eſt enim, Verbum non eſſe rem eam quæ loquitur, & ſe ſanctificatam dicit.

Secunda. *Qod eſt diverſum ab eo qui loquitur, non eſt ſanctificatum à Patre : at natura humana diverſum quid eſt ab eo qui loquitur, quippe qui naturam hanc humanam ſe habere profiteatur, quæ nullam in Chriſto per ſe ſubſiſtentiam habet; & idcirco nec loqui, nec quicquam aliud per ſe agere poſſit.* Reſp. In minore rurſum mendacium apparet, vt cum Socin. loquar; naturam humanam diverſum quid eſſe ab eo qui loquitur: conſtituit enim eum, qui loquitur: ſinguli homines naturam habent humanam; non tamen ea natura humana diverſum quid eſt ab habentibus: eadem ratione inanis ludificatio eſt, humana Chriſti natura nullam in ſe habet ſubſiſtentiam, & idcirco nec loqui, nec agere per ſe poteſt; nemo negat: at poteſt Chriſtus homo, ſuppoſitatus à Verbo, agere, loqui.

Tertiò ait, *de toto ſuppoſito Verbi, & naturæ humanæ, dici non poſſe, quod ei Verbum vnitum fuerit*: ratio ejus eſt, *quomodo enim, obſecro, fieri poteſt, vt Verbum vniatur naturæ humanæ ipſius verbi, jam cum naturâ iſtâ humanâ conjuncti?*

Reſp. Non eſt, quod hoc refutet Socinus: nemo enim tam inſipidus, qui ſentiat, duas hypoſtaticas vniones eſſe: aut *Verbum*, vt vnitum naturæ humanæ, *Verbo* vnitum eſſe, per ſanctificationem & miſſionem in mundum: & potuit

totum ſuppoſitum, quod eſt Chriſtus homo Deus, in vnitate perſonæ dicere ſe ſanctificatũ, & in mundum miſſum; etiamſi ſanctificatione & miſſione illâ hoc effectum ſit, vt tale ſuppoſitum ſit, nec vllo modo ex eo, quod de toto ſuppoſito dicitur, eſſe miſſum in mundum, conſequetur abſurdum novæ cujuſdam & contradictoriæ vnionis.

Pergit dicens, *conſideret preterea lector, quod, cum adverſarij vulgò affirment*, Verbum *vniviſſe ſibi naturam humanam, hîc, vt ſanctificationem iſtam à Patre factam, vnionem iſtam interpretentur, aliter, id eſt, contrariâ ratione loqui coguntur, & dicere* Verbum *fuiſſe vnitum naturæ humanæ: ne alioqui ex eorum interpretatione ſequatur*, Verbum *ex eo, quod naturam humanam ſibi vniverit, ſanctificatum fuiſſe: quod longè abſurdiſſimum eſſe conſtat.*

Reſp. 1. Utramque loquendi rationem vſitatam eſſe, *Verbum* vniviſſe ſibi naturam humanam, & vnitum fuiſſe naturæ humanæ. 2. Ad iſtum modum loquendi non compelluntur Orthodoxi hoc loco, vt evitent illud abſurdum, de ſanctificatione *Verbi*: nam illa ex vno modo loquendi non magis elicitur, quàm ex alio: imò verò magis ex eo, quod dicitur vnitus fuiſſe, quàm ſibi vniviſſe. 3. Non eſt abſurdum, Dei Filium ſanctificatum dicere, hoc eſt deſignatum & ſegregatum eſſe ad munus Mediatoris obeundum.

Quartò oggerit, *iſtam ſanctificationem & miſſionem ſic exponendam eſſe, vt inde comprobetur, Chriſtum naturâ eſſe Deum; hoc verò fieri non poſſe.*

Resp. Falsum hoc esse: nam liquet ex opere & actionibus, ad quas sanctificatus & missus fuit Christus. 2. Liquet ex missione Christi, quæ ita contigit, vt prius fuerit in cœlis Christus, antequam missione in mundum fieret homo, de quâ re copiosè actum, in tractatione primi argumenti 3. classis.

Ad ea, quæ adfert Socinus, contra argumentum Bellarm. ex Chrysostomo petitum. *Si non facio opera Patris mei &c.* satis, quod ad rem ipsam attinet, responsum arbitror, in examine quarti loci tertiæ classis. *Socin. pag. 387.*

Coronidis loco, in calce cap. adijcit Socinus testimonia quorundam Patrum, quos sibi adstipulantes habeat, in eo, quod simplex Dei nomen creaturis tribuatur.

Citat primò supposititium Iustini opus Responsionum ad Orthodoxos, & ex eo opere resp. 142. Verùm in istâ responsione non dicitur, in Novo Testament. Dei nomen simplex etiam creaturis tribui. Neque hoc etiam ab Augustin. in quæstionibus super Genes. quæst. 105. dicitur, nec etiam à Cyrillo. Sentit Socinus, Augustinum cautiùs locutum & magis verè, quàm Cyrillum, de vsu articuli. Cyrilli verba sunt lib. 1. in Iohan. cap. 4. *Quando cum articulo Græcâ linguâ Deus dicitur; tunc solus & propriè Deus designatur; cum verò absque articulo Deus profertur, qui ad hoc gratiâ vocatus est, intelligitur:* Augustini verba sunt. *Articulo evidentissimè solet Dei veri vnius significatio fieri: non enim dixit πρόσωπον τοῦ θεοῦ, sed dixit πρόσωπον θεοῦ: facile autē hoc intelligunt, quâ distātiâ dicatur,* *Socin. pag. 388.*

qui

qui Græcum eloquium audire atque intelligere solent. Hæc scribit Augistin. in v.10. Gen.33.vbi in Græco contextu sic legitur: sane, si sensus attendatur verborum vtriusque, sententijs convenire videntur. Atque hæc de argumento primo classis quartæ.

CAP. II. Quartæ Classis argum. *De Nomine Tetragrammato.*

NOmen tetragrammaton *Iehova*, quod semper singulare, plurale nunquam, est incommunicabile creaturis, in casu recto, vt proprium denominativum rei. Argumentum in formâ tale. *Cui competit nomen Iehova in casu recto, vt ejus denominativum proprium, est Deus ille vnus: At Christo nomen Iehova sic competit. Ergo. Assumptio probatur ex Ierem.23.v.5. Esa.40.v.3.*

Socin. pag. 390. Negat Socinus, *istis locis nomen Iehova absolutè Christo tribui: quod ad locum Esa.1. refert se ad ea, quæ dixit in responsione ad 8. & 11. argumentum.* Resp. Videat lector tractationem argumenti, quod nobis 10. primæ classis

Contra locum Ieremię excipit, *verba illa, Iehova justitia nostra, ad Israelem proximè nominatum referenda esse. Locus integer sic habet: Ecce dies venturi sunt, dictum Iehovæ, quibus excitabo Davidi germen justum, qui regnabit rex, secundabiturq; ac exercebit jus & justitiam in terra. Diebus ejus servabitur Iehuda, & Israel habitabit securè, atque hoc nomen (Hebraicè ad verbum) quo vocabit eum,*

Ieho-

Iehova justitia nostra : hanc interpretationem suam confirmat ex loco simili cap. 33. vers. 15. quem locum versio interlinearis sic reddidit. *In diebus illis, & in tempore illo, germinare faciam ipsi David germen justitiæ, & faciet judicium & justitiam in terrâ; in diebus ipsis servabitur Iehuda, & Ierusalaim habitabit in fiduciâ, & iste, qui vocabit eam, Dominus justitia nostra*: versio Iunio-Tremelliana habet : *Is autem, qui vocabit eam, Iehova justitia nostra*. Socinus aliter : *& hoc, quo vocabit eam, Iehova justitia nostra.*

Resp. Hunc locum de Messia, tum Thalmudistæ prisci, tum Chaldæus paraphrastes exposuerunt : & quamvis hodierni Iudæi verba hæc *Iehova justitia nostra*, sic detorquent : *hoc est nomen ejus, qui vocabit eum, scilicet Messiam, Deus justus noster* : non tamen negant nomine Dei tetragrammato nuncupatum in Scripturis. 2. Obstat intrepretationi Socini, rei subjectæ argumentum; continetur enim ijs verbis luculenta descriptio Messiæ, quâ, quis, quantus, qualis esset exponitur. Dicitur hîc germen justum, exerciturus jus & justitiam in terrâ : ergo & illud, *Iehova justitia nostra*, eò referendũ. 3. Quod si ad Israelem hæc referenda essent, etiam ad Iehuda, qui similiter cum Israele hîc nominatur, referenda essent : & sic non legitur, *vocabit eum*, sed *eos* justitia nostra. 4. Hanc expositionem Orthodoxam esse, evincitur ex consecuto eventu : non enim in N. Testam. Israel vel Ecclesia dicuntur, Dominus justitia nostra, sed Messias, ille enim dicitur *nobis justitia factus*, 1. Cor. 1. v. 30.

Quod

Quod ad locum illum Ierem. 33. v. 15. attinet; quem huic controverso illustrando, adhibuit Socinus. 1. Dico non legi in eo, Ierusalaim, nomine Iehovæ nuncupatam; sed quod is, qui vocaturus eam *Iehova justitia nostra*. 2. Socinus translatione suâ, addit de suo *Semon*, cum legatur nudum pronomen *Ieh*: nec sequitur, quia in altero loco legitur, & hîc legendum esse; aut per omnia prorsus idem vbique argumentum esse. Ex hisce sic dictis, simul dissolvitur consectariũ illud, quod deducit Socinus, ex sinistrâ horum duorum locorum interpretatione: hoc verò illud est. *Prius illud ad Christum referendum esse, ex hoc altero testimonio constare, vel non propterea absolutè affirmari posse, Christum Iehovam fuisse appellatum, vel certè ex tali appellatione non consequi, eum esse revera ipsum Iehovam.*

Secundò ait, *sensum istorum verborum esse; quod Iehova, ille vnus Deus noster, nos justificaturus esset: hunc sensum genuinum esse probat ex similibus Scripturæ locis Exod. 17. v. 16. Ezech. 48. v. vltimo: in istis inquit, & alijs ejusmodi locis, non tribuitur ipsum nomen Iehovæ rebus istis; sed aliquid de Iehova, per illas, aut circa illas significatur.*

Resp. 1. Nimis alienam & violentam hanc glossam: non enim Ierem. simpliciter Iehovam, Deum illum vnum, justitiam nostram fore dicit; sed germen illud Davidis fore Iehovam, nostram justitiam. 2. Ita Christus Iehova dicitur, vt justitia nostra: at justitia nostra non est, quia signum est, Deum conferre nobis justitiam, aut quia Deus confert nobis justitiam, quæ non est Christi; sed quia ipse Christus nobis

bis in justitiam est: nam germen justum est jus & justitiam exercens: & ejus justitiâ justificantur fideles: ergo hęc justitia proprium Christi nomen; ac propterea, hîc etiam nomine Iehova, tanquam sibi proprio, nominatur: taceo quod justificare opus divinum, soli & vni Deo conveniens: proinde loca alia adducta à Socino, contra duplicis Prophetici testimonij Ierem. authoritatem non concludunt: nam Socino agnoscente pag. 391. in illis locis non tribuitur ipsum nomen Iehovæ rebus istis; sed aliquid de Iehova per illas aut circa illas significatur.

Exod. 17. v. 15. legitur. *Ædificavit Moses altare, & vocavit nomen ejus, Iehova exaltatio mea*, vel, vt in fonte, *vexillum, aut signum meum*. At hoc nihil aliud est, quàm altare symbolum memoriale esse beneficiorum Dei mirabilium: nomen Iehovæ, non est altaris denominativum: nec dicitur, ipsum altare Iehovam esse, & exaltationis causam; sed eo tanquam symbolo, significabatur, Iehovam agnoscendum esse omnium causam; cui propterea gratitudo omnis deberetur. In loco Ezech. legitur, *& nomen civitatis, ex die, Iehova ibidem*: sed minimè civitas Ierusalem Iehova denominatur; sed tantùm significatur, ex Hebraicæ linguę idiotismo, Deũ in istâ civitate exstiturum: communissima enim & frequentissima verbi substantivi ellipsis, in sacris est: Gen. 1. v. 2. & 10: Psal. 25. v. 3: Gen. 42. v. 11: Zach. 1. v. 9: Gen. 6. v. 2: Esa. 57. v. 6. Esa. 46. v. 4. Nehem. 9. v. 7. Exemplum ergo hoc planè dissimile & alienum est.

Pagi-

Socin. pag. 392. Paginâ 392. acriter repprehendit Bellarminum, quasi ſcripſiſſet ille hoc loco Deum Patrem non juſtificare nos: in quo Socinus adverſarium ſibi fingit; & nihil agit: nam Bellarm. tantùm dicit, in his verbis, *Dominus juſtitia noſtra*, non de Patre, ſed de Chriſto ſermonem eſſe. Et ſic demonſtratum fuit, ex teſtimonio Ierem. Chriſto nomen Iehovæ competere.

Secundò ex re ſignificatâ, nomine Iehovæ, Chriſto competente probat Bellarm. Chriſto etiam idem nomen competere.

Socin. pag. 393. Contra illud ſic primò inſurgit Socinus. *Aut iſtud, quod de Chriſto dicitur ſignificatum à nomine Iehova, ejuſmodi eſt, vt ſoli illi vni Deo conveniat, aut non eſt. Si eſt, quid ineptius, quàm ex re ipſâ, quæ de Chriſto dicitur, non ſtatim argumentari, ipſum eſſe vnum illum Deum; ſed ex eâ prius colligere, nomen, quod eam ſignificat, Chriſto convenire, vt inde poſtmodum concludatur, Chriſtum eſſe vnum illum Deum? Si non eſt, fruſtra ex nomine, quod propter rem quam ſignificat, Chriſto convenire, Bellarm. ratiocinatur, id concludit, quod ex reipſâ concludere nequit*. Ad hoc paucis reſpondeo, hîc ſedem argumenti eſſe, ex nominibus Dei proprijs, non verò ejus quod ſumitur ex rebus ipſis; ideoque Bellarminus rectè, ex re ſignificatâ nomine Iehovæ, & Chriſto competente deducere, ipſum nomen eidem competere; vt inde porro formet argumentum pro divinitate Chriſti.

Deinde tractatur de Etymologiâ vocis *Iehova*, & locis à Bellarm. pro ſententiâ ſuâ adductis. Affirmat Bellarm. nomen illud propriè ſignifi-

care eum, qui est fons essendi, & cum non habeat esse ab alio, dat rebus omnibus vt sint. In hoc ita animadvertit Socinus. *Non revoco nunc in dubium, quamvis jure possem, istam, quam Bellarm. ait, esse propriam nominis Iehovæ significationem: non etiam ex hac ipsâ significatione concludo, Christum, seu Dei Filium, non esse Iehovam: cum certum sit, Dei Filium non esse fontem essendi, & suum esse ab alio, id est à Patre habere.*

Hîc primùm Socinus Etymologiam nominis Iehova, à Bellarmino datam, secundum communem & receptam sententiam, quasi per παρέλειψιν carpit: multis verò contrà contendit defensione animadversionum, in assertionis collegij Posnaniensis, de Deo trino & vno, eo nomine solummodo significari; constantem & firmam Dei in promissis servandis veritatem. Hanc verò Bellarm. Etymologiam rectam esse, paucis hisce rationibus demonstratur, & simul ostenditur, istam Socini significationem nimis angustam esse.

Primò autem demonstratur ex eo, quia hæc vox originem trahit ab Hebræo *fuit*, ita vt propriè notet τὸ ὄν: & peculiariter ens illud primum & sempiternum, quod à se est, & omnis entis principium & causa. Est itaque Iehova, quia est αὐτοών, αὐτόθεος, αὐτοαυτός. Nec tantùm est Iehova, quod existere facit res promissas; sed quia fons essendi est rerum omnium. Hinc Moses post narrationem de absolutè creationis opere, scripsit cap. 2. Genes. v. 4. *Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt; quâ die Iehova Deus fecit cœlum & terram.* 2. Probatur

ipſam divinam, ęternam, omnipotentem Dei eſſentiam iſto nomine deſignari, & non fidelitatem tantùm in ſervandis promiſſis, quia Deus ſe, in hoc nomine, idolis opponit, & ab ijſdem diſtinguit, Eſa. 42. v. 8: Signanter enim dicit: *Ego ſum Iehova, illud nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo; laudem meam ſculptilibus:* hîc de ipſâ naturâ & eſſentiâ divinâ quæſtio eſt, & hanc ſibi Deus aſſerit nomine Iehovæ: ſic etiam Eſa. 42. verſ. 36. 47. ſignanter ſe hoc nomine Dijs alienis opponit: Eſa. 44. in initio rurſum. 3. Opus providentiæ generalis in naturâ, quod nihil commune habet cum hac Dei veritate, in ſervandis promiſſis, Deo etiam, quà Iehova, aſſcribitur Amos. 5. v. 8. & apud eundem Prophetam cap. 9. v. 6. 4. Si Deus Iehova, non ratione eſſentiæ, ſed conſtantiæ & veritatis tantùm in ſervandis promiſſis, Iehova non eſſet vnus; nam conſtantem & veracem eſſe in promiſſis, etiam creaturis competit. *At Iehova Deus noſter, Iehova vnus eſt*, Deut. 6. v. 4.

Duo obijcit Socinus in eadem defenſione, loco allegato. Locus primus eſt Exod. 3. v. 14: *Ero qui ero*: hic ait Socinus *originem nominis, Iehova, ipſius Dei verbis expreſſam, & hæc verba, non ad ipſam Dei eſſentiam ſive eſſendi modum & rationem, ſed ad conſtantiam & firmitatem in promiſſis referendā eſſe.*

Reſp. Hoc ex loco probari non poſſe; ſed potius ſtatuendum eſt, ſub hoc nomine cognoſcēdam propoſuiſſe ęternam, omnipotentem & immutabilem eſſentiam ſuam: quia ipſe ab æterno, in æternum eſt, reſq; omnes & à ſe promiſ-

ſas

ſas exiſtere faciens. Veritas enim & conſtantia promittentis, per ſe ſumta, inefficacia prorſus, ad erigendam tantę liberationis ſpem: quapropter ſic in hunc locū annotavit Franciſcus Vatablus: *LXX. & vulgata editio, hæc in præſenti tranſtulerunt.* Sum qui ſum. *Frequens enim eſt Hebræis, futurum pro præſenti poni. Scribunt autem Hebræi, iſtâ locutione æternitatem Dei ſignificari: futurum enim tria tempora complectitur: ſicut etiam Thalmudiſtæ dicunt, verbum* Ehieh, *ero trium temporum differentias in ſe continere, præteriti, præſentis & futuri. fui, ſum, ero, aſſeruntq́ eo ſummam, omnimodā, & ſempiternam Dei ſtabilitatē; qui ſemper fuit, eſt & erit. Eſt Deus ſemper, qui nunquam cœpit, nec vnquam deſinit, ſed tranſcendit omnem rationem, tēporis, & qui ſolus dicere poteſt, ſum & ero; eſt enim ipſe omnis eſſentiæ atq́ vitæ fons & plenitudo: à quo omnia, quæ ſunt, habēt eſſe, quod ſunt: ipſe dat omnibus vitam & habitum & omnia, vt inquit Paulus Act. 17. v. 25. 28:* in ipſo movemur, vivimus & ſumus. *Quia igitur æternitas nullis finibus comprehenditur, ideo nullo tempore deſcribi poteſt: quo fit vt rectè vocetur, qui eſt, qui fuit, qui erit: nā omnia tempora, cum de Deo loquimur, confunduntur. Nomen hoc Dei Græcè expreſſit Ioh. Apoc. 1. v. 4:* dicēs ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, *id eſt ab eo,* qui eſt, & qui erat, & qui erit. *Doctus inter Hebræos, ſic locum iſtum explicat, vt primum* Ehieh, *ſit nomen Dei, alterum verò* Aſcher Ehieh *ſit ejus expoſitio: ac ſi dicat Moſes,* nomen meum ero, *ratio, quia ero in ſecula ſeculorum abſque fine. Deinde, quod ero etiam vobiſcum, vt redimam vos à tyrannide Ægyptiorum. Sunt enim pleriq́ Hebræorum*

in eâ ſententiâ, quod Deus hoc ſermone ad Moſen, non tantùm æternitatem ſuam indicare voluerit, ſed ſimul quoque indicare, ſe populo ſuo præſentem fore ope divinâ.

Secundus locus eſt Exod.6.v.2: ſic loquitur Deus. *Apparueram quidem Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, nomine Dei fortis omnipotentis, at nomine meo Iehova, non cognitus ſum illis.*

Reſp. 1. In hoc loco non dicitur, aut veritatem Dei in genere, aut ſolam Dei veritatem, in implendis promiſſis, Patribus factis, cauſam eſſe iſtius nominis, aut id, ex quo hoc firmâ conſequentiâ colligi poſſet; ſed vult ſignificare Dominus, ſe ſingulari, mirabili & diviniſſimo illo opere liberationis, populi ſui ab Ægyptiacâ ſervitute, & in terram promiſſam introductione, excellentiſſimè commonſtraturum ſe Iehovam eſſe; hoc eſt Deum æternum, immutabilem, ens illud ſummum & primum, ſuaq; etiam promiſſa maxima tandem exiſtere facientem: non hic agitur de veritate Dei, in ſervandis promiſſis in genere; ſed in ſpecie, de veritate Dei, in præſtandâ promiſſione Patribus facta, de poſſeſſione terræ Canaan. Senſus ergo non eſt, Deum nullo modo antea Patribus fuiſſe cognitum ſub nomine *Iehova*; ſed non ſic fuiſſe cognitum, vt nunc cognoſcebatur: nam aliquatenus etiam Patribus præſtiterat, quod ipſis pollicitus erat, Gen.21.v.1. Dices, ſit ita, interea firmum tamen manet, Deum non ratione æternæ eſſentiæ, omnipotentiæ, aut quia fons eſſendi, Iehovam eſſe; ſed tantùm, quia conſiſtens, vt ſic dicam, in promiſſionibus: nam robur & potentia, vel vt

alij

alij ſufficientia in vi nominis Iehovæ non comprehenditur, vt per textum hunc clarè eſt expreſſum: nam Patribus, ſub nomine fortis & omnipotentis, non verò ſub nomine Iehova fuit agnitus. Ad hanc difficultatem reſpondeo. 1. Me negare, nomine Iehovæ indicari veritatem tantùm. 2. Dico non opponi hîc inter ſe, veritatem, omnipotentiam, & tempora vtriuſque: nam omnipotentiam non exercuit Deus ſine veritate, Patrum temporibus, nec fidem, ſine omnipotentiâ, poſteris ſervavit. Quid ergo fit hoc loco? comparatio inſtituitur inter patefactionem Dei Patribus factam, & eam, quæ nunc facienda nepotibus ipſorum: quæ quia multo illuſtrior, comparatè dicit Dominus; ſe nomine ſuo Iehova Patribus non fuiſſe cognitum.

Hæc de primâ Socini animadverſione. Altera eſt. Si Deus Iehova eſt, quia eſt fons eſſendi, ſequi Filium non eſſe Iehovam, quia non eſt à ſe, ſed ab alio. Reſp. Eſt à ſe, quia Deus; habet enim eſſentiam divinam improductam, etſi, quà Filius, originem habeat à Patre.

Accedit deinde ad loca, quæ Bellarmin. attulit, vt oſtenderet rem ſignificatam, nomine Iehovæ Chriſto competere. Ea ſunt Apocal. 1. v. 4. 11: Iohan. 13. v. 19. Reſp. Quod ad locum Apocal. 1. verſ. 11. ſuprà viſum fuiſſe, alterum Bellarm. relinquo. *Socin. pag. 394.*

Tertia Bellar. probatio minoris ſyllogiſmi, facti ex nomine Iehovæ, eſt, quod nomen Iehova redditum eſt à LXX interpretibus κύριος, & ab Hieronymo Dominus, & quod Chriſtus, paſſim κύριος, ſeu Dominus abſolutè appelletur.

Socin. pag. 395. Excipit Socinus: *Nomen κύριος fere semper, cum Iehovæ loco ponitur, sine articulo esse, vt alibi à se monitum: quo commodius nomen proprium referre posset: neque enim solere appellativa nomina in Græcâ linguâ cum subjecti locum tenent, efferri sine articulo. Et Christus inquit, cum κύριος subjectivè (vt sic dixerim) appellatur, fere semper articulus præponitur nomini isti: quapropter hoc argumentum sic sibi retorquendum putavit. Cum nomen κύριος, quando Iehovam significat, fere semper sine articulo efferatur: quando verò Christum, fere semper cum articulo; satis constare posse, Christum non esse Iehovam, & quod κύριος nominetur, minimè propterea Iehovam nominari.*

Resp. 1. Ad hoc responsum satis, in secundo argumento tertiæ classis. 2. Non potest non infirma hæc retorsio Socini, ipso Socino judice, judicari, qui suprà reprobabat argumentum à nomine Dei, pro divinitate Christi: quia arbitrabatur Berllarmin. statuere, sine exceptione perpetuum non esse, nomine Dei non vocari, nisi Deum verum: nam verba ejus sunt pag. 373. *Atqui non satis est, perrarò fieri, vel dubitari, an vnquam fiat, si inde argumentari quis velit, Christum, qui absolutè Deus, in Scripturâ vocatur, esse illum verum Deum.*

Socin. pag. 396. Postremò obijcit *angelos nomine Iehovæ appellatos, cum Iehovæ personam aliquâ in re sustinent, qui tamen Christo multo inferiores.* Verùm negatur, angelum creatum appellari Iehovam.

CAP.

CAP. III. Quartæ Classis argum.
De nomine, Altissimus.

ARgumentum sic habet. *Qui in Scripturis vocatur altissimus, est Deus ille vnus: Psal. 83. v. 1. At Christus sic vocatur:* Luc. 1. v. 76: Philip. 2. v. 9: Rom. 9. v. 5. *Ergo.*

Negat minorem Socinus, & ad singula loca paucula adfert, quæ breviter transcurram; quia quæ hic attinguntur, satis fusè in antecedentibus disputata sunt. Locus Luc. 1. v. 76. examinatus, quantum & ad rem præsentem satis esse potest, in argumento apud nos 10. classis primę, & secundo tertiæ. De loco ad Philip. & Rom. satis etiam in superioribus est visum: & potest ex ijs facilè formari responsio ad ea, quę hîc adferuntur, cum nihil contineant novi. *Socin. pag. 397.*

CAP. IV. Quartæ Classis argum.
De Nomine, Invisibilis.

HOc argumentum transeat, prę̨stat enim vti ijs, quæ magis stringunt, salvo meliori judicio: neque enim expresse legitur, Christum esse invisibilem.

CAP. V. Quartæ Classis argum.
De Nomine, Deus gloriæ, sive Rex gloriæ.

QUintum nomen est, Deus gloriæ, seu rex gloriæ. *Qui est Dominus gloriæ, seu rex gloriæ, est vnus ille verus Deus Israelis*; nam de Deo illo vno dicitur: *Deus gloriæ apparuit Patri nostro Abrahæ* Act. 7. v. 2. quod omnes intelligunt de Deo Israel. *At Christus est Dominus & rex gloriæ*, teste Paulo 1. Cor. 2. v. 8. & Psal. 24. v. 9. Ergo.

Ad prius propositionis membrum, in quo dicitur : qui est Dominus gloriæ, est Deus ille vnus, excipit hoc pacto. *Aliud*, inquit, *est Deus gloriæ, aliud Dominus gloriæ : præsertim cum certum sit, vocem gloriæ, in vtraque istâ appellatione, ex Hebraico idiomate, idem valere, quod gloriosus. Nam Deum & Dominum omnino differre, licet aliquando pro eodem accipi videantur, docet manifeste Paulus, qui non semel disertè inter Deum & Dominum (idque cum Domini nomine ipsum Christum intelligeret) de eadem re loquens, & ejusdem rei ratione, distinguit*, nempe 2. Cor. 8. v. 6. & cap. 12. v. 5 : Eph. 4. v. 5. & 6.

Resp. 1. Etsi Deus gloriæ, & Dominus gloriæ, in formali conceptu, vt loquuntur, differunt; subjecto tamen hęc duo non distinguntur, nam qui Deus gloriæ est, Dominus gloriæ est, & vice versâ : illa autem duo, præsertim propter Hebraicum idiotismum vocis gloriæ, distingui debere, sine ratione affirmatur. 2. Etiamsi Apostolus Paulus aliquoties Patrem, nomine Dei, Iesum Christum, nomine Domini indigetat; non tamen Patrem, sine dominio Deũ; aut Iesum Christum, sine divinitate esse Dominum censuit, aut Christo Domino Patris divinitatem non competere, eo indicavit : nec dominium Filij, re & essentiâ distinguitur à divinitate Patris. Christianismus enim vnum Deum & Dominum habet, gentilitiæ idolorum multitudine oppositum, vt ostensum in 12. argumento 3. classis pag. 162.

Primò contrà assumptionem excipit, *nonnisi allatâ Patrum quorundam authoritate, probari,*

hunc Psalmum de Christo accipi debere.. Resp. Cum hic Psalmus disertè Propheticam vaticinationem contineat, de glorioso Dei adventu & regno, quo passim solent viri sancti indicare Dei & redemptoris nostri Iesu Christi salutare regnum, omnino Psalmi hujus argumentum de Christo exponere consentaneum est, cum nullæ rationes afferri possint in contrarium.

Secundò excipit, *non probari ab adversarijs, quod nomen istud, Rex gloriæ, illius unius Dei nomen sit.* Resp. probationem hujus rei ex Psalmo apertam esse; nam major propositio est ipsa Psalmi assertio, vers. 8, *quis est rex gloriæ? Iehova robustissimus, & potentissimus: Iehova potentissimus bellator*: Minor etiam in hoc Psalmo est, cum Psalmus sit didascalicus, de Christo rege & ejusdem regno. *Socin. pag. 402.*

Altera exceptio contra majorem est: *hæc non referri ad Christum tanquam ad eum, qui sit ille ipse Iehova, de quo ibi nominatim agitur, sed tanquã ad eum, in cujus personâ, licet diversæ essentiæ ab ipso Iehova, id impletum fuerit, quod de Iehova ibi prædictũ fuit: propter eas causas, quas suprà, in responsione ad aliquot argumenta primæ & secũdæ Classis, attulimus*. Resp. de istius exceptionis valore judicium fiat ex ijs, quę ibidem disceptata sunt.

CAP. VI. Quartæ Classis argum.

De nomine, Rex Regum, Dominus dominantium.

ARgumentum ab hoc nomine formatum, sic habet. *Qui est Rex regum, & Dominus dominan-* *Socin. pag. 403.*

dominantium, est Deus ille vnus, vt probatur ex primâ ad Timot.6. verſ.15. At *Christus est Rex regum, & Dominus dominantium. Ergo.*

Hoc argumentum deſumitur ex verbis Pauli 1.Tim.6.v.15: vbi verba Pauli ſic habẽt: *Quę temporibus ſuis oſtendet ille beatus, & ſolus princeps, Rex ille regum, & Dominus dominorum.*

Socinus primò quędam obijcit contra illa verba, *ſolus potens, & ipſam vocem, ſolus,* cum tantùm locus ille revera ad præſens argumentũ pertineat, quatenus Deus ille vnus, in eo Rex regum & Dominus dominantium aſſeritur: reſpondebimus tamen ad ea etiam, quæ extra ſcopum adfert.

Objectio itaque prima eſt. *Vocem, ſolus, in iſto Pauli teſtimonio, non jungi, niſi nomini, potens; quia in Græco nomen, Rex regum, habet articulum, qui prohibet, quo minus vox, ſolus, cum eo jungi poſſet.* Reſp. hoc tam facile reijci quàm afferri: quia nullâ ratione probatur. Mat.16.v.16, Filius Dei cum articulo dicitur, & tamen refertur hoc ad antecedens illud, *tu es*: ſic & hoc loco v.17. παρέχοντι cum articulo legitur; & tamen vox, Deus, quæ anteceſſit, cum eo jungitur.

Secunda; *cum vox iſta manifeſtè jungatur nomini, potens, ſequi inde, ſi adverſariorum ratiocinatio bona eſſet, de multis verè dici poſſe, quod vnuſquiſque illorum ſit ille ſolus verus Deus, invenitur enim, inquit, iſtud nomen, δυνάστης, multis tributum.* Reſp. primò, vt dixi, hæc ad rem non facere. 2. Potentiam κάτ᾽ ἐξοχὴν ſolius Dei eſſe.

Socin. pag. 404. 405.

Quod autem ad argumentum ipſum, ex nomine *Rex regum, Dominus dominantium*, excipit

negando

negando majorem, adjuncto etiam nomine, solus. Summa exceptionis est, *Deum illum, vnum, solum, Regem regum esse, quia à seipso est; Filium, quia Patris dono, vt apud Daniel cap. 7. v. 13. 14. Deinde, Deum illum vnum, cum articulo dici* Regem regum, & Dominum dominantium, *apud Paulum, de Christo sine articulo legi* Apocal. 17. v. 14. Apocal. 19. v. 16.

Resp. de hujus exceptionis momento judicium faciendum ex ijs, quæ in antecedentibus dicta, & disceptata sunt aliquoties: nam eo sensu, solus Deus ille vnus *Rex regum* & *Dominus dominantium* est, quo solus est Deus. Articulatus hîc rursum Socinus: qui nihil non, tum appositione, tũ omissione articuli molitur; sed quàm frustra, sæpissimè jam commonstratum: quare nihil est cur hic rursum ad articulum objectum respondeamus.

CAP. VII. Quartæ Classis argum. *De aliquot alijs Dei nominibus.*

SEptimum vnius Dei illius nomen proprium est *Unus Dominus*, vt patet ex Deut. 6. v. 4. *Audi Israel, Dominus Deus tuus Dominus vnus est. At de Filio hoc dicitur,* 1. Cor. 8. vers. 6. Hîc adversarius sic objicit, *cum Transylvani hoc nomen vnius Dei Patris propriũ dicunt, intelligunt junctum cum nomine Deus, vt testimonia ostendunt, quæ ad id probandũ afferunt: ostendimus autem suprà, aliud esse Deum, & aliud Dominum: in quo mira est confidentia Bellarmini,* qui

De nomine unus Dominus.

Socin. pag. 406.

qui non tantùm eo testimonio vtitur, quod nihil ad rem facit, sed inde illud sumit, vbi expreßè, non solum inter Deum & Dominum distinguitur, sed etiam ipsorum Transylvanorum dictum apertè comprobatur.

Resp. Sit ita, nam in idem recidit, sive dicas, vnus Deus, sive, vnus Dominus: etsi enim in Deo, dominium & deitas, modo significandi formali differunt; à parte tamen rei idem sunt; nec Deus, quà Deus, excellentior est, quàm quà Dominus: neque majore Bellarm. hîc vsus confidentiâ, quàm decuit, quod vsus testimonio, in quo verbis conceptis habetur id, quod hîc in quæstione, Christum nempe esse *vnum Dominum:* & Socinus hîc contra titulum vniùs Dei, non vnius Domini argumentatur, cum tamen contra titulum vnius Domini hîc agere debuisset. Sed dato, etiam hîc controversiam esse, an Christus dicatur vnus Deus: id nihilominùs, per bonam consequentiam, ex loco hoc ad Corinth. concluditur, nam, vt ex Patris deitate rectè evincitur ejusdem dominium; ita ex dominio Filij deitas ejusdem, quod Socin. & sectatores ejus non diffitentur, qui potissimam Filij divinitatem in cœlesti ejus dominio collocant.

De nomine, Deus verus.

Ad hoc sic Socinus. *Proferunt locum. 1. Ioh. 5. v. 20. Hic est verus Deus, vt probent, Christo nomen veri id est veri Dei attribui; sed nos ista Iohan. verba de Deo Patre accipienda esse, antea docuimus: & alioqui fatemur omnes, Christum meritò, nomine* Veri Dei *appellari posse.* Resp. videatur hac de re, in examine loci Ioh. Deinde

Socin. pag. 407.

Scripturæ

Scripturæ unum verum Deum prædicant: numerus dualis hîc Socini figmentum Ethnicum est.

De nomine, solus Deus & Dominus.

Hoc nomen, solus Deus & Dominus, extat Epistol. Iudæ v.4. ubi hæc ita Complut. μόνον θεὸν, καὶ δεσπότην, τὸν κύριον ἡμῶν: quæ lectio non parum confirmat, hoc totum ad Christum referendum esse: sic sæpe legitur Deus & Pater, & tamen vna, non duæ personę intelliguntur, vt: Rom.15.v.6: 2.Cor.11.v.30: Eph.1.v.3: Eph.4.v.6: Col.1.v.3. Propterea nulla in hac interpretatione inconcinnitas, aut sermonis absurditas, prius appellare Iesum Christum, solum herum Deum, & postea Domini nostri, tamquam diversâ appellatione eum insignire; nam similis ratio loquendi in locis jam allatis extat. At obijcit adversarius, *plus esse, esse solum herum Deum, quàm Dominum nostrum; & totum hoc in illo apertè contineri.* Resp. primò, si detur hoc plus esse, nihil hinc extrui poterit. Secundò meritò negari, plus esse, herum esse, quam dominum esse, nam dominium particulare in Ecclesiam, non est minus illustre dominio vniversali in res omnes. Tertiò posterius continetur in priore, vel vt in suo toto, si prius de dominio vniversali, posterius de particulari accipiatur, vel posterius prioris exegeticum, aut ejus synonymum; solent enim plura in eandem significationem quandoque conferri, ad evidentiorem & majorem rei demonstrationem: ejus rei exemplũ habemus in loco ad Timoth.1. cap.6. vers.15; nam hoc, quod *Rex regum*, satis etiã continetur in eo, quod *solus potens*, & quod

Dominus

Dominus dominantium, continetur in eo, *quod Rex regum*. Accedit, quod perpetuum, ni fallor, in N. Test. sit, quando Deus & Pater de vno & eodem subjecto legitur, sine repetitione articuli legi & connecti; quãdo autem sermo de Deo Patre & Christo instituitur, tum articulum repeti. Et cum agnoscat adversarius, ex communi vsu Grecæ linguæ, ad vnam personam hec esse referenda, quia vnus tantùm in Græco articulus est; sane æquum est, magis hæc verba exponere secundum regulã communem, quàm secundum extraordinarium exemplum illud ementium & vendentiũ Mat. 21. v. 12. Mar. 15. v. 15: Luc. 19. v. 45. De loco ad Ephes. 5. v. 5, res non est in confesso, nam doctissimus Beza (quem annotationes ejus Græcæ linguæ peritũ fuisse virum satis ostendunt) ad hunc locum sic scriptũ reliquit. Et notandũ est, nõ scribi καὶ τοῦ θεοῦ, sed vnico articulo τοῦ, subijci nomina χριστοῦ & θεοῦ, qui locus manifestè convincit Arianos.

Socin. pag. 408.

De nomine, magnus Deus.

Locus est Tit. 2. vers. 13: *Exspectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Iesu Christi*. Ad hunc locum lib. 8. preteritorũ πολύγλωσσος Drusius, ita annotavit. *Non solùm Deus, sed etiam Deus magnus vocatur hic Christus. Cur igitur horrent, illum Deum appellare novatores? Homo divinus est, inquiunt, non Deus propriè. Phi τῆς ἀσεβείας. Tune audes negare, quod Scriptura tam clarè asseverat? Quod si non est verè Deus, nec adorandus igitur nobis est. Apagite, qui contra jus, & oculos tandem aperite, vt solem, in ipso meridie lucentem, clarè cernatis, videatis*. Et sanè, summo consensu antiquitas hunc

hunc locum de Christo exposuit. Unicus Ambrosius opponitur, cui commentaria in Epistolam ad Titum, tribui dicit Socin. pag. 410: quibus verbis, dubiam sibi fidem indicat: Erasmus sane, multa passim adulterina & barbara infarta esse ejusdem commentarijs conqueritur.

Primum argumentum, quo probant Bellarm. & Wick. hoc ad Christum referendum esse, est quod articulus vnus, vtrique nomini adjunctus, de quo jam dictum. Alterum argumentum petunt ex re subjectâ, de quâ agitur, quia Deus Pater non exspectatur venturus; sed Filius. Adventũ gloriæ, ex idiotismo Hebraicæ linguæ exponere adventum gloriosum convenientissimũ est, & phrasin Hebraicã hîc agnoscendã esse; ex eo inter alia suadetur, quod Dei Patris gloria nusquã in sacris ventura dicitur: nam aliud est, ipsam gloriã venturã dicere, & adventũ ejus ab adventu Domini nostri Jesu Christi distingere, & distinctè recensere, (quod hîc factũ, si sermocinatio adversarij hoc loco, tamquã vera admittatur) aliud dicere, Christũ venturum in gloriâ, id est cũ gloriâ Patris sui, quod in locis, Mat. 16. v. 27. Mar. 8. v. 38. tantummodo affirmatur. Socin. pag. 410.

Secundò ait Socinus, *quod vox παρουσία, quæ hîc & alibi vulgò in N. Testam. reddita est, adventus, magis propriè præsentiam significet, licet aliquando pro adventu vsurpetur: Dei verò Patris gloriam præsentem futuram vnâ cum Christo, quando is vnicuique reddet secundum opera sua, quis negare audebit?*

Res. 1. In Gręco nõ esse παρουσίαν, sed ἐπιφάνειαν, & quãvis παρουσία magis propriè pręsentiã quã adventum

adventum significat; si tamen usum vocis spectes, & verbi πάρειμι, unde nomen παρȣσίας derivatur, promiscuè in vtraque significatione apud Græcos vsurpatur: sic Æschines dixit, Philippum è Thraciâ venientem offendimus πάροντα: & cum hæc παρȣσία in sacris vsurpatur, sæpius de patefactione Jesu Christi, ad vniversale totius orbis judicium; nihil convenientius, quàm πάρȣσίαν illam adventum exponere; cum Christus, non nisi adventu suo, præsens futurus sit ad judicium mundi. Quamvis verò Christus, Dei & Patris sui gloriâ tum illustrissimus erit; nusquam tamen distinctè prędicitur παρȣσία gloriæ Patris & Salvatoris Iesu Christi, sed ipsius tantum παρȣσία in gloriâ futura dicitur.

Tertiò obijcit, *absurdum videri non debere, si Deus Pater venturus dicatur, cum Christus veniet orbem terræ judicaturus; quia Christus in mundo judicando, Dei Patris personam sustinebit, tanquam ejus, à quo munus hoc adeptus fuerit, & cujus nomine illud administret, quod probat ex Ioh. 5. v. 27. & Act. 17. v. 31. Meritò igitur, inquit, cum Christus ad hoc judicandi munus obeundum veniet; Deus Pater venire dici poterit.* Addit ibidem. Vide autem, quæ de Deo veniente, etiamsi in propriâ suâ personâ ipse non veniat, ex sacris literis docuimus suprà, in respons. ad tertium argum. secundæ Classis.

Socin. pag. 411.

Resp. 1. Nusquam docetur Deus Pater venturus ad judicandum vivos & mortuos, sed semper Filius. Ergo nec hoc loco id sentiendũ. 2. Christus non tantùm Patris judicium exercebit;

bit; ſed & ſuum : nam leges, ſecundum quas feret ſententiam, ejus ſunt vt Domini, & legiſlatoris ſupremi : crimina, quæ judicabit, tam commiſſa adverſus Chriſti, quàm Dei Patris legem. Ergo non Patris ſui tantummodo; ſed & ſui ipſius negotia geret, cum judiciariam poteſtatem exercebit. 3. Durum & aſſurdum eſt dicere, duarum perſonarum adventus hîc deſcribi & recenſeri, & ſimul ſtatuere, vnam tantùm adventuram; alteram autem adventuram dici; quia ea, quæ adventura eſt, ab alterâ illâ poteſtatem accepit adveniendi, ad exequēdum aliquod munus. Hæc ſane admodum diſtorta interpretatio eſt, in tam diverſo imò adverſo ſenſu, παρυσίαν Deo ac ſervatori ſimul tributam exponere. Senſus communis huic detorſioni vehementer obſtat: ſi dicam, Rex & legatus ejus, Princeps & judices ejus venturi; nemo aliter quàm de adventu proprio, in perſonâ propriâ, hoc interpretabitur : ſi dicam, Dominus & ſervus ejus venient; adventus duorum, non vnius exſpectabitur. Futilis itaque hæc evaſio Socini : quæ verò de Deo veniente diſputata ſunt, alibi videantur, cum reſponſione noſtrâ ad illa.

Hujus argumenti defenſionem non ſuſcipio: dicere tamen aliquid ad illum locum Eſa. 9. qui primus inter eos, quos hîc attulit Bellarm. non inconſultum videtur. Vocem *Gnad*, interpretatur Socin. *futurum ſeculum, & æternam vitam*; ſed nulla eſt cauſa, cur iſta vox ad æternam vitam reſtringatur, Socino præſertim, qui vitam æternam à nemine annuntiatam putat, niſi ab

De nomine, Pater omnium

ipſo Chriſto, munus ſuum obeunte in terris: juxta hanc autem Socin. expoſitionem, perſpicua ſatis hoc dicto Prophetico annuntiatio æternæ vitæ continetur. Dico ergo transferri poſſe *Patrem æternum*, qui æternum habet imperium, & gratiam ſuam in ſempiterna ſecula extendet: Sym. certè & Theod. ſimpliciter tranſtulerunt πατὴρ αἰῶνος: Aquila vertit πατὴρ ἔτι, quæ ſane tranſlatio valet idem, quod Pater æternus: ita & Chaldæus paraphraſtes, vir manens in æternum.

CAP. I. Quintæ Claſſis argum.

De attributo æternitatis.

QUarta argumentorum claſſis ſic fuit; ſequitur quinta, in quâ de proprietatibus, & attributis Dei agendum.

Argumentum eſt tale. *Qui eſt ſubſiſtens ab æterno, eſt Deus ille unus: at Chriſtus eſt ſubſiſtens ab æterno.* Minor confirmatur ex Prov. 8. v. 2. 25. Mich. 5. v. 2: Ioh. 1. v. 1. 1. Ioh. 1. v. 1. 2. 3. Ioh. 8. v. 58: Ioh. 17. v. 5: Heb. 7. v. 3: Heb. 13. v. 8: 1. Ioh. 5. v. 20. Proſyllogiſmus ex loco Prov. ſic habet. Qui eſt ſapientia à Deo acquiſita & genita ante ſeculum, ſive principium, ille eſt æternus à parte ante, & ſubſiſtens ab æterno. At
Socin. Chriſtus eſt illa ſapientia. Ergo.
pag. 414. Objectio prima *Socini* contra minorem eſt:
415. 416. *Salomonem ſapientiam iſtam Dei ſapientiam non*
417. *vocare: ſed ſimpliciter ſapientiã:* hoc obijcit Socin.
quia

quia Bellar. produxerat locum illum ad Cor. 1. cap.1.v.24 : in quo Christus crucifixus, Dei potentia ac Dei sapientia dicitur. Verùm quamquam hîc sapientia Dei, ibi verò, nempe in loco Prov. sapientia, sine denominatione istâ appellatur, id nequaquam ratiocinationem Bellarm. invalidam facit : illa enim sapientia, de quâ Salomon in loco controverso ; non alibi, quàm apud Deum residebat ; cujus rei ; vt alia omittam, illud plus quàm apertum indicium est, quia, antequam rerum creatarum quicquam esset, nihil erat, nisi increatus Deus.

Locus Prov.8: expenditur.

Objectio secunda adversarij contra vtramq; prosyllogismi facti propositionem tendit. Ea verò est; *hanc sapientiam non esse personam subsistentem, sed esse sapientiam in genere, & in abstracto consideratam, & Salomonem de eâ, per prosopopaiam loqui, quod probat locis nonnullis, ex varijs capitibus ejusdem Salomonis.* Ad quod generatim respondeo, nobis de hoc loco Salomonis controversiam esse, quicquid tandem de alijs locis sit.

Objectio tertia est : *verba, quæ de se sapientiam hîc dicere adversarij arbitrantur, intelligentiæ potius tribuenda esse; de quâ inquit cap. 7. & in hujus 8. cap. initio, vt de re, à sapientiâ aliquo modo diversâ verba fieri, vtramque, dicit, simul loquentem inducit à v.4. vsque ad v.12 : ibi separatim sapientiam loqui, vsque ad dimidium v.14. tum intelligentiam separatim loqui incipere:* & sic etiam hæc objectio contra majorem tendit, in quâ non intelligentia, sed sapientia continetur, & contra minorem, in quâ Christus asseritur hæc Dei sapientia, ante principium genita ; cum hoc

 non

non ſapientiæ ſed intelligentiæ ſit: conſequenter concludit adverſarius, ex loco hoc *Chriſti æternitatem non probari, cum non Dei intelligentia, ſed ſapientia dictus fuerit.* At brevis & facilis reſponſio eſt, ſapientiam & intelligentiam apud Salomonem non diſtingui realiter: ſapientia intelligentia, intelligentia ſapientia eſt: ſapiendo intelligunt, & intelligendo ſapiunt homines Salomoni: quæ res tam eſt manifeſta, vt probatione non indigeat.

Objectio quarta. Verba illa majoris, ante ſeculum, attingit. Hîc ita adverſarius, *à ſeculo, non æternitatem, ſed magnam aliquam antiquitatem, reique primum initium declarat: quo poſito, infert, etiamſi intelligentia iſta, ſeu mavis ſapientia Chriſtus eſſet, non tamen hinc ſequeretur, Chriſtum fuiſſe ab æterno, ſed tantùm in ipſo primo initio rerum creandarum.*

Socin. pag. 118.

Reſp. Verum quidem eſſe, vocem Hebræam *Gnolam*, non ſemper æternitatem; ſed etiam magnam antiquitatem, & rei initium declarare; at hoc non eſt perpetuum, vt hîc ſtatuit Socinus; ſed variat hujus vocis ſignificatio, ſecundum diverſitatem materiæ ſubjectæ: nam & Dei æternitas, cujus nullum eſt initium, iſtâ voce ſignificatur, Pſalm 90. v.2: *Priuſquam montes naſcerentur, & formares terram, & orbem, & à ſeculo vſque ad ſeculum, tu Deus*: Deus autem vt finis, ita & initij expers eſt. Ut ergo iſta vox de Deo vſurpata, & de ejus exiſtentia enuntiata, æternitatem ſimplicem declarat: ſic etiam circumſtantiæ hujus loci, & phraſes hoc loco vſurpatæ, ſignificationem æternitatis ſimplicis poſtulant:

ſtulant: nam & Dei æternitas, & decretorum Dei, ſolet eâ ratione ſignificari, quâ hîc ſapientiæ antiquitas ſignificatur, vt Pſalm 90. verſ. 2. jam citato: ita Pſalm 102. v. 26. Dei æternitas à parte ante, præceſſione rerum omnium ab ipſo creatarum exponitur. Sic ſane decretorum Dei æternitas, non aliter exponitur nobis, quàm quod ante jacta mundi fundamenta facta ſunt. Math. 25. v. 34: Eph. 1. v. 4: 2. Tim. 1. v. 9: in quibus loquendi modis, benignus Deus captui humanæ imbecillitatis ſe accommodat: nos enim illam abyſſum æternitatis penetrare non poſſumus, neque melius eam concipere, quàm per relationem quandam, ad rerum creatarum primordia: quapropter, aut ex hujuſmodi loquendi modis æternitas agnoſcenda eſt: aut ne quidem ipſius Dei æternitas Scripturę teſtimonijs comprobari poterit. Nec prætereundum hoc loco, quod ſapientia, vt recenſet Socinus, à Salomone non tantùm dicitur, in rerum creatarum initio fuiſſe; ſed & diſertè dicitur ibidem, *ante opera ejus, antequam montes defixi eſſent*: nec fas ſane cogitare, ſapientem Deum unquam ſine ſapientiâ fuiſſe.

Objectio ejus quinta generationem, de quâ ſimiliter major agit, impetit. Ea verò eſt: *non eſſe de ipſâ ſapientiâ ſcriptum, eam genitam eſſe: locum habere, parturiebar, non autem gignebar: & qui verbum iſtud, parturiebar, Dei Filio accommodant, non longè, Homouſianorum ipſorum judicio, à Turcarum blaſphemiâ abeſſe, cenſendos eſſe: qui inquit, cum audiunt Chriſtianos dicere, Deum habere Filium, interrogant, ecqua vxor Dei fuerit.* Dein- *Socin. pag. 419. 420.*

 de

de ait, *idem Hebraicum verbum*, quod hîc legitur Psalm 89. v. 2. terræ accommodari, & Latinè redditum esse formandi verbo. Siracidem Salomonem, in sapientiâ seipsam commendante inducendâ, imitantem, quamvis ab ipso initio sic ipsam loquentem fecisset Eccl. 24. *Ego ex ore altissimi prodij*; tamen ejusdem cap. 1. v. 12. & 14. eam dicentem facit se à creatore omnium fuisse creatam; & totum hunc Salomonis locum, vbi de sapientiæ antiquitate agitur, paucis verbis exprimentem sic habere. *Ante secula, ab initio creavit me*, vt quidem Græcè legitur. Ex eo apparere, ipsum, sub nomine sapientiæ, non fuisse locutum de Filio aliquo æterno, nec, Salomonē similiter locutum esse, sensisse.

Resp. 1. Radicem Hebraicæ vocis significare, propriè nisum parturiendi cum dolore, vt exposuit Pagnin. cum quo consentit Valentinus Schindlerus, qui in Lexico suo Hebraico, interpretatur, doluit, parturivit, peperit. Propriæ significationi agnatæ & affines sunt voces concipiendi, gignendi, quibus hæc vox passim reddita ab interpretibus, exempli gratiâ Psalm 51. v. 7. *In iniquitate formatus, conceptus sum*: Scriptura formale discrimen vocum non captat subtiliter. Aq. & Theod. verterunt ὠδινήθην : Sym. ἐμορφώθην : LXX. verò γεννᾶμε. 2. Significationem propriam vocis parturiendi, nemo hîc fingit, aut Deum more hominum, aut aliorum animantium parturire. Quod si Turcæ, cum de generatione Filij Dei audiunt, ita blasphemant, in eo aut brutum suum stuporem produnt; aut animo maligno calumniantur. Nec orthodoxa sen-

tentia ad Turcarum accedit blaſphemiam, vt non ſine blaſphemiâ Socinus, ſed ipſius potius, & eorum omnium, qui ejus partes ſequuntur, ſententia. Quæ enim veſtra fides; aut potius hęreſis Socine, quâ, tanquam teſſerâ & elato vexillo, vos ab alijs omnibus dignoſci vnicè cupitis, annon hæc? Neminem alium, præter Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe illum vnum Deum Iſraelis: hominem autem illum, Ieſum Nazarenum, qui ex virgine natus eſt, nec alium præter, aut ante ipſum, Dei Filium vnigenitum eſſe. Quod ſi ergo Turcæ blaſphemant interrogantes, vt ſuprà: tum viderint Racovienſes, qui Dei Filium genitum in Dei Filium ſentiunt, mixtione ſeminis à Deo creati, aut immiſſi vtero virginis Mariæ cum ejuſdem virginis ſemine, & propter hoc naturalem & vnigenitum Dei Filium confitentur. 3. Terræ & orbi hæc vox, ſecundum propriam ſignificationem, accommodari non poteſt, vt res ſubjecta ſatis arguit, ideoque hoc impertinens eſt. 4. Siracidem de ſapientiâ increatâ egiſſe, vt de ea hoc loco agitur, non probatur, taceo, quod liber iſte Apocryphus, & iſtius ſapientiæ creatio dici poteſt ante ſeculum facta, ratione decreti, & præordinationis divinæ.

Sexta objectio agit de loco ad Corinthios: vbi Chriſtus Dei ſapientia vocatur: qui locus à Bellarm. fuit adductus, ad probandum Chriſtũ eſſe æternam & ſubſiſtentem Dei ſapientiam: quod ex illo loco ad Corinthios non probatur directè, in quo Chriſtus, ratione mortis ignominioſæ, Dei ſapientia dicitur; quia Deus per eam

nos ad æternam salutem promovet: interea tamen simul verum est, Christum Dei sapientiam, in nobis servandis, per mortem crucis esse; quia subsistens Dei sapientia, & Dei Filius est.

Postremò sic argumentatur antagonista. *Si Christus non est sapientia Dei essentialis, accidentalis igitur est. At Christus non est sapientia Dei essentialis. Ergo.* Resp. Ad minorem. Christus non est sapientia Dei essentialis, secundum relationem originis cõsideratus: est sapientia Dei essentialis, consideratus absolutè. Vel, est quà Deus, non quà Filius, absolutè, non relatè conceptus. Vitiosum est ergo hoc adversarij dilemma, quia datur tertium. Christus enim quà Filius, est sapientia hypostatica. Mox *alterum dilemma opponit. Christus sapientia Dei genita, aut in ipso Deo, aut extra Deum: si in ipso Deo, quomodo non erit sapientia Dei essentialis?* At resp. per datam jam distinctionem, hanc etiam bifurcatam ejus rationem confractam esse: neque sic respondentes, vt putat adversarius, principium petimus, pro concesso sumentes, in vno Deo esse plures personas: nam inter genitum & generantem, agnoscenda distinctio personalis: hoc autem loco, sapientia à Deo genita asseritur. Secundò neque in eo, vt similiter obijcit, principium petimus, quod, positâ personarum pluralitate, vnam tamen ex istis personis, simplici Dei nomine significari posse arbitramur: nam hoc ipso loco, cum sapientia genita dicitur, personæ tamen gignenti hoc nomen appropriatur: ad Hebr. 1. vers. 9. tum Pater, tum Filius, simplici Dei nomine insigniuntur.

Socin. pag. 422.

Tertiò

Tertiò obijcit, petitionem principij esse, *quod asseratur, cum Paulus Christum Dei sapientiam appellat, istam vnam personā ibi Dei nomine significatam, esse ipsius Christi Patrem.* Resp. de hoc loco me non contendere.

Hunc locum examinavimus in argument. primi tertię classis tractatu, & ab adversariorum effugijs, quantum quidem per Dei gratiam potuimus, vindicavimus. Itaque impræsentiarum tantùm id attingam, quod in objectionibus, ibi allatis, non fuit discussum. Obijcit ergo Socin., vitiosam esse consequentiam, quæ formatur ex hoc loco, pro æternâ Filij generatione: *quia,* inquit, *ipsius rationis vi, concluditur, non solùm de verâ nativitate vtrobique agi, sed etiam de eadem nativitate: posteriora enim verba, cum vtrobique sit idem vocabulum, id est ab eodem fonte derivatum, sive, vt Grammatici Hebræi loquuntur, ab eadem radice ductum, ad priora omnino referuntur: quare si verba ista, quæ in latino codice leguntur,* à diebus æternitatis, *significant ab æterno, seu ab omni æternitate; sequitur, nativitatem Christi in oppido Bethlehem fuisse ab omni æternitate: (quod nimis quàm falsum & absurdum est) non autem quandam aliā veram Christi nativitatem, præter eam quæ in oppido Bethlehem fuit, ab omni æternitate fuisse.*

Locus Mich. 5. v. 2. Socin. pag. 323. 424. 425.

Resp. 1. De verâ nativitate vtrobique agi, ostensum arbitror dicto loco. 2. Negatur, de eâdem nativitate vtrobique agi in priore & posteriore parte versus: aut posteriora referri ad priora, vt ibidem cum ipsis: ratio quâ id probat Socin. revera nulla est, quia vtrobiq; idem vocabulum: nā ea quę adijciuntur, satis ostendunt,

non vnum & eundẽ vtrobiq; egressum esse, sed vnum temporalem, ęternũ alterum. 3. Secundũ priorem egressurus dicitur, qui egressus secundum nativitatem temporalem, vt Scribæ & Sacerdotes magis orientis hoc vaticinium rectè sunt interpretati: secundũ posteriorem, *egressiones ejus à diebus seculi esse dicuntur*. Ergo hìc alia generatio intelligitur, quæ non potest esse alia, quàm æterna: quod autẽ per istam phrasin, stirpis Messiæ antiquitatem intelligere non liceat, spero me suprà, vbi de hoc loco actũ, ostendisse.

Locus Ioh. 1. v. 1. & 1. Ioh. 1. v. 1. 2. 3. De loco priore, vt monet adversarius, satis actũ suprà. De loco ex epistolà probato à Wieko videamus. Hìc ergo ita Wiekus, referente Socino. *Christum vocari Verbum vitæ, & vitam æternam, quæ esset apud Patrem, & manifestata sit nobis. Unde concludit, Christum fuisse apud Patrem, antequam se in carne humanâ manifestaret, & esse ab æterno, cum sit vita æterna, vt etiam scriptum est ad finem ejusdem Epistol: hic est verus Deus & vita æterna.* *Socin. pag. 426.*

Contra hæc adversarius primò obijcit, *Wiekum falli, cum ait Christum in initio Epist. primæ Iohan., vocari vitam æternã, quæ erat apud Patrẽ, & in fine, ipsummet Christum per se vitã æternam appellari.* Resp. Agnoscendũ esse, nomine vitæ v. 2. idẽ venire, quod antecedente versu, nomine ejus, quod erat à principio, & nomine λόγου τῆς ζωῆς: venit hoc verò est Christus, idem autem vtrobiq; intelligi evincitur ex identitate eorum, quæ de vitâ, & sermone vitæ; seu de eo, quod erat à principio, recensentur: qualia sunt, videre, audire, annuntiare, Deinde patefactio vitæ,

de quâ verſ. ſecundo, argumento verſ. primi ſubjungitur, tanquam ratio, ex quâ id conſecutum, quod Apoſtoli viderint, audiverint, & oculis ſuis ſpectârint, quod erat à principio, & manibus ſuis contrectârunt. Ad ſecundum dico, in fine Epiſtol. Chriſtum per ſe vitam æternam appellari, quia verus Deus appallatur, qui per ſe eſt æterna vita.

Secundò obijcit (*concedens Chriſtum appellari vitam æternam*) *patefactionē ejus, non nativitatem, ſed Euangelij annuntiationem eſſe, hoc ipſum verbū patefaciendi, ſive manifeſtandi, ſatis apertè docere, ante id tempus apud Deū fuiſſe, hoc eſt ipſi ſoli Deo notum, ne ipſi quidem Iohan. Bapt., aliquando notum fuiſſe: huic expoſitioni non obeſſe, quod angelis, paſtoribus, magis, Simeoni, Annæ &c. notus fuerit, Deum hîc non opponi cuilibet ſingulari homini, ſed hominibus generatim, id eſt, populo ipſius Dei,* multò autē minus angelis. *Deinde ait*, iſtos homines ſingulares *habuiſſe quandam generalem Chriſti notitiam, quatenus illum agnoverant, datū à Deo ſervatorē, & regem populi ſui: non verò noviſſe, quale Dei verbū eſſet, id eſt, neſciebāt eum voluntatem Dei, non ante patefactā, annuntiaturū, de æternâ vitâ danda ijs, qui non quidē Moſaica, ſed ipſius Chriſti præcepta ſervaſſet.* His, quod ad rei ſubſtātiā attinet, adverſarij objectio comprehenditur.

Reſp. 1. Senſum iſtâm non neceſſariò colligi ex verbo patefactionis, res enim ſine annuntiatione, & verbum vitæ ſine doctrinâ etiam & inſtitutione, patefieri poteſt; φάνης, ſol Græcis dicitur, quod quotidie novus apparet; nec Chriſtus docendo tantùm, ſed & operando, *manifeſtam*

festam fecit gloriam suam: Ioh.2.v.2. Nec Christi oblatio, annuntiatio ejus per Euangelium est, *per sui tamen immolationem patefactum esse in consummatione seculorum*, scriptum reliquit ad Hebr. Apost. cap.9. vers.26. Rursum, secundo adventu *absque peccato conspiciendum dicit ijs, qui exspectant ipsum ad salutem*: ex quo patet, æquipollere Apost. conspici & patefieri: & vt hîc habemus ὀφθήσεται; ita rursum ad Col.3. v.4. vbi Apostolus, de vltimo adventu Filij Dei differit, habetur φανερωθῇ. Non ergo verbum patefaciendi, istum Socini sensum requirit. Quis autem istius patefactionis sensus sit, si ducem Apostolum sequamur, quem præ manibus habemus, per Dei gratiam videbimus; illam nempe esse λόγου in carne manifestationem, quia hujus manifestationis consequens est, quod visibilis & palpabilis fuerit. Consonat illud Euangelij Ioh.1. vers.14. Alterum secundæ hujus objectionis membrum est, Christum soli Deo, vt is qui muneri isti destinatus esset, fuisse notum: contra hanc autem depravationem textus, militant rationes superius factæ contra adversarij glossam, in verba illa. *In principio erat Verbum*, vbi diximus ea, quæ & hîc sufficere possunt. Et quid si ex proprijs adversariorum Hypothesibus hîc agam adversus ipsos; dicam incredibile esse, inculcare Apostolum, & quidem repetitis sententijs; quod nemo ignorare poterat; vel vlli ex ijs, qui Christi nomen profitebantur dubium esse: cui enim ignotum hoc esse poterat, Christum Deo, non populo fuisse notum, antequam annuntiaretur? Objectum etiam

etiam à me fuit, expositioni Socini, Euang. Ioh. cap. 1. illud ipsum quod à Wieko hîc profertur. Huic objectioni quæ opposuit Socinus, sic diluo. Si ideo apud Deum fuisse Sermo nihilominus dicitur, quia paucis notus, tum etiam quamdiu in terris ageret, apud Deum fuit, paucissimis enim semper notus fuit: & quod si paucis patefactus, apud Deum tamen fuisse dicendus est, immerito Iohannes patefactionem sibi & Apostolis factam, qui numero paucissimi, existentiæ *Sermonis apud Patrem*, opposuit. Denique, quod si *Verbum* apud *Patrem* fuisse tamdiu, & non patefactum esse, censendum est, quamdiu non fuit agnitum, quà tale, hoc est sub expressâ & formali illâ ratione *Verbi æternæ vitæ*, dandę ijs, qui non quidem Mosaica, sed ipsius Christi præcepta servâssent, tum adversarijs judicibus, vita apud Patrem fuit; donec Christus Sp. Sanct. in Apostolos effunderet: videatur Socin. argum. 5. classis tertiæ pag. 275. Verba ejus sunt: *Apostolos non cognovisse, qualis Christus esset, & quale regnum ipsius, nisi postquam Sp. Sanct. acceperunt*. Smalcium audiamus: is sic libro de divinitate Iesu Christi cap. 20. de abrogatione legis cæremonialis & judicialis, scribit. *Quod enim, ad cæremonias attinet, quemadmodum Deus noluit, Iesum Christum apertè aliquid, quod in lege præceptum erat tollere, quamdiu in terris egit, & munus Propheticum obijt, ne scilicet justam eum repudiandi causam habere viderentur, satis alioquin refractarij Iudæi: & si tamen aliquid hujusmodi in Christi verbis reperitur, illud tunc temporis, cum in terris degeret, ita tectè dictum fuit, ut* Socin. pag. 427.

nemo

nemo omnium illud animadverterit, imò voluit Deus, Iesum esse legi subjectum, & ipse etiam Dominus Iesus, quandocunque accusabatur, quod aliquid legi faceret contrarium, nunquam legitur istam suam libertatem jactâsse, vel eâ sese defendisse; sed semper rationes attulit validissimas, quibus se approbavit, nihil contra legem Dei facere: sic etiam vicissim noluit Deus, Iesum Christum novum populi divini Regem, secundum veteres leges eundem gubernare: sed vt novam etiam legem populo suo novo traderet, destinavit. Nemo ergo, dum in terris ageret Christus, novit eum esse Dei *Verbum*, eo nempe sensu, de quo hîc controvertitur, imò revera, Christus non fuit Dei *Verbum* dum in terris versaretur, nihil enim apertè contra præcepta Mosaica dixit, & si tamen aliquid hujusmodi in Christi verbis invenitur, illud tunc temporis, cum in terris degeret, ita tectè dictum fuit, vt nemo omnium illud animadverterit: quem obscurum propositionis modum, non crediderim adversarijs patefactionem esse: videatur Socin. contra Wiek. pag. 251.

Tertiò obijcit contra illud. *Christum esse ab æterno, cum sit vita æterna. Illam argumentationem nullas per se habere vires contendit; sed tantùm ex accidente: quatenus videlicet accedit, vt is qui fons est, & prima causa vitæ æternæ, sit æternus, & simul Christus, hoc sensu vita æterna esse ac dici intelligitur, quod scilicet ipse sit fons, & prima causa æternæ vitæ: id quod tamen falsum est.*

Resp. Quamvis Dei à parte ante æternitas, quà talis, non habet necessariam cohærentiam cum vitâ æternâ, à parte post. Quia posito per im-

impoſſibile, quod Deus non æternus à parte ante, vitam tamen à parte poſt æternam conferre poſſit, poſitis alijs ad hoc requiſitis; iſta tamen argumentatio Wiek. Chriſtus eſt ab æterno, cum ſit æterna vita, bona eſt. Nam etiamſi materialis inter terminos illos reſpectus eſt, firma tamen illatio, quia vitæ æternæ collatio opus & donum Dei proprium, qui æternus eſt. Quamvis ergò Chriſtus vita æterna ſit ſecundum æternitatem à parte poſt, & Chriſtus ex eo ęternus aſſeritur à priori, non eſt tamen fallacia commiſſa in argumentatione, nam valet illatio ex vi materiæ: eſt æterna vita à parte poſt, ergo æternus à priori; etiamſi in veſtrâ Theologia Fauſte neceſſarium non crediderim, vt qui vitam confert æternam, vel à propriori æternus ſit: nam Chriſtus, quà rex cœleſtis illam conferet, & abolitâ morte, hoc prorſus ſecundum vos eſſe deſinet: nihil ergo impediret, quod ad hoc, Chriſti populum vivere in perpetuum, & Chriſtum amplius non eſſe, ſecundum veſtras hæreſes. *Socin. pag. 428.*

Quintus locus eſt. *Antequam Abraham fieret, ego ſum.* Hîc pretioſiſſimum theſaurum à patruo ſuo Lęlio Socino inventum, Fauſtus agnatus ſuperciliosè ſatis gloriatur: quinetiam, ingenij ſui, quem hîc protulere, fœtum, adeo admirantur, & tantâ cum pompa circumducunt, vt tanquam ſolem, Dei munere in obſcuro loco exorientem, adorent; qui profecto obſcurus ipſis viſus, quia animum geſſerunt à veritate, & planâ loci ſententiâ alienum. Tantum hîc non jactant, ſi modò *Locus Ioh. 8. v. 58.*

dò non jactant, apparitiones & revelationes Domini. Sic enim Socin. contra Erasm. Ioh. pag. 67. *Nulla enim Scripturæ interpretatio, quæ acutior, aut verior, quave magis divinum quid sapiat, & ab ipso Deo patefactam fuisse, præ se ferat. Ego quidem certè non leves conjecturas habeo, illum qui primus ætate nostrâ eam in lucem protulit, (hic autem is fuit, qui primus quoq; sententiam de Christi origine, quam ego constanter defendo, hac ætate renovavit) precibus multis ab ipso Christo illam impetrâsse. Hoc profectò affirmare ausim, cum Deus illi viro per multa, alijs prorsus tunc temporis incognita patefecerit, vix quidquam inter alia omnia esse, quod interpretatione hac divinius videri queat. Carbones pro Thesauris*, vt dici solet. Idem in defens. animadversionum in assertiones Colleg. Posnaniensis edit. an. 1618. cap. 9. pag. 266. *Virum illum, aliquando in hunc locum commentantem, cum verum ipsorum sensum se nondum assecutum esse nosset, tandem sic scripsisse. Si Christus præsens esset, ridicula ista omnia dissolveret; sed nos quadam nubes opinionis humanæ malè vexat. Et credo hujus loci explicationem aliquam facillimam esse, sed quæ mihi nondum appareat, Iesus nos erudiat & liberet.* Ita sane, novæ hujus interpretationis, de quâ sibi tanto cum applausu placeerit, non alia origo, quàm aversus à fide Christiani orbis, & planâ loci sententiâ animus: non mirum igitur missam deceptionis efficaciam, quâ justo Dei judicio deludantur ij, qui veritati non crediderunt: 2. Thess. 2. v. 12. Sed ad rem.

Syllogismus itaque ex loco, pro æternitate Christi extructus, sic habet. *Qui post multa, ab*

Abra-

Abrahamo, secula, homo natus fuit, & essentiam creatam, præter humanam, non habuit, ante Abrahamum tamen fuit, ille non tantùm homo, sed & Deus. At verum prius, ergo & posterius. Majorem sic modificatam non negaturi, ni fallor, adversarij: versatur ergo in minore cardo negotij, qua minore asseritur, Christum fuisse ante Abrahamum: quam minorem in Euangelistæ textu esse, magno molimine negant adversarij, imò pertendunt, hoc nullo modo ferri posse, & hæc verba non de Abrahamo in sensu præteriti, sed necessariò in sensu futuri interpretanda esse. *Socin. pag. 429.*

Disquirendum ergo, Primò, an lex Grammatica vetet, hæc verba per præteritum reddi, vt hactenus ob omnibus interpretibus translata fuerunt, an verò omnino debeant per futurum reddi. Secundò, an quoad rem, & materiam subjectam, verti omnino debeant per præteritum, & verti nec possint, nec debeant per futurum. Quod si evicero, per legem Grammaticam licere, hęc verba reddere in pręterito: quod ad rem autem & materiam subjectam, verti sic debere: contra, verti per futurũ non posse, quod ad rem & materiam subjectam, vicerit sane, sub clypeo veritatis, communis & recepta sententia.

Quod ad prius, translationem, quam nos legitimam contendimus, volunt adversarij vitiosam esse, & nullo modo tolerabilem, idque duplici nomine.

Primò, quia verbum antecedens, dico, & consequens, sum (à quo cum alterutro dictio

πρὶν γενέσθαι, necessariò dependet) præsentis temporis sunt ambo, per consequens, secundum ipsam Grammaticam, verbum istud similiter esse præsentis temporis: hanc rationem pluribus exponit Socin. cap. 9. defens. animad. in assertion. Colleg. Posnan. pag. 273. Totam autem hujus rationis vim ita complexus Smalc. in resp. sua ad scriptum Herm. Ravensp. de loco Ioh. 8. v. 58. *Vocem Græcam, γενέσθαι, aoristi temporis esse: Aoristorum porro naturam eam esse, vt significationem suam à verbis, quibuscum conjunguntur, mutuentur, ita vt, si cum præterito tempore jungantur, præteritum, si cum præsente, præsens, quod in futurum respiciat, significent. Quoniam verò, hoc in loco, vox aorista cum verbis temporis præsentis juncta est, quæ sunt λέγω & εἰμὶ; hinc vi Grammaticæ concluditur, eam etiam significationem præsentis, quod in futurum respiciat, habere.* Hæc Smalcius pag. 4. tractatus nominati. Postmodum magis adhuc restringit hanc regulam Grammaticam, *aoristos junctos cum verbis præsentis temporis, per præteritum verti non posse* pag. 14. Socin. dictæ defensionis, pag. 273. *Nam si verbũ illud (sermo est de aoristis infinitivi) fuerit præteriti temporis, tum & ipsa aoristica vox præteritum tẽpus significabit, quamquam hoc non est perpetuum: sin verò præsentis, aut futuri, futurum tempus omnino significabit, hoc est præsens in futurũ respiciens, vt ibidem pag. 274.* hoc autem intelligit de ijs vocibus, vnde sensus vocis aoristicæ dependet.

Resp. 1. Adversarios nullâ authoritate probatorum Grecæ linguæ authorum, probare quæ dicunt, quod sanè injuriâ postulamus, cum

rece-

receptæ translationis authores, Græcè noverint, quorum tamen nemo indicavit istam versionem contra Græcæ linguæ vsum esse: imò ne quidē, qui latinas editiones ad Græcam veritatem recognoverunt, de hoc vitio Grammaticali quicquam monuerunt; nec vllus in vllâ linguâ interpres est, qui hîc lapsum Grammaticum observaverit, vt Socin. agnoscit pag. 262. defension. dictæ, vbi verba ejus sunt. *Verùm fatemur nos vltro, atque concedimus nullam in vllâ linguâ extare interpretationem, quæ nobis faveat.* Quod si ergo omnes boni Homeri dormitarunt, id sane adversariorum erat invictis argumentis ostendere, non suas assertiones pro lege Grammaticâ venditare, nisi forte sine populi suffragio; dictaturam in literas exerceant. 2. Asserunt prædictæ regulæ Grammaticales, aoristos infinitivi, si cum præsente conjungantur, significare præsens, quod in futurum respicit. At Iohan. 3. v. 9. πῶς δύναται ταῦτα γενέσθαι: hîc fieri, significationem præsentis non habet in futurum respicientis, res enim possibilis dicitur à potentiâ ad esse, quæ illi adest: ita Græcè dicitur δεινὸς ψεύσασθαι fallacissimus, δεινὸς φαγεῖν voracissimus: hic verò etsi verbum nullum præsens est, potentiâ tamen & virtute continetur in istis: Math. 3. vers. 9. & 11. simile exemplum. Denique Isocrates in Panegyrico, verbum præsentis temporis, junxit aoristo infinitivi, in significatione preteriti. οἶμαι δὲ καὶ τὴν ὁμήρου πόιησιν μείζω λαβεῖν δόξαν, ὅτι καλῶς τοὺς πολεμήσαντες τοῖς βαρβάροις, ἐνεκωμίασε: καὶ διὰ τοῦτο βουληθῆναι τοὺς προγόνους ἡμῶν ἔντιμον

αὐτοῦ ποιῆσαι τὴν τέχνην: hoc eſt. Atque etiam Homeri poeſin propterea in majore pretio eſſe arbitror, quòd eos, qui barbaros oppugnârunt, præclaris laudibus extulit: noſtroſque majores artem ejus propterea honoratam eſſe voluiſſe. Fallit ergo hæc regula.

Altera ratio, quâ contra receptam tranſlationem pugnant adverſarij, eſt *ex eâ ſequi, ſolœciſmũ Chriſti verbis aſcribendum eſſe.* Socinus contra Eraſm. Ioh. pag. 64. Smalci contra Ravenſperg. pag. 7: ad iſtius evitationem, opus eſſe putant, vt γενέσθαι, non, fieret, vertatur, ſed fiat. Urget Smalcius ibidem; *ſolet quidem de re futurâ dici in præſenti: & verba* ego ſum, *ſæpenumero tantundem valere, quod ego futurus ſum. At per vocem* ego ſum, *ſignificari tempus præteritum, prorſus inſolens, & proinde etiam explicatio, quæ hac inſolentiâ vtitur, repudianda omnino eſt.*

Reſp. Minimè verũ eſſe, ex receptâ tranſlatione ſolœciſmũ conſequi, de re futurâ nõ tantùm in præſenti dicitur, ſed etiam de præteritâ. *Pamphila in Adelphis virgo dicitur*, quæ tamen non erat virgo, ſed fuerat. *Et ſoror & conjunx, vnâ cum gente tot annos bella gero*, poeta de Iunone dixit: imò verò hoc adeo non eſt inſolens, vt tritum ſit maximè, cùm res quæ fuit adhuc durat. Nec Græcis eſt inſolens præſenti pro præterito vti; διδάσκειν αὐτὸς ἔφη, docuiſſe ſe dixit. *Pater meus adhuc operatur, & ego operor* Iohan. 5. verſ. 17; vbi verba præſentis temporis vim præteriti includunt.

Nec etiam, vt Smalcius malè exiſtimat, prorſus inſolens eſt, verba illa, *ego ſum*, ſignificare

care tempus præteritum : Ioh.14.v.9. *tantum temporis vobiſcum ſum*, vim præteriti habet : eodem plane modo de Apoſtolis cap.15. v. 27. *ſed & vos teſtabimini , quia à principio mecum eſtis* : Heb.13.v.8. *Ieſus Chriſtus, heri, hodie & in ſecula*, idem ; vbi ſubauditur verbum ſubſtantivum eſt , & non tantum , præſentis & futuri, ſed & præteriti ſignificationem habet. Proinde cum verbum ſubſtantivum εἰμι vim præteriti includat, nihil etiam vitij in receptâ tranſlatione.

Hęc de primo quæſito dicta ſunto. Sequitur, vt de altero diſpiciamus. Ad hoc verò ita Socin. *Quod ſi quis de ſenſu Chriſti verborum quærat, quamvis nihil me cogat eum exponere , tamen dico primum, verba illa, antequam Abraham fiat , pendere à verbo* dico, *quod præcedit, non autem à verbo* ſum, *quod ſequitur: perinde ac ſi ſcriptum fuiſſet, dico vobis antequã Abraham fiat quod ego ſum, particula enim, quod , ſubaudiri debet omnino : Atqui non vt vulgò fit, ante verba iſta,* antequam Abraham *&c. Sed poſtea ſubaudiri debet: nã verba iſta,* ego ſum, *ſtant per ſe, & ſignificant, vt etiã ante alibi diximus*: Ego ſum Chriſtus & ſervator *veſter, quemadmodum apparet ſuprà in eodẽ ſermone Chriſti cum Iudæis v.24. & .28 : & c. 13.v.19. ejuſdem Euangeliſtæ , in ſermone quem idẽ Chriſtus cum diſcipulis ſuis habuit. Deinde dico , Chriſtum quia Iudæi voluerant eum capere in verbis, quaſi dixiſſet ſe vidiſſe Abrahamum , quod tamen nullo modo dixerat, non minus meritò , quàm acutè & eleganter, detorſiſſe nomẽ Abraham ab homine ipſo, cui à Deo id fuerat impoſitum , ad rem quam ipſum nomen ſignificat, & propter quã homo ille ita nominatus fuerat.*

Socin. pag.340

rat. Significat autem patrem multitudinis, seu multarum gentium. Itaq; postremò concludo, Christum verbis istis voluisse graviter monere Iudæos illos, vt crederent se esse Christum, & servatorem ipsorum, antequam illud existeret, quod prædictum fuerat, Abraham videlicet fore patrem multarum gētium, id est, ad gentes quoq; prædicationem & patefactionem verbi & voluntatis divinæ perventuram, & multos fideles ex ipsis extituros Rom.4. vers.16.17: antequam igitur hoc existat, & sic Abraham, id est quod nomen istud sonat, revera fiat, monet Christus Iudæos, vt in se credant, alioqui scilicet eos à Dei regno exclusum iri.

Resp. 1. Adversariorum versionem non esse admittendam, quia sensum verborum Christi quem ipsa Christi verba planè & rotundè præ se ferunt, evertit, & e contra, sensum obscurum, & insolentem ex hisce verbis eruit. Etsi ergo verba illa, quoad structuram Grammaticam, sic verti possint, vt Sociniani vertunt; hoc tamen loco, planus & rotundus sensus, qui per novam istam versionem corruit, sic verti non permittit. Quamvis ergo Socin. & sectatores ejus partibus suis satisfecisse se putant, novam hanc suam versionem adferendo; non tamen argumentum nostrum ex hoc loco est dissolutum : nam, vt dixi, sensus planus verborum, qui lucet, quam quod in meridie, ostendit novam eorum versionem nec posse, nec debere admitti, in quâ re ad candidi & pij lectoris conscientiam provoco. 2. Hæc nova versio ad ellipsin confugere cogitur, & supplere verba Christi, per verba, lux mundi, serva-

ſervator mundi, idque ſine vllâ ratione; imò contra apparentem rationem: exempla, ex quibus pro ſuppletione hujus loci colligit adverſarius, non ſtringunt, nam ibi ſupplenda eſſe ratio dictat, (textum introſpexiſſe, adverſarium refutâſſe eſt) hîc verò præter & contra rationem tale ſupplementum quæritur: nam hoc loco, non, quid ſit Chriſtus, quæritur, ſed ejus exiſtentiæ duratio, controvertitur. Faciat hîc lector, quod in interprete laudat Smalcius pag. 4. ſcripti prædicti, omni fide careat, textum introſpiciat Euangeliſtæ, ſine vlla vllius interpretis ope, ex ipſo textu Euangeliſtæ, planum illi fiet, hæc verba Chriſti clauſulam eſſe colloquij, cujus initiũ & origo v. 51. niſi ergo quis obſcura planis præferre velit, facilè veritatẽ deprehendet, & Chriſti reſponſionẽ de exiſtentiâ eſſe. 3. Acies acutæ hujus interpretationis, de fieri Abrahami ratione ſpiritualis paternitatis, eo retunditur, quòd vſus loquendi obſtat, qui artium magiſter eſt: hominẽ enim fieri, nemo aliter, quàm de ortu & nativitate ejus intellexerit; nec vllibi in ſacris Abrahamus futurus Abraham dicitur, quia implẽdę illi promiſſiones de multiplicatione ſeminis: aut jam Abrahamum eſſe factũ, quia gen, tes vocatæ. Quinimò vbi iſtius argumẽti ſedes eſt, nunquam ab Apoſtolo Paulo iſta paternitas, nomine Abrahami ſignificata fuit, ſed diſtinctè ſemper à nomine Abrahami illi attribuitur, quãvis interea promiſſionem iſtã de multiplicatione ſeminis, mutati nominis cauſam eſſe, ejuſque etymon nemo neſciat. 4. Hæc gloſſa Chriſtum οὐδὲν πρὸς διόνυσον reſpondentẽ facit, ad Iudæorũ

objectamentum, *quinquaginta annos nondum habes & Abrahamum vidisti?* Opponit Socin. *Iudæos verba illa Christi, de Abrahamo v. 56. per calumniam detorsisse, cui calumniæ, inquit, Christum assentiri non decuit; id quod profecto fecisset, si ita respondisset, ut adversarij opinantur, imò decuit, ut Iudæos se in verbis captantes, occasione, ex uno verbo sumtâ, in reipsâ caperet.* Hęc ille. Ad quę respond. responsionem, secundum versionem illam novã, ad rem de quâ agebatur, nullo modo quadrare, certo certius esse: Iudæos verò per calumniam detorsisse verba Christi, hoc ex eorum responsione non patet. Nam etsi Christus dixerat, se visum ab Abrahamo, & Iudęi Christo obijciant, tanquam absurdè affirmatum ab ipso, se Abrahamum vidisse, ἀκόλουθον tamen est, eos verba Christi per calumniam illusisse. Quid enim impedit dicere, Iudęos, ex sensu suo locutos, existimâsse, si res ipsa, & non verba Christi tantùm attendantur, Christum Abrahamum vidisse; cũ ipse affirmaret, Abrahamum se vidisse? Cum ergo ista culumnia nullo modo appareat, valeat ista longè petita & obscurissima interpretatio. Hæc de hoc loco, prolixius instituto sermone dicere, non in consultum visum fuit.

Socin. pag. 431.

Locus Ioh. 17. v. 5.

Sextus locus eorum, quos Bellar. & Wiek. adduxerunt pro æternitate Christi, est Ioh. 17. v. 5. *Glorifica me tu Pater apud temetipsum eâ gloriâ, quam habui apud te priusquam esset mundus.*

Socin. pag. 432.

Ad hunc locũ ait Socin. se respondisse, in diluendo argumento nono primę classis: responsio autem ejus ad hunc locum est. *Christum loqui de gloriâ sibi à Patre destinatâ, non autẽ, quam jam tũ*

reipsâ

reipsâ haberet, præsertim vt æternus & vnus ille Deus: probat autem ex verſ.24, in quo dicitur, vt conſpiciant gloriam illam meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante jacta mundi fundamenta. 2. *Ex verſ. 22: in quo ait* gloriam ſibi datam, à ſe datam Apoſtolis. 3. *Auguſtini authoritate in hunc locum 4. De Chriſto homine hîc verba fieri, qui nullam claritatem habuit ante conditum mundum niſi in prædeſtinatione.*

Reſp. 1. Verbum habendi, ſi de reali & actuali poſſeſſione ſumatur, in ſignificatione propriâ & vſitatiſſimâ ſumi; illa verò expoſitio, de nudâ deſtinatione exponens, verbũ habendi ſumit in ſignificatione impropriâ & rarâ. 2. Chriſtus hîc verba facit de gloriâ quam etiam poſſedit ab æterno & realiter, & ei deſtinata fuit quoad exertionem in humanâ naturâ, ſecundũ modum & rationem ejus, & plenam ejus patefactionem, per exaltationem poſt ignominiam crucis. Hæc expoſitio eſt analoga alijs Script. locis illuſtribus, quæ hactenus diſcuſſimus: agitur enim de gloriâ, quę Chriſto deſtinari non potuit, niſi habuiſſet deitatis gloriam ab æterno: cultus enim & adoratio, quæ hæc gloria comprehendit, aut importat, nec objectum, nec fundamentum, pręter deitatem ab æterno exiſtentem habent nullum, vt oſtenſum aliquoties, & poſtmodum amplius demonſtrabitur. Ex hiſce poſitis patet ſolutio, ad primam, ſecũdam, & quartam rationem, & quod ſi quis, ad quartam rationem, amplius quid deſiderat, conſulat ſi placet, pag. 193. 194. Nõ pugnant ergo, Chriſtum habere gloriam, vt vnum & æternum

cum Patrem Deum, & eam habere destinatione. Nec ex eo magis sequitur, Christum discipulis suis dedisse claritatem illam vnius æterni Dei, quàm ex adversarij sententiâ, de destinatâ tantùm Christo gloriâ, in Apostolos adorandæ divinitatis gloriam tansfusam esse: quia gloria Christo destinata, talis est, ex adversariorum suppositione. Frustra etiam Augustini authoritate in nos pugnat; cum Augustinus in loco citato nobiscum faciat, quoad sententiam de hoc loco: nam cum multis verbis egisset Augustin. de prædestinatione glorię, naturę humanę Christi, etiam de illâ quâ Christi, vt vnius & æterni Dei egit. & prædestinatione Christi, secundum eam, quoad manifestationem gloriosam, per consęcutam in tempore exaltationem. Cum enim ad hanc rem locum Pauli ad Rom. 1. v. 4. produxisset. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute* &c. in eum sic scripsit. *Secundum hanc ergo prædestinationem etiam clarificatus est, antequam mundus esset: vt esset claritas ejus, ex resurrectione mortuorum, apud Patrem, ad cujus dexteram sedet.* Augustinus ergo geminam, vt sic dicam, Christi prædestinationem statuit; nam etsi antecedentibus verbis Augustinus videatur tantùm agnoscere, prædestinationem Christi, quâ homo est, tamen postea se quasi corrigens, Christum rectè dici prædestinatum dixit, quà *Dei Verbum*.

Locus. 7. Heb. 7. v. 3. 8. 1. Ioh. v. 20.

De vtroque hoc loco copiosè in superioribus actum, quò cum Socino lectorem remitto. Locus ad Hebr. 13. etiam à nonnullis adfertur pro æternitate Christi, & per accommodationem quandam,

quandam, æternitas Christi secundum existentiam, non malè istis verbis, triplicis temporis significatione, indicari potest: eum tamen locum, salvo meliori judicio, non vrgebo.

CAP. II. Quintæ Classis argum.

De attributo immensitatis.

HActemus quidem, idque prolixius, disputatum est de attributo æternitatis, excipit hanc disputationis partem, secundum quod est immensitas, ad quam probandam, post testimonium ex Apocrypho Baruchi, profertur Ioh. 3. vers. 13. *Nemo enim ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo.*

Objicit Socin. verba Græca posse reddi: *qui erat in cælo, itaq; nihil solidi esse in totâ argumētatione istâ.* Res. participia præsentis tēporis apud Grȩcos vim præteriti imperfecti habere, ac propterea naturā hujus vocis significationem præteriti admittere, concedo; receptissima tamē ac maximè obvia significatio hujus vocis, præsentis tēporis est, ac propterea, pro sensu præsentis temporis præsumendū est, donec contrariū probetur: non enim hic verbū adjunctū est, ex quo colligi possit significatio prȩteriti imperfecti: participia autē illa, à verbis temporis præsentis ducta, per se, & ex naturâ suâ, præsens significāt prȩteritū autem & futurum, juncta verbis præteriti aut futuri temporis. 2. Accedit, quod cū singulæ sententiæ suum pondus habeant hîc, sic verten- Socin. pag. 435.

vertendum esse locum, ne tautologia commissa statuatu; ad quam evitandam vertendus locus, non per *erat*, sed per *est:* nam Christum fuisse in cœlis, apertè satis probatum fuit istis verbis, qui descendit de cælo; cum cum ergo distinctus sensus ex verbis etiam illis eruendus sit: oportet ea per præsens reddi, vt redduntur Joh. 1. vers. 18.

Secundò obijcit. *Cum de filio hominis, id est, de homine disertè verba fiant, ita Christi verba sunt interpretanda, vt ad ipsum homninem propriè accommodentur, si modò propriè sunt accipienda: quod si non propriè, sed figuratè accipienda sunt, quid vetat, quominus ipse homo, id est Christus, quatenus homo erat, tunc temporis in cælo esse dictus fuerit? annon in cælo is esse figuratè atque eleganter dici potest, qui in cælo semper mente versatur, cælestiaque omnia perspectissima, & quasi præsentia perpetuò habeat?*

Socin. pag. 436.

Resp. Ad prius membrum responsum est alibi, & mox rursum, de eo dicendum erit aliquid: figurata autem illa interpretatio reijcienda est omnino, 1. Quia nullo exẽplo, aut probatione idoneâ sustineri potest. 2. Sic Apostoli erant in cælis, & Philosophi vbique sunt, & supra cælos, in spatijs imaginarijs deambulant, etsi rideat Plutarchus Philosophos in vacuo mundum librantes. Quicquid vllibi rerum est, facillimè obijcitur intellectui speculantis, nemo tamen ibi speculantem esse seriò dixerit, vbi sunt objecta rerum, quæ intellectui ejus obversantur, aut figurata & tropica locutio apertè satis erit indicata. Quis quęso dixerit, nos in

terrâ,

terrâ, & in cælo esse simul, quia corporeis oculis sidera aspicimus, non ergo, ubi objecta visa, aut cognita sunt, sumus, alioqui polytopi & ubiquitarij essemus omnes, sed vbi essentia nostra est, per quam sumus, quod sumus. 3. Si Christus in cælis, qui omnia cælestia perspectissima, & quasi præsentia perpetuò habebat; judicij diem non ignoravit omni respectu. Atqui illum ex vestrâ sententiâ ignoravit simpliciter Socine. Ergo hac ratione in cælis fuisse, non rectè affirmatur.

Tertiò opponit. *Adversarij figuratum sermonem in ipso nomine Filij hominis esse contendunt: de quo per idiomatum communicationem dici volunt id, quod Dei, cum eo in eadem personâ conjuncti, est proprium. Sed vt hoc illis concedi possit, oporteret saltem de istâ conjunctione personali Dei & hominis, seu divinæ & humanæ naturæ in Christo apertè constare: quod illud ipsum est reipsâ, quod ex hoc loco probare volunt: præterea, quemadmodum in homine, qui ex animo & corpore constat, quæ propria corporis sunt, animæ tribui separatim non possunt, nec contra: Sic si Christus, vt adversarij volunt, constat ex Deo & homine, sive ex divinâ & humanâ naturâ, non poßunt, quæ sunt Dei, seu divinæ naturæ propria, separatim homini seu humanæ naturæ tribui: nec contra. Nec idiomatum communicatio, aliud præterea efficere potest, quam vt, quæ vnius tantùm sunt naturæ, ipsi supposito tribuantur: quemadmodum quæ propria sunt animæ tantùm, ipsi homini meritò tribui possunt.*

Resp. 1. Nos in præsenti argumentatione, non personalem Dei & hominis conjunctionem probare,

probare, ſed immenſitatem Chriſti,ex quâ cum homo eſſet Chriſtus, eſſentiæ humanæ, in terris verſans, inferri quidem poteſt hæc conjunctio perſonalis, at non ſupponitur hoc loco, vt ex eà immenſitas Chriſti inferatur; neque etiam vt ſupponatur, vllo modo neceſſe eſt, ad immenſitatis ex hoc loco probationem; cum immenſitas ſine perſonali conjunctione optimè conſiſtere poſſit: Deus enim Pater, qui non eſt Deus homo,immenſus eſt, implens cælum & terram.
2. Quæ ſunt vnius naturæ,tribuuntur alteri naturæ etiam in concreto: nam à vocabulis concretis ſæpe tota perſona denominatur: cum Filius hominis in cęlo eſſe dicitur,ſuppoſito quod eſt homo, ei tribuitur in cælis eſſe: falſum eſt ergo illud, quæ ſunt divinæ naturæ propria, ſeparatim hîc, ex noſtrâ ſententiâ,homini ſeu humanæ naturæ tribui: ſic autem ab animâ & corpore perſona hominis non denominatur,ac proinde exemplum de animâ & corpore alienũ eſt.

Quarta objectio, ſeu reſponſio adverſarij, ſtatui poteſt in illis verbis. *Sed quid eſt, quod adverſarij dicunt,Chriſtum non potuiße dicere,quod tum corpore eßet in cælo, cum ſe diceret aſcenſurum in cælum? nam quomodo, obſecro, probant, Chriſtũ tunc dixiſſe, ſe aſcenſurum in cælum? dicent (neq; enim video, vnde id alioqui colligere audeant) ex illis verbis* nemo aſcendet in cælum. *Atqui verbum*, aſcendit, *vt ex Græcò patet, non eſt præſentis temporis, vt figuratè ad futurũ tempus accomodari aut poſſit,aut etiã debeat; ſed præteriti, adeo vt neceſſe ſit(niſi vbiquitarij eſſe velimus) fateri,vel totũ Chriſti ſermonem figuratum eſſe,& iſtũ aſcenſum & deſcenſum*

Socin. pag. 437.

descensum atq; existentiã in cælo metaphoricè accipi debere, vel Christũ revera, postquã homo natus fuit, antequam verba ista diceret, ascendisse in cælum.

Resp. 1. Christum potuisse dicere, quod tunc corpore esset in cęlo, cum se diceret ascensurum in cælum, si fuisset in cælo, & inde rursum descendere voluisset, nemo negat; nam alioquin, cum in terris esset corpore, se in cælis esse corpore dicere non poterat, nisi vbiquitarijs accedere velimus. 2. Non tantùm vsitata enallege præsentis temporis, pro futuro, verùm etiam præteriti, & sic corruit ratiocinatio Socini: exemplũ habemus Iohannis 17. v.4: *opus consummavi, quod dedisti mihi*, præcipuum tamẽ, & nobilissimum opus, quo Pater à Filio glorificãdus, & Filius imprimis sibi aditum facere debebat ad æternam illam, quam hîc precabatur gloriã, adhuc præstandum restabat: Et pręteritum pro futuro creberrime in prophetijs poni tã est indubitatũ apud omnes, vt probatione nõ indigeat: hunc Hebraismum Augustin. observat Epistolâ 80: & vehementior est significatio in præterito, quam aut in præsenti aut in futuro: quare de credente in præterito dicitur, μεταβέβηκεν à morte in vitam: plena tamen à morte liberatio non continget, nisi resurrectione ex mortuis: Nulla ergo ratio nos cogit, aut ad vbiquitarios transire, aut figuratum sermonem agnoscere, vel ad novam istam, à Socinianis excogitatam, ascensionem confugere.

Tertiò productus fuit à Wiek. & Bellar. locus Mat. 18. vers. 29. *Qui ubivis adest congregatis in nomine ipsius, ille est immensus. At Christus ubivis*

Socin. pag. 438. *vbivis adest congregatis in nomine ipsius. Ergo.* Negat Socin. primò majorem; ratio negationis est, *quia ad hoc polytopia sufficit, vbiquitas non requiritur: consequenter, etiamsi Christus adesset suis essentialiter, hinc non efficeretur immensitas.* At mi homo, multipræsens nemo est ita, vt quotquot sunt in orbe congregationes, adesse ijsdem posset, nisi omnipræsens sit, etiamsi præcisè multipręsentia vt sic diam, ad hoc sufficere posset, valet itaque nihilominus illatio.

Altera ejus ad minorem responsio est; *in isto & similibus locis, non de præsentiâ essentiæ, sed favoris & auxilij verba fieri, ad hunc præsentiæ modum essentialem non requiri: sin secus, Christum minus posse, quàm quilibet homo princeps, inter quos nemo est, qui licet corpore & sic realiter absens, prout auctoritate & potentiâ pollet, magis minusve aliquibus favere, atque opem ferre non valeat. Potest homo mortalis, absens, per aliquos suos ministros, summa beneficia, ac multiplicia in plurimos conferre, & non poterit Christus, cui innumerabilis angelorum numerus servit, & ad ipsius nutum vbique sunt præsto, cuiquam beneficium dare, sive id animam, sive corpus respiciat, nisi realiter ipse præsens adsit?*

Resp. 1. De præsentiâ favoris hîc agi, nemo dubitat, verùm illa à pręsentiâ essentiæ non separatur. At negat Socin. necessariam inter hæc duo connexionem, hoc ergo probandum. Dico ergo in medio relictis Metaphysicorum placitis, de propinquitate necessariâ, inter agẽs & patiens, & indistantiâ agentis à passo, per altiora Scripturæ sacræ principia, controversiam hanc

hanc definiri nobis posse : nam Psalmista Psal. 139. v.7.8.9.10: Ierem.cap.23.v.23: Apostolus Paulus Actor. 17.v. 27. tradunt connexionem esse inter præsentiam essentiæ & virtutis, & vnam ex alia inferunt : in hisce locis perfectissima Dei providentia fundatur in essentiali præsentiâ,& ex eâ ad illam arguitur; hisce verò locis de præsentiâ essentiali agi,& cohęrere hos duos præsentiæ modos, id paulo fusius sic demonstratur.

Primò ex loco Psalm 139 : nam nulla est ratio, propter quam de amplitudine & efficacitate providentiæ & virtutis, intelligamus hunc locum,excluso sensu essētialis præsentiæ. Quinimò verba v. 8. manifestè satis sensum præsentiæ essentialis prę se ferunt : *si scanderem cœlos, illic es,aut stratum ponerem in sepulchro, ecce ades*; de quâ enim,aut cujus virtutis præsentiâ explicabimus ista Psalmistæ verba, de virtute omniscientiæ divinæ? at insolens est , esse & adesse, explicare per videre, & sane nemo esse eo loci dicitur,quò pertingit oculorum acies : itaque recta ratio postulat , præsentiam essentialem,ab hoc loco,non excludi: etenim realis pręsentia , enuntiatur , isto loquendi modo coram facie alicujus esse,est essentialiter alicui adesse. Denique in confesso est,cum Deus in cœlis esse dicitur , accipiendum hoc esse de reali ejus existentiâ : at hîc dicitur , *si scanderem cœlos illic es*: & mox additur aut *stratum ponere in sepulchro, ecce ades*,ex quo fides fit , non alium pęæsentię modum,etiam istis indicari. Quinetiam,Deum non tantùm in cœlis , sed & in terris essentiali-

ter præſentem eſſe, ſimplicius & efficacius enuntiari non potuit, quàm hiſce & alijs ſimilibus loquendi formulis.

Secundus locus eſt Ierem.23.v.23. Hic Vorſtius in notis ad diſput. tertiam: propinquitatis nomen, & implendi verbum, optimè ad efficacem Dei providentiam, omnia in omnibus diſponentem, referri poſſe. At ſi Deus è propinquo dicitur, quia novit aut diſponit omnia, etiã è longinquo Deus dici poteſt, quia ipſe ſolũmodo in cœlis altiſſimis, & multò ſanè rectius dicetur, reſpectu rerum terrenarũ, Deus è longinquo eſſe, quia ſecundum eſſentiã cœlis includitur, quàm propter ſcientiam & exactã cognitionem rerum omnium, Deus è propinquo eſſe: nõ enim ſolẽt res dici, ibi eſſe, vbi objectum cognitum, aut adminiſtratum ab ipſis, ſed vbi ſunt eſſentialiter; & non ſcientia divina, ſed Deus ipſe propinquus eſſe dicitur, quæ propinquitas & vbiquitas eſſentiæ divinæ arguit, Deum quoſvis homines, etiam in abditiſsimis aſpicere.

Illam propinquitatem ſuam repetens Deus, inquit. *Annon cœlos & terram ego impleo?* ſicut Deus cęlos implet, ita & terram, prius de eſſentiæ, poſterius de virtutis impletione, explicare, merum eſt placitum, pro quo non militat ratio: nam ſi quis amplius commentis indulgeat, dicet Deum non in toto cœlo, eſſentialiter præſentem eſſe; ſed tantùm in parte: implere cœlum virtute ſuà: aut Deum virtualiter tantùm in cœlis eſſe, eſsentialiter verò terrram implere. Valeant itaq; iſta. Nuſquam Scriptura docet, Deũ ſubſtantialiter, tantùm in cœlis eſse; in terris verò

verò tantummodo virtualiter. Et profectò si obscuras longeque quæsitas interpretationes, simplici, nudæ & vltro se offerenti interpretationi non præferamus, facile agnoscemus, genuinum potius loci sensum esse, numen divinum, rebus omnibus immediatè propinquum esse, quàm Deum omnia disponere & regere. Cum enim dico, me isti verbi, & loco propinquum esse, indistantiam essentiæ localem, non curam aut regimen aliquod insinuo: at implere rem non est ei providere; nam sæpe negligunt qui adsunt, curant rem, qui absunt.

Locus Act. 17. sic habet. *Ut quærerent Dominum, si forte, palpando invenirent, quamquam profectò, non longè abest, ab vnoquoque nostrum*, sumtâ metaphorâ à rebus absconditis & omissis, quæ quæruntur & inveniuntur, quæ cum inveniuntur, habentur ipsæ realiter: sic Deus ab hominibus quærendus & inveniendus, non longè ab vnoquoque nostrum ὑπάρχειν dicitur: non dicitur Deus virtute & curâ suâ paternâ adesse nobis, aut ratione virtutis suæ, non longè esse ab vnoquoque nostrum, sed ipse Deus non longè dicitur abesse ab vnoquoque nostrum; verba sumenda prout jacent & sonant, nemo sanè à præjudico libier, secus Apostoli verba acceperit. Quinetiam ex efficaci præsentiâ providentiæ divinæ colligitur præsentia Dei essentialis, quemadmodum in hoc loco videre est: sic etiam Psalmista & Jeremias in locis pro essentiali immensitate adductis, fundant perfectissimã Dei providentiam, in reali præsentiâ ipsius, & ex eâ

ad illam arguunt. Et nemo ſane eſt, qui fateri non cogatur, ſi Sp. Sanctus, id de immenſitate eſſentię dicere voluiſſet, quod nos eum dixiſse volumus, commodè & planè id ijs verbis efferre potuiſse, quibus nos id dictum perſuaſi ſumus & credimus.

Poteſt quidem Deus per miniſtros angelos, aut homines, innumerabilia in nos conferre beneficia; vt & Mediator noſter Ieſus Chriſtus: at interea infinitę ſunt actiones, tum in communi adminiſtratione rerum omnium, tum in ſpeciali regimine ſecundum gratiam; vbi eſſentialis immenſitas & indiſtantia Dei requiritur. Nam ſine iſtà eſsentiali præſentiâ, nec qui mittnntur angeli, nec, ad quos mittuntur homines, vivere moveri & eſse nequirent, vt teſtis & Apoſtolus Paulus: quanto magis ergo ſpiritualis vita, eſsentia, motus actiones; & ea omnia, quæ in intellectu, voluntate, affectibus, hanc vitam generant, conſervant, roborant, motuumque & actionum principia productiva ſunt, realem Dei præſentiam requirunt? Hæc enim tam divina, in regno gratiæ, non demandantur angelis, nec demandari poſſunt: nam ex ijs & in ijs, Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti gloria maximè conſpicua eſt, & in ijs actuale ejus imperium conſiſtit: Quod ſi hoc actuali imperio ſe abdicat, aut abdicare poteſt, ſolâ mandandi poteſtate regnum ejus, quod in terris habet, contineretur, & ſic nihil impediret, Chriſtum regem eſſe, & tamen omni adminiſtratione regiâ ſuperſedere; angelis in vniverſum ſimul & ſemel demandatâ provinciâ, favendi, auxiliandi, agendi,

agendi, quando, quomodo, & vbi opus esset: consequenter regnum Christi nihil detrimenti caperet, etiamsi Christus actu rex non esset. Et quod si divinissima omnia angeli in regno gratiæ possunt, quid illis ad cultum & religiosam adorationem deest? dices, quod authoritate Iesu Christi, non suâ rem gerunt: at replico, Christus omnia administrat, paternâ authoritate, ad nutum & voluntatem Patris, dono acceptâ potestate, vt vos contenditis, quam regiæ potestatis donationem, per sacerdotalem interpellationem exprimi propterea asseritis.

CAP. III. Quintæ Classis argum.

De attributo omnipotentiæ.

PRo omnipotentiâ affertur locus 1. Tim. 6. vers. 16. *Qui solus est potens*: Apoc. 1. v. 8: Ioh. 5. v. 19.

Hîc Socinus. *Si Græca vox, quæ reddita est, potens, esset δυνατὸς, ad rem faceret locus iste: sed vt supra vidimus, est δυνάςης: quæ vox revera non potentem, sed potentatum aliquem, seu principatum habentem significat. Itaque ad rem non facit. Præterea ante ostendimus, in quem sensum, in isto & similibus locis, vox, solus, accipienda sit, id est, vt alios minimè ab eadem appellatione excludat: sed tantùm doceat, alios omnes, vt ipsis eadem appellatio tribui possit, non ex seipsis habere, sed ab isto, qui propterea, solus, talis esse dicitur.* Antithesis: voces istæ, de Deo vsurpatę, quod, ad rei substantiam

Socin. pag. 439.

attinet, eodem tendunt; & antea aliquoties ostendimus, vocem ſolus, in iſto & ſimilibus locis, ita accipiendam eſſe, vt alios excludat ſimpliciter.

Pergit adverſarius. Iam ad probandum, quod Chriſto potentia, ſeu omnipotentia tribuatur, nihil in medium producunt, niſi teſtimonia illa Apoc. & Ioh. 1. v. 19: & lectorem refert ad ea, quæ de hiſce locis, diſceptata ſunt, ad quæ ne actum agam, lector etiam à me reijcitur. Videatur locus nonus claſſis primæ & tertius tertiæ claſſis.

CAP. IV. Quintæ Claſſis argum.

De attributo omniſcientiæ.

Socin. pag. 440. OMniſcientia Chriſti ea eſt, quâ omnia maxima minima, cujuſcunque tandem entitatis, & conditionis ſint, & abditiſſima arcana cordium ſcrutatur. Citatur locus Rom. 16. verſ. 27. Socinus hîc nihil adfert, niſi ſapientiam communicari creaturis, & Chriſto communicatam eſſe. Verùm hoc alibi eſt diſcuſſum. Itaque tranſeat.

CAP. V. Quintæ Claſſis argum.

De attributo bonitatis.

Socin. pag. 414. AD argumentum, de bonitate petitum, reponit Socinus, *aliud eſſe rem, de quâ agitur,*

prorſus eſſentialem, & omnibus numeris abſolutiſſimam, atque integram, in ſeipſo habere, aliud verò eâ vt qualitate, licet inſeparabili, præditam eſſe, ejuſque, quantumvis abundanter, factum fuiſſe participem.

Reſp. Hîc eadem controverſia, de communicabilitate, de voce ſolus, diſceptanda venit, illam intactam, vt dixi inpręſentiarum relinquo, & interea duo hîc moneo. 1. Cauſam nullam eſſe, cur Deo omnibus numeris abſolutiſſimam, atque integram bonitatem tribuat, Chriſto verò minorem. 2. Quod bonitatem, qualitatem à Chriſto inſeparabilem ſtatuat, in eo parum ſui memorem, meritò videri poſſe, cum nulla illi virtus aut obedientia, ſine arbitrio libero, in vtramque partem flexili: vel, ſi eo non obſtante, quod bonitas, qualitas inſeparabilis à Chriſto, Chriſtus tamen virtutes ſuas, cum laude maximâ exercuit, & Deo Patri obedivit, tum viderit Socinus cum reliquis liberi arbitrij patronis, de multis argumentis, quibus tanquam firmiſſimis demonſtrationibus vtuntur, pro libertate indifferentiæ ad vtramque. Quid enim frequentius auditur, quàm hâc ſublatâ, præmijs, pœnis virtuti & vitio non eſſe locum: hæc enim certe & alia ſimilia efficaciſſimè diſſolvi poterunt, per iſtam, inſeparabilis bonitatis confeſſionem, ab adverſario factam, qui & angelos, eam conditionem habere credit, vt non poſſint peccare, prælect. Theolog. cap. 3. quos tamen & Deo obedire, ſe ſuaque ad voluntatis divinæ normam componere certiſſimum eſt, per quam ſa-

ne ſimiliter confeſſionem, egregia & invicta ſuppeditantur arma, ad nervosè retundenda pleraque argumenta, quæ libertatis nimij propugnatores, ſententiæ de electione immutabili, efficaci gratiâ, & perſeverantiâ obijciunt.

CAP. VI. Quintæ Claſsis argum. *De attributo adorandæ majeſtatis.*

ADorandam majeſtatem, cultum & religionem, non eſſe inter ea quæ creaturis communicantur, ſemper ſenſit & adhuc ſentit Eccleſia Chriſtiana: quia autẽ illa omnia in Chriſto conſpicua ſunt, inde etiam invicta ſuppeditantur arma, ad demonſtrandam Chriſti deitatem, cum Patris deitate identificare, vt loquuntur.

Hoc verò argumentum, quod quartam conſtituit claſsem, eorum quæ pro æternâ deitate Chriſti adferri ſolent, ſic habet in formâ ſyllogiſticâ. *Qui eſt reliligiosè adorandus & colendus, eſt Deus ille vnus. Chriſtus eſt religiosè adorandus & colendus. Ergo Chriſtus eſt Deus ille vnus.*

Socin. pag. 443. Reſpondet adverſarius, diſtinguendo, *inter cultum relatum ad alium, & non relatum: illum Chriſti eſſe, vt qui Deo ſubordinatus eſt, & totus ab eo pendet: hunc Dei vnius eſſe, & in eo terminari & conquieſcere. De priore relegioſæ adorationis modo, majorem acceptum eſſe verum, minorem verò tum falſam eſſe; de poſteriore modo adorationis, acceptam majorem eſſe falſam.* Quod ſi ergo hujus diſtin-

diſtinctionis vanitas commonſtrata fuerit, patebit inde, reſponſionem illam revera nullam eſſe.

Vanam verò & fictitiam hanc diſtinctionem eſſe, probatur. 1. Eo ſenſu, quo vnus Deus ex toto corde diligendus, eo ſenſu vnus Deus adorandus: patet ex Deut.6. verſ.4.5.13. At Deus, vt ſingularis & individuæ eſſentiæ ratione vnus, ex toto corde diligendus eſt, id eſt vt indiviſus in ſe, & diviſus ab omni alio: Ergo etiam quà talis adorandus. Deum autem ſingularis & individuæ eſſentiæ ratione vnum eſſe, demonſtratum eſt pag. 23. & alibi, unitas ergo illa, quam Socinus fingit conſurgere ex duorum relatione mutuà, imaginaria eſt, & aliena ab illâ vnitatis ratione, quæ in ſacris nobis inculcatur. 2. Eo ſenſu etiam, in vno Deo confidendum, ergo & vnus Deus, quà ſic vnus, adorandus & invocandus: confirmatur, quia non aliud eſt adorationis, quàm fidei objectū. Rom. 10.v.14. In uno autem Deo, individuale vnitate vno, confidendum eſſe ſupra demonſtratum eſt ex Ierem.17. v.5. Neceſſe ergo, aut duplicem vnius eſſentiæ divinæ cultum dari; aut diſtinctionem hanc fictitiam eſſe. 3. Si Deus ille vnus, religioſam adorationem ſibi ſervat, tum non dantur duæ diſtinctæ adorationis ſpecies: At verum prius Eſ.42.v.8: vide hac de re, in examine decimi argum. tertiæ claſſis, vbi de hoc loco. 4. Si Chriſtus eſt adorandus eâ adoratione, quâ Deus Iſraelis, tum una tantùm adorationis ratio; at ſic adorandus Chriſtus, vt oſtenſum in collatione Pſalm.97.v.7. & Heb.1.

verſ.6. 5.Si ſolus Deus Iſrael eſt adorandus, tũ Chriſtus, aut eſt Deus ille; aut non eſt adorandus: cõſequentia ſatis firmatur,per veram definitionem,quâ, quid ſit eſſe,unum & ſolum Deũ declaratur. At ſolus Deus Iſrael eſt adorandus Mat.4.v.10: certiſſimum enim eſt, dictionem, ſoli, verbo ſervies adjunctam tantùm, ad verbũ tamen adorabis, pariter pertinere, vt agnoſcit Socin pag.455. Ergo Chriſtus, aut eſt Deus ille vnus, aut non eſt adorandus. Cum itaque Chriſtus adorandus ſit, non aliâ ratione adorandus. Per conſequens, non duæ adorandæ deitates ſubordinatæ ſunt: & ſic duæ adorationis ſpecies; ſed vna individua deitas eſt,& vna adoratio.

Hiſce ſic poſitis, progredimur ad examen teſtimoniorum, quę protulerunt Bellarm. & Wiek. ad probandum cultum & adorationem, vnius illius Dei, Chriſto competere. Primò affert Wiek. viſionem illam Eſa.6. juncto eo, quod ſcribitur Ioh.12. At cum hoc teſtimonium antea ſit excuſſum, non eſt, quod de eo, hîc iterum dicamus; itaque eò, cum adverſario, lectorem remitto.

Secundò adferuntur verba illa: *& adorent eum omnes angeli:* quæ ſatis etiam, antea ventilata ſunt. Hic falli adverſarios jactat Socin.,
Socin. *quod exiſtimant hîc agi, de adoratione, ſoli illi vni*
pag. 433. *Deo debitâ, quia illa ibi, idololatriæ, opponitur: nã inquit cap. primo, hujus reſponſ. oſtendimus, Paulum 1.Cor.8, Chriſti, vt vnius Domini, per quem omnia, adorationem idololatriæ opponere, nec tamen adorationem iſtam, illam eſſe, quæ illi vni ſoli*

Deo

Deo est debita, ea enim, vt ex eodem loco Pauli constat, hoc omnino habet, vt is, cui tribuitur, consideretur, vt Pater ille, ex quo omnia.

Verba ejus, ad objectum Ethnicismi crimen, de Deorum multitudine pag. 26. & 27, inter alia hæc sunt. *Verum tamen mirum est Wiek., in religione Christianâ, pro re abominabili habere, duos essentiâ distinctos, & sic quemquam, præter vnũ illum Deum, divino cultu afficere: cum potius hoc esse, Christianæ religionis proprium, divina oracula passim testentur: Nam quid illud est, apud Paulum 1. Cor. 8. v. 6:* Nobis vnus est Deus, Pater ille, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos propter illum, *quam non solùm illum vnum Deum nostrũ, sed aliam etiam quandam personam, nobis divinâ ratione colendam esse, id est Iesum Christum? agitur enim ibi, de divinitate colendâ, & dijs gentium atq; idolis, quæ ab illis celebantur, opponitur primum ille vnus Deus, deinde etiam Christus, vt vnus noster Dominus, differentiâ hac inter eos, expresse constitutâ, quod ille, vt is ex quo omnia, id est, prima causa nostræ fælicitatis, hîc verò, vt is, per quem omnia, id est, ejusdem nostræ fælicitatis causa secunda, quæ etiam efficiens instrumentalis appellari potest, colendus a nobis sit: vt interim, dum duo colendi, proponuntur, ad vnum tamen ex illis, vtriusque cultum, referendum esse, intelligatur, tanquam ad vltimum ipsius cultus scopum, in quo tandem conquiescat.*

Resp. Agi prædicto loco Psalmi, de adoratione vnius illius Dei, certum est, quia illa Dei adoratio, idolorum adorationi & cultui opponitur,

nitur, nam idolum aliâ ratione non fit idolum, nisi quia illi divinitas vnius illius Dei, & cultus & adoratio, quacunque ratione tribuitur. Religiosam adorationem deferre alij rei, quam Deo illi vni, citra idololatrię crimen, impossibile, quod adversarij agnoscunt, de tempore V.T., adeo vt nullum dari medium potuerit, licitæ & religiosæ adorationis, inter vnius Dei adorationem & idololatricum cultum; nec hac in parte, in Christianâ religione, immutatio facta, nec nobis aliâ ratione vnus Deus, quàm Patribus Testam V. Tum verò si non obstante, quòd vnus Deus est, duo tamen dij sunt, nihil prohiberet, in confessione vnius Dei, multitudinem deorum defendere, per subordinationem & relationem Socinianam vnitorum. Duos autem essentiâ distinctos in Christianâ religione non coli, ex eo ipso loco Pauli Apostoli probatur: quia Christianos Apostolus in illo loco Ethnicis opponit, & ab ijsdem distinguit, quod illis dij & Domini multi, nobis verò Christianis vnus Deus & Dominus: in quo loco, non hoc vult Apostolus, Deos & Dominos Ethnicorum, subjecto distinctos fuisse (nam Dij erant Domini & Domini erant Dij) sed tantùm Deos sive Dominos ipsorum multos fuisse. Cui ethnicæ multitudini, vnum Deum & Dominum. Christianorum opponit, quæ ratio oppositionis perit in sententiâ Socini, qui sentit Christianæ religionis proprium esse, duos habere Deos & Dominos, qui numerus excedit vnitatem, quam Paulus Ethnicæ multitudini opponit: neque verò, quia Patri deitas, Filio Dominium tribu-

itur, vllo modo ſequitur, duas deitatis rationes ſubordinatas hîc nobis concipiendas, & duos diſtinctos cultus gradus, quia ex Patre omnia, & per Dominum Chriſtum omnia; nam vt hîc ex Patre, ita & alibi per Patrem omnia eſſe dicuntur Rom. 11. v. 35: Paulum verò eo loquendi modo, hanc Samoſatenicam ſententiam expreſſiſse, idonea, quam nunquam adferent, probatione indiget. Nec poteſt Socin. ex hoc loco evincere, alium, præter vnius Dei cultum, idolatriæ opponi; aut coli quempiam poſſe religioſo cultu, qui nec Deus ille vnus, nec idolum ſit: neque unquam Socinianiſmus ſolidâ reſponſione, objectum Ethniciſmi, de Deorum multitudine crimen, diluere poterit.

Tertiò productus fuit locus Malach. 3. v. 1. *Veniet in templum ſuum Dominus, qui autem in templum ſuum, vt Dominus venit, ille majeſtatem habet adorandam: conſequenter Deus ille vnus eſt.* Socin. pag. 445.

Ad hunc locum Fauſtus bifariam excipit. 1. *Hebræam vocem Hechal, non templum, ſed regiam propriè ſignificare, vel baſilicam, hanc autem peculiari ſignificatione, ſignificare locum, vbi rex ſeu is, qui dominatur ac præeſt, jus dicit: in hunc ſenſum accipiendam vocem hanc apud Malach. vbi videlicet ſit mentio Dominatoris, qui exſpectatur: nempe vt veniat, ad jus dicendum, & in populo, cui dominaturus eſt, omnia componenda.*

Reſp. Diſputationem illam, de vocis Hebraicæ ſignificatione ſtrictâ, hic ſupervacaneam eſſe: ſufficit enim ad vim argumenti, vocem iſtam ſignificare, id, quo colendus religiosè

Dominus;

Dominus; quod verum est, sive de templo materiali, sive de mystico, quod est Dei populus & Ecclesia, locus iste intelligatur: nec etiam vox ista, magis ex naturâ suâ, terrenorum regum regiam notat, quàm majestatis divinæ, regiam sedem. Nam vt 1.Reg.21. vers.1. & Dan.1. vers.4, notat palatium regis terreni; ita sane etiam notat divinæ Majestatis palatium Psalm.11. vers.4: Psalm. 18. vers.7: Psalm.27. vers.4. Imò cum vox hæc originem trahat à radice *Iacol*, potuit, Deo sane maximè propriè competit, cum ille in regiâ suâ potentissimè regnet & dominetur. Secundò excipit vt antea, distinctione cultus duplicis, vt suprà de quo non est quod eandem cramben reponam: quæ hic in Pontificios retorquet, Pontificijs relinquimus, ij enim se ex luto idololatriæ, quamvis varia turpitudini suæ operimenta quæsiverunt, evoluere nunquam possunt.

Socin. pag. 446.

Quartò obijcitur, invocationẽ absentis cultum esse, apud Socinianos ipsius Dei proprium. At hoc axioma à Socino non agnoscitur, sed tanquam adulterinum repudiatur.

Socin. pag. 447.

Quintum est, Prophetas fere omnes prædixisse, omnem idololatriam desiturã post adventum Messię: falsum autem hoc esse, si Christus non sit verus Deus, eo cultu dignus, qui soli illi vni Deo debetur. At hoc vt parum solidũ transeat, non enim, quicquid tandem statuatur, de sensu earum prædictionum, ex ijs sequitur, nullam jam idololatriam in orbe vigere, cum hoc ipsum, quod vigeat, sit apertissimum.

Socin. pag. 448. 449.

Parat post hęc responsionem ad locum illum, quo

quo vehementer premitur Deut.6. verſ.13. At fruſtra ſoli obtenduntur nebulæ: *acrior erumpit, nequicquam obtenditur umbra.*

Reſpondet autem primò, *quod ad Dei præceptum attinet, nihil contra illud à Deo fieri, licet jubeat Chriſtum hominem, ſeu Chriſtum, quamvis prorſus res creata ſit, cultu divino affici; neque enim, cum iſtud praceptum datum eſt, Chriſtus extabat, nedum divinâ poteſtate atq́ imperio eſſet præditus: quod imperium ac poteſtas omnino per ſe, etiam Deo tacente cultu divino affici debet, quemadmodum colligitur ex verbis ipſius Chriſti,* Ioh.5.v.22.& 23: & Philip.2.v.9.10.

Hoc verò ſic diſſolvitur. 1. Pręceptũ illud nõ tantùm datum, antequã extaret Chriſtus; ſed ita datũ, vt æternum & immutabile ſit; nã alioqui ſi poſt adventũ Chriſti non eſſet obligatorium, ſed abrogatum, Chriſtus ſanè Satanam, ſui adorationem ab ipſo petentem, non efficaciter eo ictu repuliſſet. *Scriptũ eſt enim, Dominũ Deum tuum adorabis & illi ſoli ſervies,* lex enim, cujus jã ceſſat obligatio, pro nõ ſcripta eſt habenda. 2. Quod ſi divinũ imperium, & poteſtas, quà Chriſtus aliquando fuit pręditus, ceſſare faciant mandatum illud vetus, de vno Deo & Domino adorando, deberet cenſeri abrogatum mandatum illud, quia Chriſtus erat jam divino imperio & poteſtate ornatus, cum à Satana ad adorationem illam ſollicitaretur: proinde aſſertione falsâ Chriſtus Satanam retudiſſet, ſi jam alius, præter vnum illum Deum & Dominum, adorandus erat, quod vel cogitare nefas eſt. Oſtorod. diſp. contra Tradeli. pag.154. alijs vtitur effugijs.

Primò

Primò contra hoc mandatum non peccari, *posito mandato Dei, de Christo homine, seu de creaturà adorando.* Verum casus ille est impossibilis, quia termini contradictionem implicant; contradictoria autem simul esse vera, impossibile est: si enim solus Deus adorandus, sin alius adorandus, vtique Deus solus non est adorandus: & sanè si, salvâ unius Dei adoratione, interea tamen alius simul adorari potest, minimè sequitur, Satanam non esse adorandum ex ratiocinatione istâ, quod solus Deus adorandus. Nihilo plus valet, quod ibidem subjungitur, hoc argumentum valere posse, *quando homines, ex arbitrio proprio, per ἐθελοθρησκείαν, aliquem adorare sustinent; aut contra Dei voluntatem.* Quasi verò, hoc mandato non cessante, alius quàm Deus ille vnus adorari possit, quàm ex proprio arbitrio, & contra ipsius voluntatem: Nec vllo modo probanda responsio, quæ Christi argumentationem ilumbem facit, quod profectò hæ Ostorod. responsiones faciunt: nã si hoc præceptum de vno Deo adorando, declarat tantùm, Deum vnum adorandum esse, alium autem, præter eum, ex humano arbitrio non adorandum esse, tum, per istud præceptum, certum non est, alium, præter unum illum Deum, adorandum nõ esse; sed hoc, quantum ad istius pręcepti vim, in dubio relinquitur: ac propterea, ex isto mandato, de solo Domino Deo adorando, non patet, Satanam non esse adorandum: posset enim, posito, hanc responsionem bonam esse, salvo mandato, de solo Deo adorando, & alius adorari. Qualis, quæso, hæc Christi responsio, si salvâ;

vâ,& ratâ manente veteri lege, de adoratione solius Dei, alius, qui non est ille Deus, secundum legem novam ejusdem Dei adorari potest? præterquam enim, quod aperta inter leges istas pugna esset, vnaque alteram abrogaret, & everteret; Christi responsio hoc pacto, prorsus enervaretur. Taceo quod hac viâ efficitur, ex mandato, de solo Deo adorando, nihilo firmius colligi, vnum adorandum esse, quàm creatum: nihil enim prohiberet, istiusmodi Socinianorum glossis admissis, solum Deum adorare, & tamen centum adorare.

Quia verò, in dissolvendâ Socini responsione, à me inter alia dictum fuit, Christum, cum à Satana tentaretur, & in terris ageret, divinum imperium & potestatem habuisse; consequenter omnia ex parte suâ, ad adorationis cultum excipiendum, necessaria habuisse, hoc paulo plenius, ad constringendos adversarios est confirmandum. Divino ergo imperio & potestate, præditum jam tum fuisse liquet, quia Dei Filius erat: potestatem autem divinam, quam habuit, cum in terris degeret, adorabile nomen illi contulisse, colligitur, vel ipso Socino assentiente, ex verbis Christi Iohan. 5. v. 22. 23: in istis enim verbis Iohannis, non de futurâ, sed de presente Christi potestate agitur; istam verò potestatem ejus naturæ esse Socinus dicit, vt etiam, Deo tacente, cultu divino affici debeat. Et cum fiducia in Christo collocanda fuit, cum in terris versaretur, dubium esse non potest, & religiosè adorabilem fuisse, cum hæc duo à se mutuò divelli non possint. Sic enim hac de re Smalcius

lib. de divinitate Christi cap. 24. *Hujus fidei in Iesum Christum consequentia rursus quædam sunt, divina, quæ ei debetur, adoratio & invocatio.* Rursus ibidem: *legimus Apostolos Christum, cum adhuc in terris esset, invocâsse* hoc modo, *Domine adauge nobis* fidem Luc 17.v.5: *Domine serva nos perimus* Mat.8.v.25. Necesse est itaq;, aut hoc præceptum de vno Deo adorando solvi; aut agnoscere Iesum Christum fuisse, & esse Deum illum vnum: hoc verò præceptum solvitur nusquam; sed quoties offertur occasio, fortiter astringitur. Admodũ prægnanter angelus Apoc. 14.v.7, *timete Deum, & ei tribuite gloriam: nam venit hora judicij ejus, & adorate eum, qui fecit cœlum & terram, & mare, & fontes aquarum.* Nec aliter ad Ioh. Angelus, *Deum adora* Apoc.22.v.9. Pergit jam ad reliqua, quibus Socinus hoc illustre testimonium eludere conatur. Dicit ergo secundò, *cum Christus Deo Patri sit subordinatus, adorationẽ Christi præcepto divino, de vno Deo adorando, plane consentaneam esse: qui enim non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui illum misit Ioh.5.v.23: imò tantùm abesse, vt quidquã contra illud præceptum, de illo vno Deo adorando, illiq; soli serviendo, committatur; vt potius isti præcepto non satisfiat, si Christo homini divinus cultus non tribuatur.* Hæc ille quod ad rei substantiam.

Socin. pag.452.

Resp. Ut jam responsum est, vnitatem Dei sententiam illam, de subordinato Deo, funditus evertere, & præcepta vnius solius Dei & Domini adoratio, omne consortium excludit alterius, qui non sit Deus ille vnus: nam si adoratio alterius poterat esse vnius illius Dei ado-

adoratio, nunquam ex illo prçcepto populo Dei constare potuit; an vnus, an plures inter se subordinati, adorandi essent. Dico deinde, vt dixi, hac admissâ responsione, non esse impossibile, vt, ratâ manente lege illâ; de vno Deo adorando, angelus malus adoraretur: Deo enim facile fuisset, angelo malo in gratiam restituto adorationis gloriam conferre, si Socinianis credimus: at posset Deus hac viâ, salvâ lege, de vno Deo colendo, Sanctos canonizare, & sibi subordinatis religiosos omnis generis honores decernere. Quod si per hanc viam vnius Dei adoratio cum veritate sustineri potest, simili ratione defendi posset, etiamsi Pater jam nullo modo adoraretur, aut preces in eo non terminarentur; sed solus Filius adoraretur, adhuc tamen Patrem solum adorari: ratio Sociniana est, quia Filius adoraretur, ratione divinitatis quæ ei ex Dei munere contigit. Hæc verò quis non videt absurdissima, & ab omni specie verisimilitudinis abhorrere? Valeant ergo hæc figmenta, adversus clarissima & invicta Sac. Sc. oracula excogitata. Postquam hujus testimonij, ex Deuter. &c. vim à se satis subversam existimat, convertit se ad locum Esa. 42. v. 8. Hic primò adversarius ad hoc testimonium satis à se responsum esse ait, ad finem examinis decimi argumenti, tertiæ classis, & se lectorem eò reijcere: videat propterea lector, si placet, quæ ibidem illi opposui.

Unum hoc hîc sibi addendum censuit, *Iustinum, in Dialogo cum Tryphone Iudæo, loco isto Esa.*

vti, ad probandum, quod Deus gloriam ſuam ſoli Chriſto dederit, cum Tryphon illum attuliſſet vt oſtenderet, quemadmodum Trinitarij vulgò faciunt, Deum ſtatuiſſe nulli præter ſeipſum, vnquam dare gloriam ſuam, & ſic ne Chriſto quidem eam dediſſe, concluderet. Sic enim iſta Dei, apud Eſaiam verba, interpretatur Iuſtinus, quaſi Deus voluerit dicere, ſe non daturum gloriam ſuam cuiquam alij, niſi videlicet Chriſto: de quo nimirum, ad gentes illuminandas & ſervandas, ab ſe mittendo, loquebatur, & tandem, toto ipſo loco recitato, ſic vt quidem Græca verba ſonant, concluditur: intellexiſtis, ô amici, quod Deus dicit daturum ſe huic, quem in lucem Gentium conſtituit, gloriam, & non alij cuipiam: non autem vt dixit Tryphon, quaſi ſibi ipſi Deus retineat gloriam.

Reſp. Tryphonem Iudæum alio ſenſu objeciſſe locum illum Iuſtino quàm Orthodoxi, quos Trinitarios appellat Socinus, locum illum ſententiæ ipſius, de deitate & adoratione Chriſti, obijciunt: nec Iuſtinus eo ſenſu dixit, datam Chriſto gloriam, quo Sociniani hoc ipſum aſſerunt: & cũ Orthodoxi ex iſto Eſa. loco, probant, Deum alteri non dare gloriam ſuam, non negant Filio à Patre communicatam gloriam; ſed negant Deum alteri dare gloriam ſuam, qui non eſt ejuſdem divinæ eſſentiæ particeps.

Socin. pag. 454. 455. Hiſce paginis, auctarij quaſi loco, cum Bellar. contendit, de cultu latriæ, quia hic aliquoties monet, Chriſtum non poſſe cultu latriæ affici, niſi ſit ille ſummus & altiſſimus Deus, quia latriæ nomine is cultus intelligitur, qui ſoli altiſſimo convenit. *Negat verò Chriſtum affici illo cultu,*

cultu, qui soli convenit altissimo; nec id ex suâ sententiâ sequi: loco Ioh. 5.v.23. Ut omnes honorificent Filium, quemadmodum honorificant Patrem, non omnimodam æqualitatem declarari; sed tantùm idem rei genus significari. Ad quæ respond. jam satis abundè hac de re actum esse: etsi verò particula, *sicut*, non eam semper vim habeat, vt omnimodam rei æqualitatem declaret; tamen tum subjècti, tum argumenti ratio, ex quibus petenda sæpe germana vocum significatio, ostendit hoc loco vnam & eandem honoris speciem intelligendam esse; cum, vt ostendi antea, religiosus honor, de quo hoc loco agitur, non duplex, sed vnus & simplex sit.

Deinde agit de vocabulo latriæ, *dicens se non videre, vnde hoc habeat Bellarminus, quod cultus solius Altissimi eo significetur: nisi fortasse ex illis verbis, & illi soli servies, pro quo in Græco, apud Mat.4.v.10: Luc.4.v.8. est λατρεύσεις, sed hoc satis non esse: quandoquidem hac ratione sequeretur, inquit, verbum προσκυνεῖν, cultum significare, qui soli Altissimo convenit, quod tamen palam falsum est.*

Resp. Distinctiones illas cultus religiosi, in λατρείαν, δουλείαν, ὑπερδουλείαν, à pontificijs inventas esse, ne idololatricis ipsorum cultibus fucatus deesset color: promiscuè enim voces istæ in sacris vsurpantur, ad cultum Dei designandum: nec vllæ sunt voces, quæ nobis distinctas cultus & adorationis species, aut summam, & subordinatam summæ adorationem ob oculis ponant; adeo vt putidi & inepti admodum sint, qui religiosum cultum, per varios,

eosque superiores, & inferiores gradus distinguere non reformidant.

CAP. I. Sextæ Classis argum, *De opere creationis.*

SEquitur sexta argumentorum classis, quæ ab operibus divinis Christo tributis, ducuntur, Primum Dei ad extra opus, creatio & productio rerum omnium ex nihilo: quod cum vnius & solius Dei proprium opus sit, Christo tamen tribuitur: efficitur hunc Christum esse Deum illum vnum. Christo verò eam tribui, in examine locor. Iohan 1. vers. 3: Coloss. 1. vers. 16: Hebr. 1. v. 10: Prov. 8. v. 27. ostensum est: ad quorum testimoniorum confutationem hoc inpræsentiarum adfert *nusquam in illis, sive Christo, sive rei illi, quem adversarij Christum esse contendunt, tribui quod creaverit, aut etiam fecerit: sed tantùm, quod vel tanquam instrumentalis causa creandi & faciendi fuerit, vel, quæ fiebant, aut creabantur, composuerit, si modò inquit, ex ipso creationis opere, ut quidem profitentur, argumentari volunt adversarij,*

Socin. pag. 456.

Resp, Socinum ἀκυρολογεῖν, & impropriè valde loqui, cum hîc & alibi passim, Christum causam instrumentalem appellat, quià Deus Pater, per Christum omnia operari dicitur. Propriè enim causa instrumentalis est illa, quæ concurrit ad effectum producendum nobiliorem se, seu, quæ excedit mensuram propriæ perfectionis

nis & actionis : causa verò principalis est illa propriè, quæ producit effectum, per virtutem, vel effectui æqualem, vt fit in causis vnivocis; in quibus effectus est ejusdem rationis, cum principio producente : vel effectu nobiliorem, vt fit in causis ęquivocis, in quibus effectui cum causâ suâ, in eadem formâ non convenit formaliter; sed causa totum quod est in effectu, secundum rationem eminentiæ continet. Omnis ergo causa, quæ habet virtutem intrinsecam, aliquâ elevatione non indigentem, sed effectui proportionatam, causa principalis rectè dicitur. Iuxta hanc autem veram & propriam, causæ instrumentalis & principalis, tum definitionem tũ distinctionem; non causa instrumentalis, sed digniore nomine causæ principalis & primariæ, meritò appellari debet & rectissimè appellatur Christus. Quod si existimet Socinus, Christum non aliam quam instrumentalem creationis causam dicendum esse; quia Pater per eum creâsse, aut fecisse dicitur; pari ratione statuendum erit, nullam creaturam causam principalem alicujus effectus esse, (quod nemo hactenus sensit) quia certissimum est, omnem causam secundam dependere à causâ primâ. Eodem modo dicendum esset, quamlibet potentiam, aut principium operandi, per quod suppositum agit, causam instrumentalem actionis esse; vt potentiam intellectivam actionis intelligendi; potentiam visivam visionis, & sic deinceps, quæ locutiones impropriæ. Quod si ergo Christus causa instrumentalis creationis dicenda, in latiore & impropriâ significatione,

accipienda erit vox illa. Dico prætcrea, dato, Christum non aliam, quàm instrumentalem creationis causam dicendum esse, minimè inde consequi, Christum non rectè & verè creatorem rerum omnium dici: nam vel ipsum agens instrumentale, propriè sic dictum, absolutè denominatur agens, ab instrumentariâ actione: sic Timot. salvaturus dicitur, qui ipsum audierint 1. Tim. 4. v. 16: culter scindit, & tamen tantũ modò instrumentariâ actione: multò magis ergo causa quæ impropriè causa instrumentalis, causa principalis verò est, & dici meretur. Nec sequitur illud, quia Pater operatur per Filium, Filium non denominari rectissimè creatorem: nam & Pater miracula per Filium fecit, nihilominus dixit Filius: *quæcunque Pater facit, Filius similiter facit*. Pater per Filium salvat mundum, & eundem judicabit, nihilominus Filius salvator, & judex mundi appellatur, pari jure sane creator omnium dicatur, quia per eum creata sunt omnia. Nec etiam præpositio *per*, causam instrumentalem designat talem, quæ Christo adimat, vt sic dicam causæ principalitatem, Deus enim per manus & digitos suos, hoc est potentiam suam, creavit omnia, illa nihllominus causa principalis rerum omniũ. Accedit, quòd præpositio *per*, etiam Patri tribuitur: Gal. 1. v. 1: 1. Cor. 1. v. 9: 2. Cor. 1. v. 9: Eph. 1. v. 1. Et quod si etiam Socinianis onus imponeretur probandi, præpositionem διὰ apud Iohan. relationem Filij ad Patrem, in opere creationis indicare, aut Filium fuisse principium, per quod operatus Pater, istâ phrasi expressum

pressum esse, non esset sane in promtu probatio quamvis alioqui hoc in se verissimum sit. Sic cū Apost. dicit Rom. 1. v. 5. *Per quem accepimus gratiam & Apostolatum*; non eo indicat, Christum causam esse mediam, per quam Deus Apostolo gratiam & Apostolatum contulit; sed simpliciter voluit, Christum sibi authorem gratiæ & Apostolatus. Sic ad Gal. cap. 1. v. 1: Rom. 5. v. 12. Primus homo causa principalis peccati & mortis, præpositione tamen διὰ, ad id significandum vsus Apostolus.

Secundò ad locum Esa. 44. v. 24: ubi scriptū extat. *Ego sum Dominus, extendens cælos solus, stabiliens terram & nullus mecum:* Iob. cap. 9. v. 8. *Qui extendit cælos solus*, excipit adversarius, *hæc testimonia non probare, Deum in mundo condendo & componendo, nullius prorsus operâ fuisse vsum, sed tantùm nullius, qui ab ipso totus non penderet, vimque istam, circa mundi creationem, aliquid operandi, ab ipso omnem non habuerit, sic enim meritò dicitur Deus solus, & à nemine adjutus, mundum creâsse ac fecisse, cum omnis vis & munus, quidquam in eâ re faciendi, quod alius habuerit, ab ipso prorsus profectum fuerit: præsertim, cum ex hoc intelligi possit, Deum istius operâ, non propterea fuisse vsum, quia sine ipsâ mundum condere non posset: sed vt bonitatem suam exerceret, in communicandâ aliquâ ratione, cum illo, vi & potestate suâ; ad hunc sanè modum Arriani testimonia ista haud immeritò interpretantur, aut certè interpretari possunt.* Socin. pag. 457.

Resp. Planissimè ex Scripturâ sacrâ constare, Deum solum rerum omnium creatorem esse, vt

vnus & solus Deus est, nullumque illi, in condendo mundo, consortem fuisse: nam si vnus aut plures cum Deo illo vno, rerum omnium conditores fuissent, etiam cum eo colendi & adorandi fuissent, creatio enim opus est, propter quod creator coli dignus sit & debeat. Ita Ionas emphaticè Ion.1. v.9, *Iehovam Deum cælorum ego revereor, qui fecit mare & aridam*. Paulus Apostolus Act.14. v.15. Hinc creatio signũ διακριτικὸν est, quo verum numen à falso numine discernitur Ierem.10. v.11. Accedit, quod si hęc testimonia non probant, neminem cum Deo mundum creâsse, necesse esse, fluctuare Socinianos in fide unius Dei creatoris, & ex Scripturis, nullo modo certos esse, unusne an plures fuerint mundi creatores; cum vox ista, *solus*, & similes, numernm incertum & indefinitum ipsis denotent, ex quo certè constare non potest, quis, quot, quinam creatores, sed hoc tantùm, nullum à Deo independentem, quique vim istam circa mundi creationem, aliquid operandi, ab ipso omnem non habuerit, illi in creatione non fuisse socium. Illa ergo testimonia, aut concludunt, nemini extra Deum potentiam creandi communicatam, & nullum cum Deo creâsse, aut numerus creatorum incertus erit, quod est in fide absurdissimum, ideoque Socinus Arrianismo infęliciter patrocinatus est.

Adfert & illud adversarius. *Christum quando non dicitur, causa creandi & faciendi instrumentalis fuisse, dici tantùm, quæ fiebant, aut creabantur, composuisse:* quibus verbis procul dubio

respicit

respicit ad locum Prov. 8. vers. 30. ubi Franciscus Vatablus, ex Hebræo vertit; *eram apud eum veluti alumnus* : quæ verba exponens in annotationibus, ait. *Velut es qui alit, & educat ista inferiora* : versio interlineata habet, *nutritius*, vt vertit etiam in lexic. Buxtorfius, Iunius, Tremellius, vertunt *educans* : vetus habet, *cum eo eram cuncta componens*, Græcam versionem secuta, ἤμην παρ' αὐτῷ ἁρμόζουσα. Quicquid verò, de strictâ & propriâ vocis Hebreæ notione statuatur, illud non negandum; aut creationem ipsam, aut partialem aliquem actum, ad creationis opus vniversè sumtum pertinentem, eâ significari, quod ad vim argumenti, quod ex creationis opere desumitur, hoc loco perinde est: sive enim narratio instituatur particularis, de re vna aut pluribus à Deo creatis, sive narretur partialis aliquis actus, qui vniverso creationis opere comprehenditur: sive narretur creatio rerum omnium, vocibus talibus, quæ integrum creationis opus comprehendunt, semper vniversum creationis opus intelligitur, ideoque ad rem non facit, quod Christus non creâsse, sed composuisse dicitur : cęlos extendere, partialis creationis actus est, eo tamen Iob, significatum voluit tacite, aut rectè saltem inde concluditur, Deum simpliciter omnium rerum creatorem esse.

Porro ad objectum sibi locum Ioh. 5. vers. 19: *quæcunque Pater facit, hæc & Filius similiter facit*, respondet, de horum verborum sensu se dixisse, in responsione ad tertium argu-
mentum

vnus & solus Deus est, nullumque illi, in condendo mundo, consortem fuisse: nam si vnus aut plures cum Deo illo vno, rerum omnium conditores fuissent, etiam cum eo colendi & adorandi fuissent, creatio enim opus est, propter quod creator coli dignus sit & debeat. Ita Ionas emphaticè Ion.1. v.9, *Iehovam Deum cælorum ego revereor, qui fecit mare & aridam*. Paulus Apostolus Act.14. v.15. Hinc creatio signũ διακριτικὸν est, quo verum numen à falso numine discernitur Ierem.10. v.11. Accedit, quod si hęc testimonia non probant, neminem cum Deo mundum creâsse, necesse esse, fluctuare Socinianos in fide unius Dei creatoris, & ex Scripturis, nullo modo certos esse, unusne an plures fuerint mundi creatores; cum vox ista, *solus*, & similes, numernm incertum & indefinitum ipsis denotent, ex quo certè constare non potest, quis, quot, quinam creatores, sed hoc tantùm, nullum à Deo independentem, quique vim istam circa mundi creationem, aliquid operandi, ab ipso omnem non habuerit, illi in creatione non fuisse socium. Illa ergo testimonia, aut concludunt, nemini extra Deum potentiam creandi communicatam, & nullum cum Deo creâsse, aut numerus creatorum incertus erit, quod est in fide absurdissimum, ideoque Socinus Arrianismo infęliciter patrocinatus est.

Adfert & illud adversarius. *Christum quando non dicitur, causa creandi & faciendi instrumentalis fuisse, dici tantùm, quæ fiebant, aut creabantur, composuisse*: quibus verbis procul dubio

respicit

respicit ad locum Prov.8.vers.30. ubi Franciscus Vatablus, ex Hebræo vertit; *eram apud eum veluti alumnus* : quæ verba exponens in annotationibus, ait. *Velut es qui alit, & educat ista inferiora* : versio interlineata habet, *nutritius*, vt vertit etiam in lexic. Buxtorfius, Iunius, Tremellius, vertunt *educans* : vetus habet, *cum eo eram cuncta componens*, Græcam versionem secuta, ἤμην παρ᾽ αὐτῷ ἁρμόζουσα. Quicquid verò, de strictâ & propriâ vocis Hebreæ notione statuatur, illud non negandum; aut creationem ipsam, aut partialem aliquem actum, ad creationis opus vniversè sumtum pertinentem, eâ significari, quod ad vim argumenti, quod ex creationis opere desumitur, hoc loco perinde est: sive enim narratio instituatur particularis, de re vna aut pluribus à Deo creatis, sive narretur partialis aliquis actus, qui vniverso creationis opere comprehenditur: sive narretur creatio rerum omnium, vocibus talibus, quæ integrum creationis opus comprehendunt, semper vniversum creationis opus intelligitur, ideoque ad rem non facit, quod Christus non creâsse, sed composuisse dicitur : cęlos extendere, partialis creationis actus est, eo tamen Iob, significatum voluit tacite, aut rectè saltem inde concluditur, Deum simpliciter omnium rerum creatorem esse.

Porro ad objectum sibi locum Ioh.5.vers.19: *quæcunque Pater facit, hæc & Filius similiter facit*, respondet, de horum verborum sensu se dixisse, in responsione ad tertium argumentum

mentum tertiæ claſſis,quò etiam lectorem reijcimus. Deinde ait, *Chriſtum hîc de miraculis tantùm loqui*. At contra, cum iſta miraculorum patratio recens eſſet, nec conſpicuum, miraculoſa opera diebus Sabbathinis à Patre facta eſſe, convenientius certè eſt, & magis ex ſcopo Ieſu Chriſti, reſtrictionem iſtiuſmodi non facere: Chriſtus enim in antecedentibus, quibus hæc cohærent continuatâ orationis & argumenti ſerie: dixit *Pater meus uſque adhuc operatur, & ego operor*; quæ verba non recens initium, ſed diuturnum illorum operum exercitium indicāt. Scopo Chriſti hæc interpretatio convenientior, Chriſto hîc propoſitum refellere Iudæos, qui offendebantur propter ægrum Sabbatho curatum, multò autem apertius & fortius refelluntur Iudęi, qui ſanatione ægri, Sabbathum à Chriſto violatum exiſtimabant, argumento ducto, ab opere communis providentiæ, à quo opere Deum Patrem nunquam ceſsâſſe die Sabbathi apertum erat Iudæis, & vt iſto opere glorificatur Pater, ita etiam,hoc opere Sabbathum non violatum eſſe convincebantur. Diſputationem, quam hîc movet de productione animæ rationalis,quia ad ſcopum præſentis quæſtionis non facit, non attingam. Unum hoc moneo, miſsâ quęſtione, quæ agitatur, de modo originis animæ rationalis,an ex traduce ſit,an à Deo infundatur,illud interea indubitatum eſſe,ſpiritum & animam humanam, divinæ admirabilis & arcanę providentiæ opus & munus eſſe. Eſt enim Deus Jehova, *Deus ſpirituum omnis carnis*: Num.27.v.16: Heb.12.v.9: Eccleſiaſt.12.v.7:

Act.

Act.17.v.25: hoc hîc posuisse cõtentus ero, altius in ista adyta non tentabo hoc loco penetrare. Tertullianus pertinax traductionis & propaginis defensor fuit, de animâ cap.20: qui etiam Senecam eò trahit: sed verè trahit, Stoicis enim longè alia mens. Quid Lactant. lib.3. cap.18. *Pythagorici, inquit, & Stoici, cum timerent argumentum illud, quo colligitur, necesse esse, vt occidãt animæ cum corporibus, quia cum corporibus nascuntur: dixerunt non nasci animas sed insinuari in corpora:* quâ voce Lucretius Epicureus, aliquoties est vsus in Stoicis refutandis: hos enim potissimum intelligit, cum hanc sententiam refutat lib.3. multis versibus. Rationi sane & Dei verbo consentaneum magis è cælo & æthere advenire animum, vt Stoicis, & alijs melioris notæ Philosophis placuit. Sed missis hisce, ad rem redeamus. Sententiæ igitur de creatione hoc etiam iucommodum opponit Socinus, quod Christus, in præsenti tempore loquatur, quod nullo pacto, ad præteritum trahi possit, nisi prius constet, Christum jam tunc extitisse. Sed facilis est responsio, de præexistentiâ Christi constare, cujus contrarium Socini negatio non probat: quid enim tam certùm, de quo non dubitatur: Scepticorum est, de omnibus dubitare, nec defuit qui diceret nivem esse calidam contra judicium sensus.

Venit postremo ad locum Ierem.10.vers.11. vt eo se exolvat. Locus ita habet. *Dij, qui cælum & terram non fecerunt, pereant de terrâ.* Valet dilemma ex hoc loco: *aut non est colendus Deus Christus, aut est creator mundi.*

Resp.

Resp. Primò ad hoc argumentum, à se plenissimè ac solidissimè responsum esse, in disputatione adversus Andream Volanum; summam verò responsionis hanc ait. *Primum Ierem. non loqui de omnibus Dijs, sed ijs, qui Iehovæ à Deo opponuntur, atque vt primi authores rerum coluntur: quod nos minimè in Christo Deo asserendo facimus, imò illum Iehovæ Deo subordinatum esse dicimus, vt vnico rerum omnium auctori, ab ipsoque totum pendere: nam nisi isto pacto Ierem. verba interpretaremur, exterminandi essent & alij Dij, qui tamen Iehovæ sunt cari, de quibus supra est visum. Deinde cum Ierem: ista scripsit, Christus nondum erat, nec vllo modo apparet, dictum istud ad omnia consequentia tempora pertinere: imò ex loco ipso constat, hanc fuisse admonitionem Ierem. ad Iudæos, qui tunc temporis in Babyloniâ degebant, vt scirent quid sibi respondendum esset Chaldæis illis, si ab ipsis ad idola colenda solicitati fuissent.*

Resp. Scriptum adversarij adversus Andream Volanum, visum & lectum à me aliquando, sed jam mihi ejus non datur copia: sed parum refert; epitomem solidissimæ ac plenissimæ, de quâ gloriatur responsionis, hîc habemus, quâ debellatâ, nihil ibi solidi restabit. Quod ergo primò dicit, Prophetam verba facere de Dijs Iehovę oppositis, & qui, vt primi authores rerum coluntur, Christum ex suâ suorumque sententiâ, à Iehova depēdentem esse, eique subordinatum, illud sane nihil solidi, sed inanem & meram vmbram continet: nam omnes Iehovæ sunt oppositi, qui cælum & terram non creaverunt, quod disertè assertio Prophetæ continet: nihil

nihil ergo ad rem facit, ſive Dij illi conſiderentur vt collaterales, ſive vt Deo vero ſubordinati: fruſtranea enim, & vana prorſus omnis diſtinctio, vbi res ipſa ſimpliciter vetita eſt. Plures enim vno Deos colere, ſub Moſe & Prophetis, ſine idololatriæ crimine erat impoſſibile: nec ſubordinatio magis liberat ab idololatriæ crimine, quàm collateralitas. Vitulus aureus, quem Aaron precibus populi inductus, in deſerto conflavit: imagines Ieroboam, quas ille in Dan & Bethel erexit, erant nō minus Dij exterminandi (quamvis Iehovæ Deo ſubordinabantur, & omnes, qui illis deferebatur honos, eâ mente à cultoribus ijs deferebatur, vt in honorem ſummi Dei rediret) quam Baal & Dij peregrini, ab alijs populis aſſumti, & Iehovæ collaterales facti. Accedit per hanc reſponſionem, omnes idololatricos Pontificiorum cultus juſtificari; ſolum enim Deum vt primum authorem rerum colunt, & cultus, quos ſanctis exhibent, non vt Deo ſe exhibere proteſtantur, ſive vt talem concilient illis opinionem, qualem in ſolam Dei majeſtatem competere norunt: honorem ergo, Deo debitum, ſuis cultibus Deo ereptum non eunt, ſi quicquam aut veritatis aut ſoliditatis in hac reſponſione eſt. Hanc tamen omnino probandam, putat Socin. eo motus argumento, quod alioqui exterminandi eſſent & alij Dij, qui Iehovæ cari: ita ſane ſi angeli aut magiſtratus transformentur in numina religioſè colenda (de Dijs enim colendis hîc agitur) exterminandi profectò, eatenas enim abominanda & fictitia eorum divinitas eſſet: ſupremum enim numen *Socin. pag. 459.*

men hac in parte consortis impatiens est.

Tertio ait, *Christum tum nondum fuisse, nec vllo modo apparere, dictum istud ad omnia consequentia tempora pertinere, ex loco ipso constare, hanc fuisse admonitionem Ierm. ad Iudæos, &c.* Ad hoc replico, primam ergo responsionem nullam esse & falsam: si enim Ierem. de tempore præsenti intelligendus est, omnis ergo Deus, qui colebatur religiosè, Iehovæ simpliciter oppositus fuit: vim verò istius dicti & similium ad consequentia etiam tempora, extendendam esse, eo suadetur, quod lex ista de uno Deo colendo, & nullo alio, habenda sit pro lege absolutè immutabili: leges enim istæ absolutè immutabiles sunt, quæ jubent & vetant aliquid, cujus contrarium intrinsecam & inseparabilem à se pravitatem continet: vt lex quæ vetat, Deum non colere, proximum non diligere, mentiri, scortari, adulterium committere, & similia: alium Deum colere religiosè, quocunque tandem modo cōceptum vetuit lex & Prophetæ: hoc autem juris perpetui esse, probatur ex ratione latæ legis: ratio latæ legis est, quia Deo eripitur sua divinitas & gloria, & ad alium transfertur Esa. 42. Nec hoc adhæret aut inest cultui religioso, qui defertur alij, quia Deus tulit legem talem, sed quia turpitudo ista adhæret actui, illa Deo caussa æquissima latæ legis. Cum ergo cultus vnius Dei, talis sit naturæ, vt ejus opposito adhæreat, quod intrinsecè & naturâ suâ malum est, necesse est censeamus, legem de vno Deo colendo irrelaxabilem & æternam esse, vt sunt omnes istæ leges, quarum fundamentum est naturalis

recti-

rectitudo actuum, vel pravitas, quæ ipsis intrinseca, & ab ijsdem inseparabilis. Deinde lex hæc non est abrogata, & Prophetæ, cum de idolis abolendis vaticinantur, solent ad tempora consequentia frequenter respicere; & cum vnum Deum colendum dicunt, non hoc tantùm ratione præsentis temporis dicunt, verùm etiam futuri: multę enim eà de re extant peregregiæ prædictiones: idem autem est, sive idola dicas, sive Deos, qui cælum & terram non creaverunt: ergo hoc ad tempora V. T. restringi non debet; sed ad tempora N. Test. extenditur, ad quę disertè Christus extendit præceptum, de solo Deo & Domino Israel adorando ex quo satis apparet, jam tum adhuc ratam fuisse sanctionem illam, de exterminandis Dijs illis, qui cælum & terram non creaverunt, & vt Iudæis hoc respondendum fuit, à Chaldęis ad idololatriam solicitatis, sic etiamnum Christianis hoc respondendum est, qui eos abducere tentant, ad Deum, qui non est creator omnium.

CAP. II. Sextæ Classis argum.
De opere conservationis.

ALterum Dei, creationi succedaneum & succenturiatum opus, est conservatio: hoc proprium Dei opus est & Filio asscribitur Heb.1. v.3: Col.1. v.17.

Socinus primò excipit, *vocem omnia, non vni-*

versè accipiendam, sed ad Christi Ecclesiam & re-
Socin. pag. 460. *gnum accomodandum:* Verùm negatur, hîc restrictionis esse causam, in antecedenti locutus de creatione, ergo & hîc de conservatione universali, verba intelligenda sunt: locus ad Eph. cap. 1. alterius argumenti, verba autem secundum subjectam materiam accipienda sunt.

Secundò excipit, *verbum græcum* φέρων, *hîc potius agendi seu movendi ac moderandi significationem habere, quàm portandi, authoritate Erasmi hoc loco fretus, & Ambrosij etiam, qui commentarijs in hanc Epistolam* portans *interpretatur* gubernans: *etiam illud verbo potentiæ suæ, quo jussus & imperium significatur, non ita aptè conservationi, vt gubernationi convenire, hanc conservationem essentialem, rerum omnium Christo nusquam tribui, si tamen tribueretur, dicendum fore, Christum non habere potentiam illam ex seipso, sed Dei dono.* Hęc summa responsionis.

Verùm respond. significationem propriam vocis φέρειν, præsumendam esse, ac proinde non gubernationi, sed conservationi rerùm omnium accomodandam esse, inter varias hujus vocis significationes, apud eos, quos ego quidem consulere potui, nulla invenitur, quæ ad gubernationis opus quadret. Nec vox φέρειν sola, sed voci ἄγειν conjuncta Erasmo est moderari aliquem, suo arbitratu. Verùm neque græca illa verba, moderationem quamlibet, sed cum impotenti libidine, conjunctã denotant: est enim ἄγειν καὶ φέρειν græcis, idem quod populari, Synes. ἐπειδὴ λυδίας ἄρχων ἦγε καὶ ἔφερε τὰ λυδῶν: quod Livius Latino sermone, libro octavo de

bello

bello Macedonico enarravit. Tum demum fracta pertinacia est, vt ferri agique res suas viderunt. Herodotus lib. primo οὐδὲν γὰρ ἐμοὶ ἔτι τούτων, μέτα ἀλλὰ φέρουσί τε, καὶ ἄγουσι τὰ σά: neque etiam significatio verbi potentiæ, gubernationi, quàm conservationi accommodatior: tam enim efficax Dei imperium tum creationi, tum conservationi, quàm gubernationi præsidet, de potentià conservandi naturali & ex Dei dono; non est quod ad nauseam rursum inculcemus.

Locus ad Colossens. habet πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε: *hic rursum vocem omnia, non universè accipiendam, restringendam esse ad res intelligentiâ præditas, eas à Christo conservari, quatenus per Christum sunt reformatæ.* At de his judicium fiat ex antedictis vt tautologiam vitemus nimiam.

CAP. III. Sextæ Classis argum.

De opere Salvationis.

TErtium, Dei proprium & incommunicabile opus, est salvatio Esa.43.v.10. *Ego sum Dominus, & non est absque me Salvator:* Esa. 45.vers.21. *Deus justus est, salvans non est præter me.* Ose.13.v.4. *Ego sum Dominus Deus, & Salvator non est præter me.* At Christus est servator noster nos redimens, justificans, regenerans, vitam æternam dans, &c. *Socin. pag.462.*

Excipit autem adversarius, *servare proprium Dei opus esse, quatenus omnis salus, a Deo proficiscitur,*

ſuſcitat, & viuificat mortuos. Quod ſi dicant antagoniſtæ ſalvationis opus, eſſe Dei; quia omnis potentia, a Deo in Chriſtum ex Dei dono derivata eſt; neque hoc conſiſtet, nam alteri potentiam agendi communicare, non eſt agere ea, quæ per potentiam illam peraguntur: nam ſic & mortui, dicerentur operari, negotiari, quia cum in vivis eſſent, alij ab ijs potentiam agendi & facultatem negotiandi conſecuti ſunt. 3. Firmamentum illud, quod hîc cauſæ ſuę ſubſternit Socinus, nullius eſt roboris; non enim repugnat, Deum illum vnum datum, miſſum, excitatum & evectum eſſe in Salvatorem, vt putat Socinus & cum eo Oſtorod. inſtitut. Germ. cap. 12. hoc verò cum ſine probatione vllâ afferatur, negatione nudâ ſatis & meritò repellitur.

Exponit deinde, *qualem Christi, in nobis ſalvandis poteſtatem, agnoſcat, eam non eſſe miniſterialem, ſed cum ſummâ poteſtate conjunctam*: quia autem à Bellarm. hîc inter alia profertur locus ad Heb. 1. verſ. 3: *purgatione peccatorum noſtrorum per ſe ipſum factâ*, ad probandum Chriſtum non ſervare, tanquam miniſtrum. Opponit Socin. *ea nihil ad Chriſti poteſtatem, in negotio ſalutis noſtræ ſignificandam pertinere: ſed tantùm doceri, Chriſtum non per ſanguinem hircorum & taurorum, ſed per proprium ſanguinem id feciſſe: eſt enim, inquit, ibi verbum græcum ποιησάμενος, quod præteritum tempus, propriè declarat.* *Socin. pag. 463.*

Ad hoc reſpondeo, iſtud quàm maximè facere, ad ſignificandam, Chriſti in nobis ſervan-

dis poteſtatem, ad nos enim redimendos & purgandos a peccatis, non ſufficit niſi Deus: nec pretium ſufficiens pro peccatis noſtris, ſanguis Jeſu Chriſti eſſet, niſi ſanguis Filij Dei eſset; & dignitas ſatisfactionis, dependet a dignitate perſonæ, perſonam autem quæ non eſt Deus ſatisfacere poſse pro peccatis noſtris, putem non tueri adverſarium, quem, fertur, ex negatâ verâ & æternâ Chriſti deitate, ad negationem ſatisfactionis, pro peecatis noſtris, prolapſum eſse.

Immiſcet his deinde paucula, de ratione expiationis peccatorum noſtrorum, ſed ea quia alterius argumenti ſunt, nunc non attingo. Ad locum denique Eſa. à Bellarm. prolatum, reſpondet eum a ſe explicatū, in reſponſione, ad tertium argumentum, ſecundæ claſſis, quò etiam compendij causâ lectorem remitto.

CAP. IV. Sextæ Claſſis argum.

De prædictione futurorum & ſcrutatione cordium.

QUartum Dei, Deo proprium opus, eſt futurorum prędictio & ſcrutatio cordium. *Cujus eſt abſolutè & pro arbitrio futura prædicere, & corda ſcrutari, ille eſt Deus ille vnus, At hoc eſt Chriſti. Ergo.* Major certa eſt rerum enim futurarum ſcientia, propria vero Dei nota eſt, quâ ille ab idolis, & quicquid non eſt verus

Deus

Deus diſcernitur: Eſa.41. verſ.23: ita & cordium ſcrutatio. Deo propria. Minor probatur à Bellarm. teſtimonis quatuor Iohan.13. verſ. 19: 1.Pet.1.verſ.11: Iohan.2. v.25: Apocal. 2.verſ.23.

Ad primum teſtimonium excipit Socin., *locum hunc generatim, Chriſto futurorum prædictionem non tribuere: nec in iſtâ vnâ re prædicendâ, eum aliquid ſingulare habere, docere præter id, quod Prophetæ habuerint, qui & ipſi futura prædixerunt: quare inquit, nihil quod ad Chriſti divinitatem attinet, ex eo concludi poteſt, præſertim, cum aliunde conſtet, Chriſto a Deo, quæ futura ſunt, patefieri* Apocal.1.v.1.

Reſp. Etſi iſto loco, de vnius alicujus rei prædictione agatur, non verò de predictione omnium, ſequitur tamen ex eo, Chriſto prædictionem rerum omnium poſſibilem, iſta enim prædictio, ex infinitis omniſcientiæ ejus theſauris, prolata eſt: nam alioquin, nuſquam à Deo facta prædictio rerum omnium; res enim quæ revelatæ ſunt, minima pars ſunt earum, quæ revelari potuerunt; ex prædictionibus tamen variarum & ſingularum rerum, a Deo factis, meritò efficitur, generatim prædictionem rerum omnium Deo poſſibilem eſſe. Sic ergo ex eo, quod proditionem Iudæ pro arbitrio prędixit Dominus, & plura alia quæ revelare ipſi viſum fuit nobis, meritò concluditur, futurorum prędictionem, generatim illi poſſibilem, quamvis alioqui ex vi conſequentiæ formalis & Syllogiſticæ, non ſequatur, vt qui vnum præſcit, & alterum pręſcit,

hic tamen ex prædictionis modo, & vi materiæ subjectæ, de quâ agitur rectè colligitur: nam modo predicendi, Christus à Prophetis distinguitur, vt ab ijsdem Deus: res futuras quaslibet, pro arbitrio predicere, non est Prophetarum, essent enim alioquin Dij vt Deus ipse testatur Esa.41.v.23. Prophetę sic non prædixerunt, per visiones enim, somnia & internum Spiritus alloquium, subinde erudiebantur, de rebus a se prædicendis: semper fere illud ingerunt: *sic ait Iehova.* At prædictiones Iesu Christi, ita se habent vt ille istarum Dominus, & author sit, & Apostoli per Spiritum Christi, prædictiones fecerunt, adeo vt prædictiones illæ Christo ità competant, vt meritò pro Deo habeatur, & agnoscatur, juxta ipsius Dei, de rerũ futurarum prædictione indicium & pronuntiatum, istam verò scientiam incommunicabilem, probatum illis locis, vbi contra communicationem deitatis per gratiam actum est, hoc enim attributum, paris rationis est, hac in parte, cum essentiâ divinâ, & alijs rebus divinis.

Instat Socin. *Christo à Deo, quæ futura sunt, patefieri.* Repono Christum per generationem essentialem ex Patre esse quod est, hoc est quod asserunt Orthodoxi: Christo Iesu autem, patefactionem ex gratiâ factam esse, hoc loco Apocalypsis non dicitur: neque ex vi istorum verborum, quod Apocalypsis illi à Deo data est, sequitur Deum Christo revelâsse res eas, quæ Apocal. comprehensæ, nihil enim impedit dicere, Christo fuisse optimè cognitas, res Apocalypsi contentas, ante illam Apocalypsis dationem,

nem, de quâ in Iohan. verbis agitur. Nec ſane à Iohanne dicitur Chriſto Apocalypſin à Deo patefactam eſſe, ſed datam, vt indicaret ſervis ſuis, in quo proprium ejus officium, quo Dei & hominum Mediator eſt, conſiſtit, ſecundum quod etiam à Iohan. in hac gradatione factâ conſideratur. Neque etiam ſententiæ Socini, de hoc loco Apocal. bene convenit, cum ejuſdem hypotheſibus, de abſoluto regno & dominatione Chriſti, ſuper res omnes, quæ quidem relationem & habitudinem quandam vt loquuntur, ad regnum ejus, involuunt: tales autem, res omnes eſſe quæ hac Apocalypſi revelantur, ex deſcriptione objecti Apocalypſis manifeſtũ eſt; pertinent enim ad ſervos Ieſu Chriſti, conſequenter ad regnum Ieſu Chriſti, quod in terris habet, non potuerunt ergo illæ Chriſto à Deo patefieri, neque vt hoc fieret, vllo modo opus fuit; cum Chriſtus ſit Rex ille Regum, & Dominus Dominantium, qui res illas omnes ex conſilio & imperio ſuo moderabatur. Nam ſive ſint defectiones à doctrinâ Chriſtianâ, ſive peccata alia gravia, ſive Eccleſię perſecutiones graviſſimæ: aut fidelium probationes & caſtigationes: aut judicia ſeveritatis in impios, gratiæ in bonos: illa omnia ſane fiunt, aut facta ſunt Chriſto rege, de ijs, ex conſilio voluntatis ſuæ ſtatuente, efficaciter decernendo & permittendo, quæ ſanè decreta & diſpoſitiones cœleſtis illius imperatoris, de rebus omnibus & ſingulis, cum non poſſint illi, non eſſe perſpectiſſima, nullus alienæ patefactioni hîc locus eſſe potuit aut poteſt.

Socin. pag. 465. In loco 1.Pet.1.v.11, dicitur *Spiritus Christi in Prophetis prænuntiâsse passiones & gloriam Christi.* At occurrit Socin. *Spiritum Christi hîc dici, quia suggerit ea, quæ sunt Christi; quemadmodum Spiritus veritatis dicitur, qui suggerit, quæ sunt veritatis 1. Iohan.4. v. 6: hoc sensu ait Paulum eâ phrasi vti, cum ait, itaque*, quæ pacis sunt sectemur Rom.14.v.19.

Resp. Expositionem istam meritò reijciendam esse, & phrasin istam ex aliorum locorum analogiâ, interpretandam esse, Spiritus enim Christi dicitur, quia Christo proprius, quia à Christo est, datur, mittitur, vide hoc ipso loco v. 12: Rom.8.v.9:Gal.4.v.6. loca pro novâ expositione istâ allata, nihil hîc valent, nam verba secundum materiam subjectam & pro cujusque loci conditione, sunt exponenda.

De cordium scrutatione agitur primò Ioh.2. v. 25. *Ipse enim sciebat, quid esset in homine.* Opponit adversarius, *hanc arcanorum cordis scientiam communicabilem Christo, eam Dei dono communicatam esse: Christum novisse spiritu suo, cogitationes hominum, Spiritu Dei, non esse opponendũ, hæc consentanea esse, eo loquendi modo, conjecturas, & aliorum hominum patefactiones tolli, non divinam sed humanam patefactionem excludi.* Hæc responsio quod ad rei summam.

Socin. pag. 466. Pro solutione est, nemini extra Deum, communicari simpliciter & absolutè arcana cordiũ nosse: hoc viris sanctis non fuit communicatum, qui aliqua tantùm arcana noverunt, quandoq; ex singulari revelatione Spiritus: vt enim Deus vnus est; ita vnus & solus, novit omnia corda

filio-

filiorum hominis: 1.Reg.8.v. 39: nec Deus, cum ſe à rebus omnibus alijs diſtinguit, appropriando ſibi hoc & alia attributa, non habendi modo ſed poſſeſſione ipſâ à rebus omnibus alijs diſtinguit. 2. Cum Chriſtus, Spiritu ſuo, arcana cordium noviſſe dicitur, hoc patefectioni gratioſæ, quæ nudis hominibus per Sp. Dei dono contingere ſolet, opponendum eſt: Chriſtus enim Spiritu ſuo tanquam omniſcio, ſimpliciter & abſolutè homines omnes & arcana eorum cognoſcente, ſciebat hominum cogitationes: de nudis hominibus, quibus aliqua contigit revelatio, alia ratio eſt.

Ad locum Apoc. 2. v. 23, ſic Socinus, *ſe facile cum adverſarijs admittere, nullum Prophetarum, ita auſurum eſſe loqui, & vnà cum adverſarijs dicere, Chriſtum Prophetis omnibus longè præſtare, verùm vt ex Dei dono habet dominium & regnum, ita & abſolutam humanorum cordium notitiam habere (vtpote ſine quâ, tota ejus gubernatio, quæ interiorem hominem, potiſſimùm reſpiciat, conſiſtere non poſſit) proinde, ex hoc concludi non poſſe, Chriſtum eſſe illum vnum Deum; articulum quidem hìc in Græco haberi; verùm ſciendum eſſe, articulum, participijs junctum, ſæpiſſimè nullam vim habere.* Socin. pag. 467.

Reſp. Me cramben illam jam toties recoctam tranſmittere. 2. Arietem illum articularem, quo toties nos quaſſavit Socinus, quia nonnihil hìc ſibi metuebat ab eo, contemnit tanquam invalidum. Ita pro arbitrio tollit, extollit, amplificat, extenuat, & in quam velit faciem habitumque transformat articulum.

CAP.

CAP. V. Sextæ Classis argum. *De Patratione miraculorum.*

Socin. pag. 468. 469. 470.

QUintum & vltimum proprium Dei opus, est, patratio miraculorum. Argumentum ex eo ductum, in formâ, sic habet. *Qui verò inhærente sibi potentiâ, miracula patrat, ille est Deus ille vnus. At Christus propriâ authoritate & potentiâ sibi inhærente, patrat miracula. Ergo.*

Summa autem Socinianæ exceptionis est. *Cum dicitur solius Dei esse facere miracula, sensum esse, vim omnem ac potestatem faciendorum miraculorum ab vno Deo proficisci; hanc concessionem variam esse, ampliorem restrictioremue, prout ipsi Deo visum fuerit: præcipuam in eo differentiam consistere, quod potestas data, vel resideat in eo, cui data est, ejusque arbitrio sit perpetuo permissa vel non resideat in eo cui data est, sed ad arbitrium dantis ei sit concessa: ita vt precariò non autem Dominij titulo eam possideat: modum posteriorem Apostolorum esse, modum priorem Christi: istius inter Christum & Apostolos discriminis, tria esse τεκμήρια. 1. Quod Christus cum imperio & potestate faciebat miracula. 2. Quod potestatem miracula faciendi, alijs dabat. 3. Quod in ipsius nomine ab alijs miracula fiebant.*

Resp. Verba accipienda vt sonant: Deum solum facere miracula, significat, neminem alium facere miracula: hæc enim proprijssima & nativa verborum significatio est. Agens non denominatur agens, à potentiâ agendi, alteri concessâ, sed ab actione. Potest quis potentiam agen-

agendi alteri concedere, & interea non esse, cum quis agit, per potentiam concessam sibi: ferrum calefacere & vrere potest, per potentiam calefaciendi sibi ab igne impressam, etsi jam ignis non sit. Sicuti ergo, non agit quis, eò quod, potentiam agendi, concedit alteri, ita ille nihilominus agit, qui per potentiam derivatam ab alio agit. Dices hoc sensu, non posse dici, Deũ solum facere miracula, itaque necessariò, vt verificentur hæc verba, ad alium sensum confugiendum esse: nam Apostoli & Prophetæ, quos constat apud omnes, non fuisse Deum illum Israelis, etiam miracula fecerunt. Verùm hoc nego, miracula fuisse producta à potentiâ creatâ, subjectivè in Apostolis & Prophetis residente. Si enim Apostoli & Prophetæ, per veram & propriam efficientiam, opera illa, naturam transcendentia, attigerunt, necesse est præconcipi in illis, virtutem divinam, ad effectus istos divinos eliciendos, sufficientem, per modum qualitatis aut fluxæ aut permanentis. Talis autem divina virtus in Apostolis non fuit: quod probatur testimonio Apostoli Petri Act. 3. v. 12. *Viri Israelitæ, quid miramini de hac re? aut quid intentos oculos in nos habetis, quasi propriâ potestate, aut pietate effecerimus, vt hic ambulet.* Hoc tantundem valet ac si dixisset Apostolus, miraculum non esse factum, per potentiam sibi inhærentem, sive quæ in ipso esset, sed per potentiam ipsius Iesu Christi, quam ibi Apostolus nomen Iesu Christi appellat v. 16. Apostoli itaque miracula fecisse leguntur, aut Christus per eorum manus, virtutes edidisse legitur, quia Dei & Iesu Christi

virtus, semper præsentissima fuit ipsis, ad præbendum testimonium divinitatis, tum doctrinæ, tum functionis & vocationis ipsorum, per omnis generis signa, prodigia, variasque virtutes & Sp.S. distributiones Heb.2.v.4. Hanc ergo veram arbitror differentiam, inter Christi & Apostolorum miracula.

Differentia, quam statuit Socinus, sustineri non potest. Quid enim illud est, *potestatem datam & concessam, in Christo resedisse; in Apostolis non resedisse*: si enim Apostoli verè & propriè miracula illa patrârunt; necesse est sane præconcipi in illis, supernaturalis virtutis existentiam, ad opera illa patranda requisitã, vel quod idem est istius potentię residentiam. Vult deinde, *potestatem illam, Christi arbitrio permissam perpetuo, Apostolis verò ad arbitrium dantis, concessã*. At non pugnant ista duo, potest enim meo arbitrio, perpetuò permissum esse, quod ad dãtis arbitrium est concessum. Quod si Socino, ad dantis arbitrium concessam esse istam potestatem, est, vsum istius potestatis, non esse arbitrij ejus, cui data est, sed qui dedit, tũ in hoc, inter Christum & Apostolos non est discrimen: Christus enim ad Patris sui arbitrium & nutum, omnia sua composuit. Tertium differentię membrum est, *quod Christi illa potestas, propria facta sit, non precariò sed Dominij titulo ab eo possessa: Apostolis non fuisse propriam, sed precariò & non Dominij titulo, ab ijs fuisse possessam*. Sed neq; in hoc vera discriminis ratio, rectè à Socino ex positionibus sententiæ suæ constituitur: omnem enim Christi in cœlo & in terrâ potestatem precariam esse con-

contendit, hoc est sacerdotale regnum : interpellationem enim Christi sacerdotalem, aliud nihil indicare vult, quam Christum ex Dei dono regem esse, hoc ipso cap. pag. 471. & alibi passim. Precarium latinis est, quod precibus, petenti vtendum conceditur, tamdiu, quamdiu, is, qui concessit, patitur. Sic Seneca dixit, *hominem precarij spiritus esse*. Alexander apud Curtium, *mori præstat, quàm precariò imperatorem esse. Precarium imperium* latinis est, quon tamdiu obtinetur, quamdiu qui concessere permittunt: *animam precariam* Tacitus dixit, quid ergo hîc discriminis inter Christum & Apostolos, eo modo quo in Apostolis precaria etiam in Christo secũdum Socinum. Similiter titulo Domini & proprietarij possidere, non distinguit in sententiâ Socini inter Christum & alios istâ potestate prçditos, est enim quis ejus rei Dominus, quæ dóno illi data est; donatione enim ex jure gentiũ, rerum dominia acquiruntur, & quod ad aliquẽ pertinet vt Filium, hæreditarique jure possidet, ejus sane Dominus est: ita Alciatus, *dominium in spe appellat, filiorum vivis parentibus, vnde & sui hæredes dicuntur, tanquam sibi ipsis succedant*. De hoc jure dominij filiorum Dei, non minus copiosè quàm graviter Apost. Paulus disseruit ad Gal. cap. 4. à v. 1. ad 8. Inter ista autem bona ad fideles, vt Dei filios & hæredes spectantia, retulit Apostolus virtutes quas Deus effecerat in ipsis Gal. 3. vers. 5. 6. 7. ait enim, *Deum subministrâsse Spiritum & effecisse virtutes in ipsis, fide per auditum perceptâ* : ex fide autem illis obtigisse astruit, ad exemplum patris Abrahami,

hami,qui fide fuit justificatus, quod hæredum & filiorum est,eos verò eâ etiam ratione, Abrahæ, sive Dei filios esse constitutos, & hæredes bonorum cœlestium factos, quæ bona expressit Apostolus in antecedentibus nomine *Spiritus & virtutum in illis effectarum.* Itaque neque in hoc, inter Christum & Apostolos verum & reale discrimen posuit Socin. Est quidem non obstante dominio communi, de quo Socinus agit,ex ejus etiam sententiâ,dominium aliquod Christo proprium & peculiare,quod est dominium imperij & majestatis; verùm ejus dominij consideratio,accidentaria est hoc loco, & præscinditur à consideratione dominij, de quo inpræsentiarum agitur.

Socin. pag. 469. Notas porro, discriminis à se positi, inter Christum & Apostolos, esse ait. 1. *Quod Christus cum imperio, & authoritate illa faciebat.* 2. *Quod alijs potestatem communicabat faciendi miracula.* 3. *Quod in ipsius nomine alij miracula faciebant:* quamvis verò satis esse possint, quæ hactenus contra adversarium allata sunt,ad hæc tamen etiam amplius dissolvenda, nonnihil adferam. Dico ergo, *ad primum illud*,si per imperium & authoritatem intelligatur Christi regnum & dominium, ratione cujus omnes subditi & ministri, tum verum est Christi imperiũ & authoritatem esse propriam, & vbi tale imperium est, ibi etiam miraculorum faciendorum potestatem esse propriam: minimè tamen inde sequitur,posito,veram esse sententiam Socini,de concessâ Apostolis & Prophetis potestate, eos istius potestatis non fuisse Dominos, in

sen-

ſenſu in quo, de hoc dominio diſputatur, quia hoc regio imperio & dominatione caruerunt, & Chriſti majeſtatem, vt ſubditi & miniſtri ſui principis, obſervare debuerunt. *Ad ſecundum* dico, Apoſtolos eâ ratione, communicâſſe alijs, poteſtatem faciendi miracula: quâ ipſi miracula fecerunt, propter hoc enim Simon magus offerebat pecunias, dicens *date etiam mihi iſtam poteſtatem*. Act.8. verſ.19: Mac.16. verſ.17.18. promittitur credituris Apoſtolorum prędicationi, *quod dæmonia ejecturi*; *quod ægrotis manus impoſituri*, vide ad Rom.15. verſ.17.18. 19, Confer. 1.Cor.12. verſ.7.8.9. Nec ſequitur etiam, qui poteſtatem communicandi non habet, ei poteſtatem faciendorum miraculorum non eſſe propriam. *Ad tertium* dico, Chriſtum miracula ſua in nomine Patris feciſſe, vt Apoſtoli in nomine Chriſti fecerunt, ex ſententiâ Socini: nam cum jam Chriſtus poteſtatem miracula faciendi adeptus eſſet, vt hoc loco de Apoſtolis loquitur Socin., miracula ſua in nomine Patris ſui faciebat Ioh.10.verſ.25. *Opera quæ ego facio, in nomine Patris mei*: vt ergo Apoſtoli, in nomine Chriſti, ſic Chriſtus in nomine Patris.

Et hæc ſufficiant, de hoc quinto opere, reliqua quæ hîc Socinus adfert pag.470 471, particulari examine nõ indigent, quia nihil occurrit in ijs, quod, quantum quidem ad præſentem quęſtionem attinet, non ſatis diſcuſſum ſit. De poteſtate, quam Chriſti ex gratiâ eſſe, hîc iterũ ingeminat, non eſt neceſſum hîc rurſum dicere, & commentitiam iſtam opinionem, de ſa-

cerdotio Christi, quod contra authoritatem Script. cum regno Christi confundit, alterius loci est refellere, presertim cum dignitas argumenti prolixiorem tractationem postulet.

Socin. Pag. 472. Antequam verò finem huic capiti imponat adversarius generalem movet objectionem, adversus omnia, pro sententiâ Orthodoxa, de Filio Dei argumenta, ea autem est hæc. *Nusquam in sacris literis diserte scriptum esse, hoc ipsum, quod adversarij de Christo tradunt atque contendunt: cum tamen si id verum esset, opus fuisset, vt de eo disertissima in illis non pauca testimonia extarent, tum ob rei alioqui impossibilitatem, (vt sic loquar) & incredibilitatem, tum verò quia vt adversarij ipsi volunt, id nosse ac firmiter credere ad salutem consequendam, esset prorsus necessarium: tot argumentorum congeries in ejusmodi re, crede mihi, pie lector, signum potius est manifestum rei ipsius in sacris literis non consignatæ, quàm vt ejus vllam fidem facere possit: plus multò, quam innumerabilia ista omnia ad ejus fidem faciendam, tanto studio conquisita & congesta, virium ac roboris haberet, vel vnus locus in scripturâ, vbi disertè ac simpliciter scriptum esset, a Christo cælum terramque creatam fuisse: quem nondum invenire adversarij potuerunt, licet, tanquam si eum invenissent, mirificè aliquando exultent.*

Resp. Pro certissimâ veritate etiam habendum esse, quod totidem verbis & literis, non legitur in sacris, vt invicto argumento, evincitur, ex disputatione Salvatoris nostri, adversus Sadduceos, de resurrectione mortuorũ, ex verbis illis Mosaicis: *Ego sum Deus Abrahami, &c.*

erat

erat enim hoc verum & tamen ibi, aut alibi, in Mose non disertè scriptum. Mosi enim per rerum externarum umbras, Iudæos ad rerũ æternarum cognitionem & spem deducere propositum fuit. Et si disertissima testimonia Socino sint illa tantùm, in quibus ijsdem per omnia phrasibus & verbis, sententia de aliquo religionis capite sit expressa, fateri cogitur, se nec attulisse nec adferre posse vllum testimonium, in quo disertè scriptum sit, quod de Christo tradit atque contendit, ideoque non est etiam secundum ejus judiciũ, quod ipsi fides habeatur. Quo pacto verò argumentorum congeries signum est manifestum potius rei in sacris literis non consignatæ, quàm vt ejus vllam fidē facere possit? Quid an Deus Israel, non est Deus, quia argumētorum exercitus cogi possit ex sacris ad hoc probandum; An dubitabimus Iesum esse Christũ & Dei Filiũ, quia eò omnia in Euangelium suũ congessit Iohan.? An dubitabimus vitā æternam credentibus certò paratam, quia toties promissa, quia tot pro ea argumēta? Mox postulabat Socinus nõ pauca disertissima testimonia, nunc mutatâ sententiâ testimoniorũ multitudo, suspectę ei fidei est: unũ jam præ multis exoptat, vbi disertè scriptum esset, à Christo cælum terramq; creata fuisse, quę sanè plura vno allata sunt, vbi revera illud scriptum sit; & quid si etiam ex formulâ Socini illud scriptum esset, nihil facilius esset quàm illud ipsum eludere, eâ aut simili ratione, quâ præclara alia testimonia in hoc & alijs Theologiæ capitibus eludere solent adversarij.

CAP. I. Septimæ Classis argum.

Continet authoritates Patrum Doctorum & Conciliorum.

SExta argumentorũ classis sic fuit. Septima sequitur, quæ cõtinet authoritates, Patrum, Doctorum, Conciliorum. Ad hoc pontificiũ argumenti genus, responsio Socini cõpendij causâ
Socin. pag. 474. in pauciora contracta, sic fere habet. *Totius orbis consensum, nihil posse adversum id, quod divinis oraculis apertè est consignatũ: suam sententiã de vno illo Deo, Patre Domini nostri Iesu Christi, & Iesu Christo ex gratiâ Dei Patris Deo, & Dei Filio, nõ ante nativitatem ex virgine, apertè in sacris consignatam esse: orbis vniversi consensum quantumvis perpetuũ, eò minus valere adversus divina testimonia, etiamsi*
Socin. pag. 475. *non adeo aperta essent, cum id, in quo consensus iste consistit, ipsi etiam rationi ac sensui communi, evidenter repugnat, hoc de quo hîc agitur tale esse, multa patefieri supra rationem & humanum captum, nihil tamen contra rationem ipsumque sensum communem. Inde contra Pontificios agit speciatim, qui divinas patefactiones, non scripto verbo etiam contineri volunt, in eo eos errare, vt in dogmate de authoritate etiam Ecclesiæ.* Hæc contra argumenti hujus ab authoritatibus petiti, majorem procedunt. Habet enim argumentum in formâ, hoc pacto. *Quod Patres, Doctores, &c. docuerunt vnamini concensu, hoc est in fide verum. At Patres docuerunt vnanimi consensu Christum esse Deum cum Patre vnum. Ergo.*

Resp. Reformatos, non dubitare, quin satis superque sit, ad solidam causæ suæ probatio-

nem,

nem, & conſcientiæ coram Deo πληροφορίαν, validis & luculentis, ex Dei verbo petitis demonſtrationibus, munire ſua, nec Patrum antiquorum authoritati, tantùm deferunt, vt extra erroris aleam, eos eſſe poſitos credant; ideoque non eos, ſed ſolas Scripturas ſacras cauſæ & fidei ſuæ, firmamentum ponunt: ideoque majorẽ iſtam, non ſatis firmam eſſe, facilè agnoſcent, nec authoritatem humanam, quantamcunque veritati ex ſcripturis demonſtratæ, præjudicare poſſe. Socini dogma de Filij divinitate Scripturis apertè conſignatum eſſe, cum nudè hîc aſſeratur, nudâ negatione repellere cõtenti erimus. Ait deinde *eò minus valere conſenſum illum, adverſus divina teſtimonia, etiamſi non adeo aperta eſſent, cum conſenſus ille, ipſi etiam rationi ac ſenſui communi evidenter repugnet.* At reſpondeo fidei principium non rationem, ſed Scripturam eſſe, nec magiſtra fidei ratio ſed diſcipula. Arma enim militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed divinitus valida, ad ſubverſionem munitionum, ratiocinationes evertendo, omnemque ſublimitatem, quæ ſeſe extollit, adverſus cognitionem Dei, & in captivitatem redigendo, omnem cogitationem, ad obediendum Chriſto. Tum verò myſteria fidei non rationi ſanæ, ſed corruptæ repugnant: non poteſt enim ex dictamine naturalis & ſanæ rationis eſſe falſum, quod ſecundũ ſupernaturalem rationem eſt verum. Cum enim ſana ratio & prima principia, per naturalem diſcurſum nota, quâ talia non ſunt ex adjacente vitio peccati: neceſſe eſt illa, quæ ex ſanâ ratione & communibus notionibus educuntur, eſſe

vera, ac proinde contradictoria, non possunt esse ijs, quæ habemus ex supernaturali revelatione. Verum enimvero contradictorium esse impossibile est, cum necesse sit, propositionum contradictoriarum alteram esse veram, alteram esse falsam. Etsi verò non negat sana ratio, quod credit fides, cogitur tamen quandoque elevata & illustrata per gratiam Sp. S., ignorantiam suam profiteri, in ijs quæ fidei, certus enim firmusque assensus potest esse, sine evidenti apprehensione intellectus, hoc est, potest credere homo certitudine fidei, quorum tamen veritatem ratio evidenti & clarâ apprehensione intellectus nō assequitur: vt enim oculus noctuę, ad lumem solis se habet, ita & mens nostra ad divina illa. Quod si Socinus omnino velit, nihil esse in rebus fidei, quod verbo Dei revelatum, intellectus clarâ & evidenti apprehensione non assequatur, tum hoc non parum a veritate aberrat: Nam non assequitur intellectus Socinianus evidenter, rationem immensitatis essentiæ divinæ sine quantitate, quę tamen sine quantitate magna est, cum sit impartibilis; ad stipulāte Socino pag.206. lib. contra Wiek. Hæc de majore.

Post hæc ad minorem venit Socinus, negans antiquitatem, unanimi cōsensu ire in hanc sententiam de Filio Dei. Summa responsionis ejus ad minorem hæc est. *Non modò non totius Christiani orbis consensum, sed ne ejus quidem, quæ Christi revera Ecclesia fuerit, perpetuū planè consensum, vel pro adversariorum sententiâ, vel adversus suam fuisse; etiamsi, quotquot extant scriptores, vel adversarentur*

Socin. pag. 476.

sarentur sibi, vel faverent nobis: quia & scripserunt paucissimi, nec extant scripta omnium: quorum scripta extant, fidem facere, non omnes idem sensisse, imò contrarium aperte testari: ex ipsis historijs ab adversarijs scriptis, patere, non defuisse, qui scriptis editis, suam sententiam defenderint, nostram oppugnaverint: Arianorum sententiam, nostræ repugnare, cum suâ verò, in eo consentire, de quo toto libello Wieki agitur: eam, majorem orbis partem occupâsse aliquando: multos habuisse per multa secula fautores, imò integra etiam concilia eam tenuiße: proinde frustra, universalem Ecclesiæ consensum jactari, sive nominalis, sive realis Christi Ecclesiæ, cum, quæ, & vbi, verâ Christi Ecclesia, per plurima secula fuerit, adhuc sub judice lis sit: Patres ante Concilium Nicanum, magis nostræ, quàm suæ sententiæ repugnare, in eo quod cum suis sentit, de vno illo Deo, quod is nullus alius, præter Iesu Christi Patrem, maximam saltem, Patrum ipsorum partem, pro se & suis facere, quamvis dissentiant in sententiâ de existentiâ Filij ex ipsius Patris substantiâ, ante mundum conditum, & creâtione omnium per eum. Addit speciatim, *Iustinum in dialogo cum Tryphone Iudæo, apertè confiteri, non paucos suâ ætate fuisse, qui Christi nomen profiterentur, & secum sentirent, in sententiâ de Christi essentiâ. Deinde multa Patrum scripta adulterina esse.* Quod denique attinet ad Patres, post Concilum Nicænum, *ab ijs se dissentire profitetur; interea tamen ex ipsis, præcipuè verò ex Hilario, multa depromi posse, cũ opinione de Christo, & personis divinitatis, vulgò hodie recepta minime consentientia, illa verò nullo pacto dilui, per testimonia cõ-*

Socin. pag. 477.

Socin. pag. 479.

traria, cum nihil vetet, quin ſibi ipſis contradicant.

Reſp. Socinum facilè intelligere, cum adverſarij ipſius obijciunt, Patrum, Doctorum, & Cõciliorum authoritatem, & vniverſalem Eccleſiæ conſenſum, non intellexiſſe eos per iſtas voces, omnes Chriſti nomen quacunque tandem ratione profeſſos, ſed eos tantùm, qui veram & ſanã fidem, ex eorum judicio coluerunt. Neutiquam enim exiſtimandum eſt, voluiſſe Socini adverſarios, Samoſateni, Photini, Arianorum, aut aliorum hęreticorum authoritate pugnare hoc loco, ſed eorum tantùm, quos dixi, adeo vt impertinens ſit, quod de Arianis reſpondet Socinus. Etſi verò ex antiquioribus non omnes, ſed pauciſſimi ſcripſerint, ex ijs tamen qui ſcripſerunt, rectè judiciũ fieri poteſt de ſententiâ eorum, qui non ſcripſerunt, cũ hîc agatur de primario capite religionis Chriſtianæ; eos nimirũ, idem & ſenſiſſe & docuiſſe eâ de re, in quâ omnes, qui ſcripſerunt Patres, conſentientes reperiuntur: quem Patrum conſenſum, cum obtendunt Bellarm. & Wiekus, minimè voluerũt omnes, qui Chriſtiani nominis cũ Patribus iſtis cõſenſiſſe; nihil minus: ac propterea nõ erat, cur aliquã operã in hoc probando, collocaret Socin.

Quod ad Patres antiquiſſimos ſive antinicænos attinet, vt ſic dicam, affirmat eos, ſi non omnes, ſaltẽ maximam eorũ partem ſenſiſſe, quod Deus ille vnus, nullus alius, pręter Ieſu Chriſti Patrem. In defenſione animadverſionũ in aſſertiones Colleg. Poſnanienſis ſic ſcribit pag. 368. & 369. *Non igitur Deũ Trinum in perſonis, Trinitatem nominando intelligebant, ſed Patrem Filiũ & Sp.*

& Sp. S. significabant. Nam non Filiũ modò, sed Sp. quoque S. personam esse existimantes, colebant isti præter Patrem, cui tamen interim suam prærogativam, ut qui solus ille unus Deus esset, reservabant, & ex ipsius quidem substantiâ, Filium & Sp. S. ab eo productos credebant, non tamen, eandem numero, horum trium essentiam, asserebant. Itaque Tritheitæ erant, ut etiam à Tritheitis, nostri temporis observatum est. Hinc idem pag. 31. & 32. lib. contra Wiek. *Si apud Tertullianum, opinio Praxeæ, qui idem, quod Sabellius de Patre & Filio, sensisse traditur, diligenter excutiatur, invenietur Praxeam non se opposuisse sententiæ, quæ jam tunc temporis vigeret, quod quamvis Pater & Filius, unicam illam numero, essentiam divinam totam pariter uterque haberet; tamen essent duæ distinctæ personæ: sed potius sententiam istam, de unicâ Patris & Filij numero essentiâ, quæ, quamvis nondum in Ecclesiâ viguisset, antea tamen extiterat, & ab Ignatio, si ipsius verè sunt, quæ ejus nomine circumferuntur Epistolæ, refutata fuerat, unà cum quibusdam alijs renovâsse & acriter propugnâsse: ex quâ sicut necessariò efficitur, sic etiam effici ab omnibus, tunc existimatum, unicam esse, similiter Patris & Filij personam: imò ut revera sunt, sic pro eodem utrumq; est habitum. Nec enim, ut ex multis conijcere licet, sophistica ista, sensuiq; communi repugnans, inter individuam, sive unam numero essentiã & personam in Deo distinctio adhuc excogitata fuerat.* Hoc judicium Socin. de Patribus antinicænis, & sectatorum ejus communiter. Ita Iohan. Crellius in resp. ad librum Grotij de satisfactione, præfation. pag. 8. Smalcius in refutatione Thesium Iacobi

Scopperi de Trinitate pag. 20: *reliquias veritatis defendisse Arium quatenus contendit, Christum non esse ὁμοούσιον Patri*: ibidem, *nec enim Arius Trinitatis, qualem fingit Scopp. dogma unquam impugnavit, cum nondum, tunc temporis extaret, sed cudi demum inciperet.*

Sentit ergo Socin. antiquitatem illam, idem indicâsse de essentiâ & personâ, ita vt qui plures personas statuerunt, ijdem & esentias plures statuerint: qui vnam personam essentiam vnam & reciprocè, qui plures essentias statuerunt, plures personas statuisse, qui essentiam vnam, vnam etiam personam statuisse. Quæ si vera sunt, nihilò rectius Patres de Trinitate senserunt, quam Sabellius Praxeas & alij hæretici. Dico ergo, si quam possim, faculam antiquitati ministraturus, Patres inter Patrem Filium & Spirit. S. distinguentes, non distinctionem essentialem, sed personalem, intendisse. Per Deum in personis Trinum, non essentiæ, sed personarum tantùm Trinitatem intellexisse. Pluralitatem agnovisse in divinis & defendisse Patres illos, apud nos & adversarium in confesso est: aut ergo intelligenda illa pluralitas, secundum essentiam & personam: aut secundum essentiam tantùm, & non secundum personam, aut secundum personam tantùm, & non secundum essenitam: de modo secundo non est quæstio, controverversia est de modo primo & tertio. Si modus prior Patribus tribuatur Tritheismum incurrunt. Si modus posterior, vnum Deum confitentur. At vnum Deum tantùm confitentur, non alio sensu vnũ,

quam

quam Orthodoxi jam vnum Deum confitentur, quod singulorum inductione probatur.

Primus prodeat Ignatius, qui etsi totus, quantus est, non est liber adversario, à suscipicione depravationis, additionis, suppositionis vt hoc loco ait pag. 479. & supra pag 32. & contra colleg. Posnan. pag. 350: licet tamen quicquid de eo statuatur, tam Ignatij authoritate vti ad commonstrandum, quæ sententia fuerit Patrum, ante Concilium Nicænum, de Deo trino & vno, quàm Socino, ad persuadendum, Patres fuisse Tritheitas. *Ignatius.*

Verba Ignatij edition. Lugdun. in Epistolâ ad Magnesianos sunt. *Fugiendos esse illos hominis cultores, Hebionitas, quos maledictos esse Hieremias Propheta asseruit*, necesse est ergo, cum Ignatius non Patrem tantùm colendum docuerit, sed & Filium & Sp. S, vt mox Socin. confitētem audivimus de Patribus illis in cōmuni, Filium & Sp. S. etiam ex Ignatij sententiâ esse vnum illũ Iehovam Deum, à quo corde non recedendum. In Epistolâ ad Trallianos: *qui verò natus ex Deo, & ex virgine, quia hoc ipsum est, quod & Deus.* In Epistolâ ad Magnesian. rursum, *vnus est Deus omnipotens, qui manifestavit seipsum, per Iesum Christum Filium suum, qui est verbum ipsius, non prolativum scilicet, sed substantiale*: ibidẽ *& illis qui longè erant, & illis qui prope, in multitudine vnum & solum verum Deum Patrem suum annuntiavit*. In Epostolâ ad Phil. *Vnus est ergo Deus Pater, & non duo vel tres. Vnus scilicet qui est, & non est preter eum solum verus: Dominus enim inquit Deus tuus, Deus vnus est*. Et iterum: *nonne vnus*

Domi-

Dominus creavit nos , & vnus Pater est omnium nostrum , vnus quoque & Filius , Deus verbum , vnigenitus qui est in sinu Patris , eadem Epistol. pag.424. *Si Deus est & homo , quid vnicum vocas Dominum gloriæ,illum, videlicet naturâ immutabilem.* Epistol.ad Philadelph. *Si quis autem dicit vnum Deum , confiteturque Iesum Christum , hominem verò purum putans Dominum , & non Deum vnigenitum, & sapientiam & verbum Dei, sed ex animâ & corpore,eum solùm esse existimans, hujusmodi serpens est seductor :* eàdem , *omnia igitur hæc in vnitate vnius & vnigeniti veri Dei.* Epistolâ ad Antiochens. pag.459. *Rogo igitur vos ego vinctus in Domino , dignè ambulare in eâ vocatione,quâ vocati estis , custodientes vos ab introeuntibus hæresibus malignis , ad seductionem & perditionem consentientium eis, intendere autem Apostolorum doctrinæ & legi atque Prophetis credere , omniumque Iudæorum,aut Paganorum errorem abijcere , & neque Deorum multitudinem admittere, neque Christum ad excusationem vnius Dei negare:* & ibid.pag. 460 : *nam Euangelistæ vnum solum testantes , verum Deum esse Patrem , etiam ea quæ ad Dominum nostrum Iesum Christum pertinent , non prætermiserunt,sed potius exactè scripserunt, dicentes : in principio erat Vebum & Verbum erat apud Deum , & Deus erat Verbum.* Cum ergo vnum Deum agnoverit & docuerit constanter Ignatius,& non tantùm Patrem,sed Filium hũc esse, quos tamen distinguit Ignatius , multitudinem Deorum cum Paganismo non admittens,immeritò Tritheita audit, & pluralitatem personarum in vnâ essentiâ agnovit.

Urget

Urget Socin. contra hanc ſententiam, de vnitate eſſentiæ ex mente Ignatij, ejuſdem Epiſtolam ad Tarſenſes: vbi contendit Ignatius, *Chriſtum non eſſe illum, qui eſt ſuper omnia Deus.* Ad hoc reſpondemus, Ignatium refutâſſe eo loco eos, qui Filium non volebant alium à Patre eſſe perſonaliter: nam cum Ignatius vnum tantùm Deum agnoſcat, nec Patrem tantùm ſed & Filium Deum fateatur, cogimur ſtatuere τὸ κρινόμενον in eâ diſputatione eſſe, de ſenſu perſonali, & per hoc, quod Pater ſit ſuper omnia, perſonaliter Patrem à Filio diſtinxiſſe, propter peculiarem ejus eminentiam. Nam quod adverſarius hîc contradicens ait ex impotentiâ animi; nondum abſurdiſſimam illam opinionem Chriſtianorum mentes occupâſſe, eandem numero eſſentiam, diſtinctis perſonis, Patri & Filio communem eſſe poſſe, id rationibus non probat: nobis autem non ſufficit illud, ipſe dixit. Sed agamus de loco controverſo preſſiùs. Sic igitur dicto loco Socinus: *nam quod de verâ eſſentiæ ſimul & perſonæ, non autem de confictâ illa perſonæ citra eſſentiam diſtinctione ageret Ignatius, planum facit id, quod poſtmodum adjungit, nec nudum hominem οὐδὲ ψιλὸν ἄνθρωπον eſſe Chriſtum, cum enim vnum eſſentiæ quaſi extremum, jam à Chriſto removiſſet, negans eum eſſe illum vnum Deum, qui eſt ſuper omnia, id eſt, illum vnum Deum: alterum quoque deinde illi adimit, nec nudum etiam hominem eum eſſe concedens.*

Reſpondetur ad objectionis Socini, quæ leguntur in defenſione animadverſ. in aſſertion. Colleg. Poſnam. pag. 353. &c.

Reſp. In iſtis nullam probationis efficaciam aut vim eſſe contra id quod nos diximus, neque vllâ evidente probatione oſtendit adverſarius

quod intendit: quid enim impedit, illa verba, illum vnum Deum, qui est super omnia, de distinctione personali intelligere? imò sic intelligenda esse ratio evincit, nimirum ne vnitas Dei, quam contra Paganismum defendit Ignatius, dissolvatur. Taceo, quod adversarius illa verba, *vnus Deus*, de suo hoc loco adijcit.

Obijcit deinde Epistol. ad Philipp. vbi similiter negari ait, *Christum esse illum Deum, qui est super omnia, illum existentem, illum qui solus est verus, illum omnipotentem, sive omnem Dominatum & potestatem habentem*, τὸν παντοκράτορα, *illum denique qui vnus esse dicitur, & de quo scriptum est: Dominus Deus noster, Deus vnus est: quæ omnia de supremâ illâ divinâ essentiâ agi, eamque ab hoc scriptore Christo concedi, apertissimè demonstrant.*

Resp. Solutionem jam sufficienter ad hæc etiam datam: deinde confitetur etiam Ignatius, vt apparet ex testimonijs adductis, Christum vnum & verum Deum: & cum maledictum sentiat esse eum Ignatius, qui confidit in alio, quàm Iehova; in Christum autem confidens nō sit maledictus, ex Ignatij sententiâ, cogimur fateri communitatem essentiæ inter Patrē & Filium, & Christum esse Iehovam illum, & cum idem non sit quod Pater secundum personam, necesse est secundum essentiam esse. *Instat vlterius*: cum scriptor iste, in locis quos protulimus, de ipsâ divinâ essentiâ agat, videri eum omnino contra dogma de coessentialitate triū personarum, quod jam circumferretur, ex professo disputare, quando in initio ferme Epist. ad Philip. vbi

vbi eorum, quæ jam expoſuimus, magna pars legitur; verba illa ſcribit. *Vnus igitur Deus & Pater; non duo, neque tres: hoc enim, vt antecedentia & ſequentia verba demonſtrant Filij & Sp. S. reſpectu dicit; qui ſi vnà cum Patre pariter in illo vno Deo contineantur, neceßariò conſequi vult, tres Patres, tres Filios, & tres Spirit. S. eſſe. Quippe quod nihil dici de vno poſſit, quod de alijs duobus neceſſe non ſit dicere: hæc autem nullo modo dixiſſet, ſi ij, quos tacitè reprehendebat, nullam diſtinctionem perſonarum agnoviſſent, id eſt vnam tantùm perſonam in vno illo Deo eſſe ſtatuiſſent, quamvis in eo & Patrem, & Filium & Sp. S. agnoſcerent, quemadmodum ſine dubio eos ſenſiſſe intelligit adverſarius, & hoc tantùm nomine ab Ignatio reprehenſos fuiſſe.*

Reſp. Primò non immeritò videri poſſe, Socinum oblitum ſui, qui Ignatium hic diſputãtem facit contra dogma de coeſſentialitate triũ perſonarum, quod jam circumferretur: nam ſupra eum dicentem audivimus, Tertulliani ævo nondum fuiſſe excogitatam ſophiſticam iſtam, ſenſuique communi repugnantem, diſtinctionem inter individuam, ſive vnam numero eſſentiam & perſonam in Deo. 2. Satis audacter à Socino dicitur, Ignatium judicare triplicitatem iſtiuſmodi, poſitæ coeſſentialitatis trium perſonarum conſectariã eſſe, at ex textu Ignatij hoc non excuditur: nã hæc potuit impingere adverſarijs, propter ſententiam illã, quâ vnam perſonam in vno Deo ſtatuebant: hoc enim, vt hîc & alibi monet adverſarius, controvertebatur inter Patres antiquos, & hæreticos; non verò

illud

illud de vnitate essentiæ, & pluralitate personarum.

Hoc autem, quod dixi, factæ ab Ignatio consequentiæ causam & fundamentum esse, colligitur ex apertis ipsius verbis, quæ immediatè subjunxit hisce, de quibus jam disceptatur. *Ergo neque tres sunt Patres, neque tres Filij, sed neque tres paracleti, sed vnus Pater & vnus Filius, & vnus paracletus. Propter quod & Dominus mittens Apostolos, docere omnes gentes, præcepit eis baptizare eas in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti: non in vnum quendam trinomium, neque in tres vnius ejusdemque honoris; quia vnus tantùm est, qui homo factus est, non Pater scilicet, neque Paracletus, sed solus Filius.* Ex quibus verbis apertum est, hanc triplicitatem Ignatium impegisse ijs, qui vnam personam in vno illo Deo statuebant: illi enim sunt, qui vnum Deum trinomium faciunt, quales fuerunt Sabelliani, & illi qui Patripassiani appellati: ex illorum enim, & non eorum, qui Trinitatem personarum in vnitate essentiæ tenent sententiâ sequitur, Patrem etiam & Paracletum homines esse factos.

Iustinus. Iustinus in paraineticis ad Græcos quid? In eo totus, vt Græcos confundat, & in Deorum suorum cultibus turpiter & crassè hallucinari ostendat, & ad vnius Dei cultum revocet: vnicum propterea ab Orpheo agnitum & celebratum docet pag. 12. Post Orpheum, æmulum ejus producit Homerum, citans in hanc mentem illud Homericum, εἷς κοίρανος ἔστω. E scenâ etiam Sophoclem profert dicentem vnum profecto numen, vnus est Deus. Nec non pro istâ men-

mente ſectæ Italicæ principem Pythagoram adducit: mitto complura alia ibidem: Deum vnum & ſolum dicit pag. 15. Ineptus ſanè Iuſtinus, tanto & tam erudito labore, ad vnius Dei fidem enitens, ſi tres Deos eſſe ſenſerit. Cum ergo non tantùm Patrem, ſed & Filium confiteatur Deum, confitente adverſario, nulla alia via ſalvandę vnitatis patet, quam per confeſſionem diſtinctionis perſonalis.

Obijcit Socin. ad enervandam Iuſtini authoritatem, *eum in Dialogo cum Tryphone Iudæo apertè confiteri, non paucos ſuâ ætate fuiſſe, qui Chriſti nomen profiterentur, & tamen idem ſentirent, quod ipſe cum ſuis de Chriſti naturâ & eſſentiâ ſentit.* Reſp. Initio Dialogi cum Tryphone vnum Deum confitetur, nec occurrit mihi in lectione Dialogi, illud de quo hîc Socinus gloriatur.

Irenæus cap. ſexto lib. tertij, *Patrem appellat ſolum verum Deum, ſuper quem alius Deus non eſt præter Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Dominatione quoque, inquit, Dominaris Sp. Sancti.* Et lib. 3. cap. 8. *Ita vt is quidem, qui omnia fecerit cum Verbo ſuo, juſtè dicatur Deus & Dominus ſolus, quæ autem facta ſunt, non jam ejuſdem vocabuli perceptibilia eſſe, neque juſtè id vocabulum ſumere debere, quod eſt creatoris.* *Irenæus.*

Quartus inter Græcos Eccleſiæ doctores Titus Fabius Clemens: hic lib. prim. eorum qui pædagogus inſcribuntur cap. 8. ſi Euangelicam Domini vocem adduxero, *vnum quidem ipſum dicit.* *Clemens Alexandrinus.*

De Tertulliano ſupra viſum pag. 102. & qui plura deſiderat, Bellarminum conſulat, qui in *Tertull.*

septimâ classe ex Patribus complura adducit.
Cyprianus. Cyprianus libr. de idolorum vanitate, docet Deos non esse, quos colit vulgus, section. 1. *Mauri, inquit, manifestè reges colunt, nec vllo velamento hoc nomen obtexunt: inde per gentes & provincias singulas varia Deorum religio mutatur, dum non vnus ab omnibus Deus colitur:* ibidem etiam Platonem & Mercurium Trismegistum, pro vno Deo citat section. 4. Eversis gentilitijs Dijs, concludit principio sectionis. 5. *Vnus igitur omnium Dominus est Deus: neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cum sola omnem teneat potestatem.* Ibidem paulo post: *nec nomen Dei quæras, Deus nomen est illi: illic vocabulis est opus, vbi proprijs appellationum insignibus multitudo dirimenda est, Deus qui solus est, Deus vocabulum totus est. Ergo vnus est.* Mox section. 6. *Deus cum homine miscetur, hic Deus noster, hic Christus est.*

Ex his satis apparet, omissis alijs, Patres ante Concilium Nicænum non Tritheitas fuisse, sed vnius Dei religiosos cultores & propugnatores. Non ergo dogma consubstantialitatis Patres Nicæni procuderunt, quamvis nomine ὁμοουσίου sint vsi, ad Arium è latebris suis protrahendum, res tamen eo nomine significata, à Patribus antinicænis fuit agnita. Qui veterum consensus, vt annotavit Calvin. lib. primo cap. 13. Institution. hinc clarè perspicitur, quod neque in Concilio Niceno Arius, ex cujusque probati scriptoris authoritate fucum facere est ausus, & nemo ex Græcis vel Latinis excusat, se à prioribus dissentire, qui tamen Patres, vt qui

pro-

propius ab eorum temporibus abfuerunt, non ignari ſtyli & modorum loquendi veterum, nec ſententiæ & mentis illorum, niſi craſſæ ignorantiæ inſimulare omnes & ſingulos, quis per impudentem temeritatem audeat? Auguſtinus, in quo ſanè τὸ διδακτικὸν omnibus enituit modis, adeo vt neminem habeamus ex Græcis, nec ex Latinis, quem hac in parte cum eo conferre poſſimus, quo elogio inſignit Eraſmus Auguſtin. præfatione in opera ipſius Auguſtini, hic inquam libro primo de Trinitate, telam diſputationis exordiens ait. *Omnes quos legere potui, qui ante me ſcripſerunt de Trinitate, quæ eſt Deus, divinorum librorum, veterum & novorum Catholici tractatores, hoc intenderunt ſecundum ſcripturas docere, quod Pater & Filius & Spiritus Sanctus, vnius ejuſdemque ſubſtantiæ inſeparabili æqualitate, divinam inſinuent vnitatem. Ideoque non ſint tres Dij, ſed vnus Deus, quamvis Pater Filium genuerit, & ideo Filius non ſit, qui Pater eſt, Filiuſque à Patre ſit genitus, & ideo non ſit Pater, qui Filius eſt: Spirituſque S. nec Pater ſit, nec Filius, ſed tamen Patris & Filij Sp. Patri & Filio, etiam ipſe coæqualis, & ad Trinitatis pertinens vnitatem: non tamen eandem Trinitatem, natam de virgine Mariâ, & ſub Pontio Pilato crucifixam & ſepultam, tertio die reſurrexiſſe, & in cœlum aſcendiſſe, ſed tantummodo Filium. Certè in minimis quibuſque ſcrupulis, vt ait Calvin. dicto loco, oſtendere ſolet, cur ab illis diſcedere cogatur, in hoc etiam argumento ſiquid ambiguum vel obſcurum legerit apud alios, non diſſimulat.*

Et hæc quidem dicta ſunto, de ſententiâ Patrum ante Concilium Nicænum : quod autem movet,de adulteratis, ſuppoſititijs & dubiæ fidei ſcriptis prætereo , cum ex incorruptis Germanis, & probatæ fidei ſcriptis conſtare poſſit, & conſtet de ſenſu antiquitatis. In fine Hilarium perſtringit , tanquam varium & ſibi contradictorium , qui tamen Nicænæ fidei conſtantiſſimus defenſor fuit ; & facilè ſibi conſonus erit, ſi lectori non deſit candor ingenuus. Certè ſi quid dixit , aut ſcripſit Hilarius, quod ad eſſentiæ diſtinctionem , & Tritheiſmum Patribus à Socino obtruſum & impactum,trahi poſſit, non ſenſit ſic tamen , ſed totus fuit in defenſione Orthodoxæ Nicænæ fidei. Cum enim Conſtantius Auguſtus , Conſtantini Maximi Filius, congregaret multa & numeroſa Epiſcoporum concilia , jam in Oriente,jam in Occidente,quibus actaConcilij hujus reſcinderet, in eas poſtremò res Eccleſiæ auguſtias redegit,vt in tribus tantùm Epiſcopis , aſſertio fidei, conſiſtere videtur , inter quos vnus Hilarius Pictavienſis in Occidente. Et hiſce quidem finem imponimus ſeptimæ claſſi.

Excipit hanc octava claſſis, quæ continet ſibyllarum teſtimonia ; ſed tranſeat hæc claſſis, nos enim non Sibyllis , ſed Prophetis & Apoſtolis magiſtris gaudemus , & iſtis fidei Chriſtianæ columnis inhæremus. Ultimam & nonam ſimiliter claſſem,viſiones & miracula continentem, Pontificijs authoribus defendenda relinquimus.

Caput

CAPUT,

De personâ & Deitate Spiritus Sancti.

DEcimo & vltimo capite libri sui, adversus Bellarminum & Wiekum instituti, paucis etiam Socinus perstringit, & evertere tentat sententiam Orthodoxam, de personâ & Deitate Sp.S. cujus defensio à Bellarm. eâ fere ratione instituitur, quâ disputatio superior: per novem enim classes eam etiam disposuit. Prima ex locis V. T. depromitur. Secunda ex Novi. Tertia ex parallelis. Quarta ex nominibus. Quinta ex attributis. Sexta ex operibus. Septima ex comparatione Spiritus S. ad Christum. Octava ex Patribus. Nona ex miraculis.

Prima Socini, ad harum classium epilogismū responsio est. *Spiritui quidem Sancto tribui, quæ vnius Dei sunt propriè, nimirum, quia virtus atque efficacia Dei; inde quod Spiritus Sanctus facit, Deum meritissimè facere dici: sed hoc tamen non esse satis ad sententiam adversariorum probandam, nisi apertè demonstretur, Spiritum Sanctum, sive istam Dei virtutem, & efficaciam esse personam ab ipso Deo, cujus Spiritus & efficacia est, distinctam: quod Spiritus S. actiones tribuuntur, & ea quæ personarum sunt propria, ex hoc nihil concludi posse: cum alijs rebus, quas personas non esse constat, similiter in Scripturis sacris actiones tribuantur, & ea quæ personarum sunt propria, vt 1. Cor. 13. à v. 4. vsque ad 8. vbi perpetuò inquit, de charitate, tanquam de personâ aliqua loquitur, illi permulta tribuens, quæ revera nonnisi in personâ cadunt.* Socin. pag. 488.

Quod si quis dixerit satis constare, Paulum eo in loco figuratè loqui, & charitatis nomine eum intelligere, qui charitate sit præditus, quatenus eâ præditus est. Respondebo, ait, cum Sp. S. sit spiritus Dei, certumq; sit alioqui spiritum alicujus personæ, non posse esse personam, ab eâ cujus est spiritus distinctam, non minus constare, cum Sp. S. ea tribuuntur, quæ personæ & simul ipsius Dei sunt propria, nihil aliud intelligendum, nomine Sp. S. esse, quàm ipsum Deum, spiritu suo, id est, virtute atq; efficaciâ suâ agentem, atque operantem.

Resp. In eo verti hoc loco controversiæ cardinem, an nimirum Sp. S. Deus sit, personaliter à Patre distinctus. Contendit Socin. 1. Quę Dei sunt, de Sp. S. prædicari, non aliam ob causam, quàm quia virtus atq; efficacia Dei. 2. Probationes requiri ad probandum Sp. S. sive istam Dei virtutem esse personam à Deo distinctam, allatas verò ex eo, quòd Spiritui personarũ propria tribuuntur, inefficaces esse: ex charitate alioqui etiam personam faciendã esse. Hæc duo igitur in hoc responsionis segmento disputanda sunt.

Quod ad primum, dico Socin. nec Scripturæ authoritatem, nec evidentem aliquam rationẽ adferre respõsionis suę, quod tamẽ fieri decuit: sensus enim verborum proprius non est deserẽdus, nisi cogente evidente aliquâ ratione. 2. Cũ nulla proprietas, quę naturaliter in Deo residet, Deus appelletur, neq; vlli proprietati ea omnia quæ Dei sunt tribuantur, ineptum est dicere, omnia quæ Dei sunt, prædicari de Sp. S. quia virtus & efficacia Dei. 3. Obstat huic expositioni Socinianæ vsus communis loquendi: non enim

poten-

potentiæ tribui receptum eſt, quæ perſona intelligit, decernit, permittit, facit, cui potentia efficiendi ineſt: actiones enim ſunt ſuppoſitorum. 4. Cum de Sp.S. prædicentur ea omnia, quæ de Deo ipſo, idque prędicationibus admodum frequentibus (quid ſanè veræ & propriæ prædicationis indicium, cum ratio nulla obſtet in contrarium) ſentire profectò cogimur, ſignificationem virtutis & potentiæ nimis anguſtam eſſe Sp.S, totumq; id, quod eſſentiâ & vitâ Dei continetur, Sp.S. etiam in ſe complecti. Nam & Dei nomina Sp.S. tribuuntur (vt quidem hæc etiam reſponſio Socini concedit) & nobiliſſimę vitæ Dei proprietates, intellectus & voluntas. Intellectus, nam *ſcrutatur profunditates Dei* 1. Corinth. 2. verſ. 10, neque hoc facit quà virtus Dei, potentia enim operandi non dicit facultatem intelligendi, ſed hæc ab illâ, ſecundum formalem concipiendi modum, diſtinguitus: intellectus eſt intelligere, potentiæ eſt facere: actus intelligendi actus immanens eſt; potentiæ tranſiens. Sp. S. ergo non eſt tantùm divinum quid, aut Deus, vt proprietates & attributa, ſed vt Deus ipſe: nam intelligere, præcognoſcere, prædicere, facere, non de divinâ aliquâ proprietate, ſed de Deo ipſo tātummodo prædicantur. Voluntas nobiliſſima vitæ facultas, quâ illa ſe extendit, ad faciendum, impediendum, permittendum, habendũ tribuitur Sp.S. 1. Cor. 12. v. 11: Act. 16. v. 7: Eph. 4. v. 10. 1. Pet. 4. v. 14. Iſtiuſmodi etiã eſſentiæ proprietates, quæ prædicari non ſolent, niſi de rebus ſubſiſtentibus, qualis immenſitas, de Sp.S. præ-

dicantur, cum dicitur *inhabitare pios*: Et David dicit, *quò ibo à Sp. tuo*: locus autem & vbi ſunt rerum ſubſtantialium.

Ea quoq;, quę per modum affectuum in Deo conſiderantur, Sp. S. inſunt: amat juſtitiam & odit peccatum; nam movet per bonas inſpirationes ad bonum, & peccatis contriſtatur. Bonitas, quæ voluntatem ad benefaciendum provocat, non poteſt non eſſe ejus, qui dona ſua in Eccleſiam copiosè effundit, & ſanctos in ſummis anguſtijs, tanquam optimum & benigniſſimum numen, mirificè conſolatur. Nec tantùm bonum, ſed & miſericordiæ plenū eſſe oportet: nam Chriſtus Salvator noſter à Sp. S. *conceptus eſt* Mat.1.v.20: *fœdus gratiæ nobiſcum inijt*, Heb. 10. v. 15: *ejuſdem annuntiator eſt* Luc.4. v.18: *gratioſæ regenerationis author* Ioh. 3.v.5.6: *dona gratiæ effundit in indignos & miſeros peccatores* 1. Cor.12.v.7. &c: *mittit ſermonem gratiæ, ab alienatis à vitâ Dei, per ignorantiam, quæ in ipſis per obdurationem cordis ipſorum* Actor. 13. verſ. 2: *propenſiſſima ejus, in auxilium afflictæ Eccleſiæ, voluntas, qui præſens eſt interpellatione ſuâ, in medijs neceſſitatibus* Rom.8.verſ. 26. Ira, quæ eſt affectus depulſionis, Spiritus S. quoque eſt Heb.3. v.10: Eſa.63.v.10.

Quin & virtutes, quæ in Deo ponuntur, noſtro concipiendi modo, tanquam directrices, & moderatrices divinarum actionum & affectuum, vt habeant debitam ſuam rectitudinem Spiritui Sancto aſſcribuntur: patiens & longanimis eſt Num.14.verſ.11: Actor.7. v.51: Heb. 3. v.7.8. Verax eſt, nam Spiritus veritatis appel-

appellatur. Ioh. 14. verſ. 17. Itaque cum hęc omnia collectivè ſumta Sp. S. ſint propria, deitatem Sp. ex ijs, in ſenſu vt de eâ jam diſceptamus, inferimus. Una quidem proprietas divina nonnunquã de alterâ prædicatur: vt exemp. grat. æternitas eſt miſericordiæ, & aliarum proprietatum attributum, omnia tamen de vno non prædicantur. Et profecto, cui hæc ſufficere non poſſunt argumenta à nominibus Dei, vitâ, intellectu, voluntate, affectibus, virtutibus, operibus deſumta, ad perſuadendam Sp. S. deitatem; tum non video, quomodo præfracto alicui perſuaderi poſſit, Deum eſſe Deum: quibus enim, quæſo, rationibus, ſubjecti alicujus deitas aſtrui poteſt, quàm illis, quas, nomina, eſſentia, vita, intellectus, voluntas, & opera largiuntur? iſta enim ſunt, quæ hominum vniverſitas, integrum divinitatis veræ conceptum, formare credit. Religioſus etiam cultus Sp. S. debetur (cultus autem Deo non debetur tantùm quà potens, ſed ſecundum totum ſui, et ſe totum) ergo nec etiam Sp. S. tantùm, quia, & quà virtus Dei. Sp. S. verò adorandum & invocandũ eſſe, probatur ex 1. Cor. 12. v. 11. Nullum enim excellentius fundamęntum religioſæ invocationis, Deo ab hominibus præſtandæ, quàm plenum jus & αὐτοκρατορικὴ poteſtas, in bona omnia cæleſtia, quæ Sp. S. ab Apoſtolo Paulo ibi tribuitur.

Propter hanc arbitrariam Sp. S. in omnia cæleſtia poteſtatem, preces ſuas ad eum direxit Apoſtolus Paulus 2. Cor. 3. v. 13. At occurrit Smalc. in refutatione Theſium Iacobi Schopp.

nec eidem *mentiri* vers. 3: glorificare eum debent Christiani 1 Cor. 6. vers. 20: gravissima in eum peccantibus pœna denuntiata est Mat. 12. v. 31: Heb. 10. v. 2. Oggerit Smalc. ejusdem refutationis pag. 15: *verba illa, ne contristate Sp. S. de personâ dici posse, neminem sanæ mentis affirmaturum, præsertim si consideret, simul & semel plurimis illum dari, vel plurimos illo obsignari.* At contra est, quod Deus omnes simul fideles inhabitat, & tamen persona est.

Transeo ad secundum, in quo demonstrandum, Spiritum Sanct. sive istam Dei virtutem, personam esse hypostaticè à Patre distinctam. At primò quidem ostenditur, Spiritum Sanctum personam esse, ex varijs characteristicis indicijs personæ, tum in actu primo, tum in actu secundo. Personæ in actu primo convenientia, ex communi vniversitatis hominum consensu, sunt, existentia, vita, ratio, intellectus, voluntas, substantia singularis individua, subsistens incommunicabiliter: hoc autem totum est Spiritui Sancto. Ergo persona est. Secundò personam esse probatur, ex ijs quæ personæ signativa, in genere actus secundi: personæ enim propriæ sunt actiones omnes, de Spirito Sancto prædicatę, putâ *creandi, animandi, vegetandi* Gen. 1. vers. 2. *conservandi* Psalm 104. v. 30: *cognoscendi, scrutandi* 1. Cor. 2. vers. 10. 11: *volendi* primo Cor. 12. vers. 11: *loquendi* Iohan. 16. vers. 13: 2. Pet. 1. vers. 21: *testandi cum alijs de alio* Iohan. 15. vers. 26: Rom. 8. vers. 16: 1. Iohan. 5. vers. 7: *interpellandi pro alijs, & eorum infirmitates sublevandi*

Rom.

appropriantur, propterea ista omnia, per figuram rhetoricam, quæ prosopopæia dicitur de charitate dici potuerunt, non verò de Sp. S. nam Sp. quà virtus & potentia operandi, non agit ista omnia. 2. Spiritum S. istam ad Deum habere relationem, quoad divinas actiones, quā habet charitas ad hominem charitate informatum, quoad virtuosas actiones, prædicationes & phrases frequentissimæ in Scripturis, de actionibus Sp. S. nullam hîc nobis insinuantes improprietatem, quæ manifestè apparet, in istis prædicatis charitatis, nullo modo permittant. 3. Etsi charitati, tribuuntur actiones personales, per figuram rhetoricam, aut tropum metonymiæ, non tamen omnia quæ personarū sunt, vt de Sp. S. probant Orthodoxi, omnia prædicari. At instat adversarius, *Spiritum alicujus personæ, non posse esse personam ab eâ, cujus est Spiritus distinctam*. Verùm hoc inconsequens est in divinis, neque ea est convenientiæ ratio, inter Deum & Spiritum ejus, in negotio divinorum operum, quæ est inter charitatem, & hominem charitate præditum; nam charitas, & homo charitate præditus, non proponuntur vt principia distincta, vt Deus & Sp. S. ab Apostolo 1. Cor. 12. v. 4. &c. Ad quem locum, quid. Socin. excipiat videamus.

Cum non omnia inquit, quæ agit atque operatur Deus per Sp. S. agat atque operetur, propterea in eâdem etiam actione & operatione, licet propriè loquendo, ipse Deus tantùm sit, qui agit atque operatur, Sp. S. ab ipso Deo distingui, præsertim, cum ipse Sp. S. per quem Deus agit atque operatur, diversimodò Socin. pag. 489.

versimodò considerari possit. Similitudine ad locum istū 1.Cor.12. accommodatâ vtemur, vt melius intelligi tota res queat. Sit aliquis vir princeps dives ac locuples, qui plurima dona inter eos, qui ejus imperio subijciunter, aliquâ peculiari in re sibi obedientes, distribuat, eaque varia ac multiplicia, vestes, vasa, supellectilem, equos, currus, arma &c. poterit sanè, quis meritò dicere, diversa hîc diversis donari, sed tamen vnam eandemque esse liberalitatem, quæ vnicuique, pro arbitratu suo largiatur, vnum eundemque esse virum principem, qui horum omnium donorum anthor sit: etiamsi nec liberalitas ista, sit persona aliqua, nec, propriè loquendo, ipsa liberalitas quicquam agat, sed vir ipse princeps tantùm, liberalitate istâ suâ: quæ propterea singulariter notari hîc ac nominari potuit, quia aliud quoddam genus est hoc liberalitatis, ab eâ, quâ idem vir princeps verbi gratiâ, pauperibus & egenis subvenit: sicut aliud quoddam genus Sp. S. est, per quem Deus, Christo credentes, sibique hac in re obedientes, varijs donis afficit, ab eo, per quem (exempli causâ) sui cognitionem humano genere largitur, vnde fit, vt ejus, in loco isto apud Paulum singularis mentio fiat, & ab ipso Deo distincta, quamvis revera persona aliqua non sit.

Resp. 1. Falsum esse illud adversarij præsuppositum, Deum non omnia quæ agit, per Sp. agere. de quo mox amplius. 2. Falliciam à non causâ vt causa, committit adversarius: non enim hoc distinctæ recensionis causa esse potest. Nam amabò te, cur sapientiæ, bonitatis, justitię, misericordię, amoris, iræ, & cæterarum rerum, quæ Deo competunt, non fit eâ ratione

ratione mentio? Et cum manifestè hîc agatur de operibus quæ non agit Deus, nisi per Spiritum Sanctum, iste Socini epilogismus nullus est. 3. Etsi Spiritus Sanctus variò considerari possit, secundum varios egressus, dona & operandi modum, Sp. tamen Sanctus in Deo non est multiplex, nec varius, sed vnus, neque vt multiplex, sed vt vnus ab Apostolo consideratur: & si hoc distinctę recensionis causa esset, Spiritum S. a Spirito Sancto, non verò Spirit. Sanctum à Deo tantùm distinguere debuisset Apostolus, & sic pro Trinitate substituēda hic quaternitas: vt enim Sp. S. distinguitur a Deo, quia Deus, non quicquid agit Sp. S. agit, eadem etiã ratione Sp. S. distinguendus, quia Deus, non omne, quod agit, per Sp. S. agit, quo credentes varijs donis afficit. 4. Quæ hæc loquendi ratio, diceret, Deus hæc efficit, & operatur, Spiritus hæc donat, vbi tantum vnus est?: Cum dico hic hoc faciebat & ille, duos intelligo, aut verba nihil operantur; quis dicat ego ibi ivi, & pedes mei, hoc sane est ματαιολογεῖν. Scriptura sanè, eo excepto, quod expressâ personæ voce hîc non vtatur, aliter loqui non potuisset (posito quod hoc docere Deus voluerit) ad significandam personalitatem Sp. S. nugatoria ergo hæc detorsio. 5. Ratiocinium illud suum, de principe & liberalitate ejus, nullius probati authoris exemplo probat, & quod si hoc fieret, apertissimum esset, principem & liberalitatem ejus non proponi, vt principia distincta, nec si hoc fieret, nemo & ex eo intelligeret, id fieri, vt vna liberalitas principis ab alterâ distingueretur.

Iam

Jam de præsuppoſito adverſarij agendum. *Deum, non omnia, quæ agit, per Spiritum Sanctũ agere.* De hoc verò, ita ſcriptum reliquit, quod ad rei ſubſtantiam attinet. *Non quamlibet Dei virtutem Sp. Sanctum eſſe, ſed eam tantùm quâ res aliquo modo ſanctificantur: quamlibet Dei virtutem, nomine Spiritus Dei appellari, Sancti Epitheto non adjuncto vt Eſa.40.v.7: Exod.31. v.3: per antitheſin Spiritus Sancti, Spiritum Dei malum, nonnunquam in ſacris legi: 1.Reg.18.v.10.& 19.v.9: Spiritum S. contra interdum Spiritum Dei bonum vocari, vt Pſalm 142.v.10. 2.Eſdr.9. v.10: Spiritum Dei malum, nihil eſſe, niſi vim & efficaciam divinam, quâ homines torquentur, & in reprobum ſenſum dantur, aut aliâ ratione affliguntur: ſic Spiritus Dei nomine, ait, quamlibet Dei virtutem ſignificari poſſe: virtutem, quâ res aliquo modo ſanctificantur, longè alijs præſtare, & Deo maximò propriam eſſe: & in frequentiſſimo vſu, ſæpiſſimè in ſacris commemorari, vt Dei Spiritus, aut ſimpliciter etiam Spiritus nomine, Spiritus Sanctus ſignificetur, & proſopopœia ac metonymia ſint admodum frequentes: nullam cauſam eſſe, cur Sp. S. perſona cenſeri debeat magis, quàm alij Dei Spiritus, qui omnes ſimiliter virtus ſunt Dei, virtutem alicujus perſonam eſſe ab eo diſtinctam, nemo impoſſibile eſſe non videt.*

Socin. pag.491.

Reſp. Dupliciter de rebus loquimur, aut prout ſunt in ſe, aut prout à nobis concipiuntur & res vel inter ſe ſunt, verè & realiter, vel modaliter diſtinctæ vel tantùm in intellectu concipientis cum fundamento in re. Tria enim diſtinctionum genera traduñt Metaphyſici. Prima

dicitur

dicitur realis. Secunda modalis. Tertia rationis. Distinctio realis consistit in hoc, quod una res non sit altera: distinctio modalis est inter rem, & modum rei, qui modus etsi aliquid reale est (neque enim ab intellectu confictus est) tamen quia fragilis admodum entitatis est, non vocatur res, sed rei modus, vt est sessio respectu sedentis, vnio respectu rerum vnitarum. Distinctio rationis non est illa, quæ intercedit inter entia rationis, sed est ea, quâ de ente reali aliquo distincti conceptus formantur, sive est rerum prout substant nostris conceptibus, & ab eis denominationem aliquam accipiunt. Hęc autem distinctio rursum duplex est: vna est, quæ non fundatur in re conceptâ, & dicitur rationis ratiocinantis, quia oritur ex solâ operatione intellectus: alia, quæ habet fundamentum in re, & vocari solet rationis ratiocinatæ, & à nonnullis appellatur virtualis: hoc modo vnum attributum, in Deo distinguimus ab alio, vt justitiam à misericordiâ, & vnum dicimus non esse aliud: mens enim nostra per inadæquatos conceptos partitur, quod in se est indivisum, & virtualiter multa continet: sic liceret in luce solis, quamvis in se sit omnino eadem, distinguere virtutem calefaciendi, exsiccandi, rarefaciendi: At hoc pacto, Spiritus Dei, & Spiritus Sanctus, in sacris non distinguuntur, neque quædam Dei virtus magis est Spiritus Sanctus, quàm quælibet Dei virtus, & Spiritus Dei & Spiritus, non dicunt distincta in Deo,

noſtris conceptibus, nam quæ ſic diſtinguuntur, de ſe mutuò non prædicantur in abſtracto: nam non dicimus iram amorem eſſe, rectitudinem eſſe ſapientiam; at rectiſſimè dixerim, Spiritum Sanctum eſſe Spiritum Dei, & è comverſo: non eſt ergo Spiritus Dei, qui non ſit Spiritus Sanctus, vel Spiritus Sancti. Etſi verò Spiritus Sanctus, Sanctus dicatur inter alia, quia per eum res aliquo modo ſanctificantur (nam cauſa iſtius denominationis rectiſſimè etiam ſtatuitur, quia in ſe Sanctus eſt) non tamen tantùm eæ actiones, quibus ſanctificat Spiritus Sanctus ad eum vt principiata, ad principium ſuum proximum & formale referuntur, verùm etiam eæ, in quibus nulla iſtius ſanctificationis ratio; & vice verſâ, actiones ſanctificantes ad Spiritum Dei, tanquam principium ſuum referuntur: hinc etiam adverſarius, hoc loco fieri, vt Spiritus Dei, aut ſimpliciter etiam Spiritus nomine, Spiritus Sanctus ſignificetur, imò vocabulum Spiritus rariſſimè occurrit cum Epitheto Sanctus, frequentiſsimè autem ſine hoc Epitheto, & tamen frequentiſsimè agitur de Spiritu Dei, vt principio ſanctificationis: neque tantùm quæ ſunt Spiritus Sancti, promiſcuè tribuuntur Spiritui Dei, vt cum adverſario loquamur, verùm etiam, ea quæ ſunt Spiritus Dei, tribuuntur viciſsim Spiritui Sancto, hoc eſt actiones & opera non ſanctificantia. Actor.4. verſ.25. Vaticinium de hoſtibus Eccleſiæ & Regis Ieſu Chriſti ad Spiritum Sanctum refertur, iſta tamen,

men prædictio, non erat actio sanctificans, dona miraculorum, dona Spiritus Sancti, dona tamen illa per se sanctificant. Matth.8.vers. 22: Conceptio Filij Dei à Spiritu Sancto est, eâ tamen Filius non fuit sanctificatus ex sententiâ adversarij, cui sanctitas & justitia in infantem non cadit. Permutantur itaque hæc in sacris, nec antithesis illa Spiritus Sancti (quem David appellavit bonum) & Spiritus Dei mali probat intentum adversarij; neque enim sine apertâ blasphemiâ, in Deum dici potest, duos in Deo Spiritus esse, quorum alter bonus alter malus sit; aut si ratione effectuum hoc intelligit adversarius, vt cum gratioso ductu adest suis, vt in vijs Dei eos ambulare faciat, Spiritus Sanctus dicatur; aut Spiritus malus, quando impios justo judicio deserit, & Satanæ regendos tradit, tum ista antithesis pro hac distinctione non facit: nam illa, tum non opponit Spiritum Spiritui, vt sunt in Deo, sed contrarios tantum effectus vnius & ejusdem Spiritus, quorum alter gratię, alter severitatis justæ, vt Deus miseretur & indurat. Rom.9. vers.18. At ita sanè etiam Spiritus Sanctus, Esa.16. vers.10: Act. 28. v.25. Sed de hoc præsupposito adversarij satis, pergamus ad reliqua.

Hic primò cornuto argumento, impetit personalitem Spiritus Sancti. Argumentum tale est. *Spiritus Sanctus, aut est persona quocunque modo acceptus, aut in potiore sensu acceptus: non priore,* Socin. pag. 451.

 nam

nam sic dona cælestia & divina eo notari, in sacris est vsitatissimum, non potesteriore; nam sic in Deo ipso naturaliter est. Atqui, inquit, si Spiritus Sanctus in ipso Deo est naturaliter, Deus autem ipse, in quo est, persona vt sit necesse est, sequitur Spiritum Sanctum non esse personam, aliter enim vna persona in aliâ naturaliter esset, idque non reciprocè, cum Deus vicissim in Spiritu Sancto, eo modo, quo in ipso Spiritu Sancto est, nullo pacto dici possit: est siquidem Spiritus Sanctus in Deo, quatenus Deus est: Deus autem non est Spiritus Sanctus eo sensu, quo Spiritus Sanctus Dei esse hoc loco dicitur: verùm vnam personam in aliâ naturaliter esse, præsertim haud reciprocé, nullâ ratione fieri potest.

Resp. 1. Etsi dona cælestia in sacris sæpe significentur, nomine Spiritus Sancti, nihil prohibet, simul cum ipsis Spiritum Sanctum intelligere, nec vllibi ipsa dona cælestia Spiritus Sanctus vocantur, vt non simul commodissimè & ipse Spiritus Sanctus intelligatur, itaque nego Spiritum Sanctum non quocunque modo acceptum, personam esse. 2. Secundò mirari subit, Socinum hîc asserere, Spiritum Sanctum in Deo naturaliter esse; nam lib. 1. de Servatore cap. 1. acriter contendit, justitiam vt misericordiæ oppsitam, tantùm esse effectum voluntatis divinæ, eam autem in Deo non residere, nec qualitatem, seu proprietatem aliquam esse, quia justitia, quæ in Deo verè residet, & qualitas sive proprietas ejus est, in omni Dei opere reperiatur, quæ ejus ratiocinatio,

tio, hanc sibi hypothesin substratam habet; proprietates Dei naturales in omni Dei opere reperiri; alioqui invalida & nulla: dicendum ergo Socino, Spiritum Sanctum non naturaliter in Deo residere, sed esse effectum liberum voluntatis divinæ. 3. Dicitur non probatur, non posse dici Deum eo modo & sensu, in Spiritu Sancto esse, quo Spiritus Sanctus est in Deo.

Hactenus Socinus in eo fuit, vt ostenderet Spiritum Sanctum non esse personam, & figuratas esse de eo locutiones, per metonymiam quidem, cum nomine Spiritu Sancto, ipse Deus, cujus est Spiritus, significatur: per prosopopæjam, quando Spiritui Sancto Dei actio tribuitur. Addit, *sin hæc virtus & efficacia Dei consideratur & accipitur, vt res, in quibus agit, ab ipsâ afficiuntur, vtrique isti figuræ similiter aptissimus est locus, quandoquidem commodissimè per metonymiam is, qui a Spiritu Sancto aliquo modo affectus, quidpiam agit, quatenus id agit, Spiritus Sanctus, seu Spiritus Dei metonymicè dici potest, vt factum apud Paulum, cum ait* 1. Corint. 2. vers. 10. *Spiritum (subaudi, Dei) omnia scrutari, etiam profunda Dei: vbi Spiritum Dei nomine, sine dubio intellexit, hominem Spiritu Dei præditum; quatenus videlicet ab ipso Spiritu afficitur: simili metonymiâ vidimus antea illum esse vsum, cum de charitate loqueretur* 1. Corint. 13. *tam per prosopopæjam, ipsi Spiritui Sancto actionem tribui, quæ ipsius Spiritus ope, ab homine fiat, a deo est proclive, vt ni-*

Socin. pag. 493.

eo, ipsum esse eundem Deum cum Patre, *cum huic rei vt scilicet, plures personæ eandem numero essentiam habeant, propter contradictionis implicationem, tota natura reclamet, vt supra alibi est indicatum: & ex alterâ parte nihil vetet, quominus Deus cum re creatâ, ea, quæ alioqui ipsius Dei propria sunt, communicare dignatus fuerit. Hìc enim nihil, cui tota natura reclamet, nihil inquam quod contradictionem implicet, invenies. Vbi id tamen singulariter, non sine causâ animadvertendum est, nusquam, nî fallor, in sanctis literis Spiritui Sancto disertè tribui, quod quidquam creet, sed Dei Spiritu, seu per Dei Spiritum, alicubi fortasse creatas res dici, tanquam videlicet instrumento, seu per instrumentum. Nam locus Iob. 33. vers. 4, ab adversarijs citatus, non* creavit, *sed* fecit *habet. Adde, quod non vbicunque, Dei Spiritus nominatur, ibi Spiritus Sanctus est intelligendus, vt ex ijs constare potest, quæ supra disputavimus.*

Resp. 1. Non ad naturam, sed ad Scripturam in altissimis fidei mysterijs, provocandum esse. 2. Dogma de pluralitate & Trinitate personarum, naturalibus principijs contradictorium esse & toti naturæ reclamare, clamatur, non probatur hoc pacto. 3. Deum cum re creatâ ita sua communicare, vt sit alius præter eum Deus, hoc adversis frontibus Scripturis sacris repugnat, & contradictionem implicat, vnum esse Deum & plures. 4. Spiritus Dei ineptè satis instrumentalis causa appellatur, &

contra communem ſententiam de inſtrumentali causâ, ejuſdemque definitionem pag. 261. vbi ſimul actum de obſervatione illâ, quod non Filius creâſſe, ſed Pater per Filium creâſſe dicatur, & oſtenſum eam revera nullam eſſe: eadem eſt ratio ejus quod de Spiritu Sancto hîc ait. In loco Iobi, non dicitur Elihu Spiritu Dei, ſive per Spiritum Dei eſſe factum, ſed dicit, Spiritus Dei fecit me, & cum ſe factum dicit tantundem valet, ac ſi ſe creatum dixiſſet: promiſcue enim Scriptura vtitur vocibus, creandi, faciendi, cum de creatione mundi, aut aliarum rerum agit: acumen ergo etiam illud nullum eſt.

Pag 495, 496, 497, reſpondet ad ſeptimam claſſem Bellarm. quæ conſtat comparatione Spiritus Sancti ad Chriſtum, ad probandum Spiritum Sanctum vnum eſſe Deum, eo argumento, quod Spiritus Sanctus Chriſto, qui ſolo Deo Patre minor, ſecundum adverſarios Chriſto homine major. Verum hanc claſſem prætereo & Bellarmino relinquo.

Socin. pag. 498. Inde venit ad argumentum, quod ex Baptiſmo petitur, pro deitate Spiritus Sancti à Bellarmino ſecundâ claſſe ſuâ probatum. Excipit Fauſtus, *in ſacris literis res creatas interdum cum creatore conjungi, idque in re quæ non minoris ſit momenti, quàm baptiſmus, cujuſmodi eſt timor & fides. De timore inquit, habes teſtimonium 1. Reg. 12. verſ. 18.* Et timuit omnis populus nimis Dominum & Samuelem: *de fide verò Exod. 14. verſ. 31, vbi ſecundum veritatem Hebraicam legitur,*

tur, & timuerunt populus Iehovam, & crediderunt in Iehova, & in Mose servo ejus. *Nihil ergo impedit, quo minus res creata cum creatore conjungatur, etiam in rebus maximis, & quæ ad ipsius creatoris cultum pertinent, semper enim in promptu est, conveniens discrimen eadem ipsâ in re agnoscere inter creatorem & creaturam: prout totius religionis, & divini verbi analogia requirit. Iam quod ad ipsum Baptismum attinet, posse quempiam in creaturam (quod idem est, quod in nomen creaturæ) baptizari, docet Paulus cum ait, 1. Cor. 10. vers. 2, Israelitas baptizatos fuisse in Mosen: imò, conjunctio hæc Dei cum creaturâ tolerabilior est multò, quàm cum soli creaturæ id tribuitur, quod Dei propriè est, non autem creaturæ. Neque enim ex conjunctione istâ colligitur æqualitas inter Deum & creaturam, sed tantùm, quod vtrique idem conveniat: verùm Deo, vt principio & fini rerum omnium, creaturæ autem vt ipsius Dei ministro, aut etiam secundæ causæ, ab ipso ordinatæ. Sic igitur per conjunctionem istam, & ad Deum rem pertinere, exprimitur, & ipsius prærogativa nullo negotio intelligitur. Neutrum autem horum fit cum creatura sola nominatur. Tunc enim totum illi videtur tribui. Nihil igitur incommodi est, in præceptione illâ Matth. 28. vers. 19, Baptizantes in nomine (seu potius in nomen) Patris & Filij & Spiritus Sancti, etiamsi Pater solus sit creator, Filius autem & Sp. S. creaturæ. Et conjunctio ista creatoris cum creaturis in baptismo, multò tolerabilior videri debet, quàm cum Baptismi in creaturam simpliciter fit mentio, vt apud Paulum*

Socin. pag. 499.

lum fieri Paulò ante ostendimus. Hæc dicta sint ad adversariorum ratiocinationem refellendã: non autem quasi nos arbitremur Spiritum Sanctum creaturam esse, quem jam diximus in potiore sensu acceptum, non modò virtutem esse quandam & efficaciam Dei, verùm etiam in ipso Deo naturaliter esse, in quo nihil creati esse potest.

Resp. Per Baptismum se obligant Christiani Spiritui Sancto, seque eidem consecrant, ad obsequium & religiosum ejusdem cultum, quemadmodum planum facit Paulus Apostolus insigni loco 1.Cor.1.v.13. Sicuti enim baptismus, ex parte Dei, obsignat gratiosam cum Patre Filio & Spiritu Sancto communionem, Act.2. v.38, ita ex parte fidelium eorundem cultum & obsequium Rom.6. v.3: 1.Cor.1. v.13: ex istis enim, & similibus sacræ Scripturę locis optima & certa interpretatio desumitur verborum illorum Mat. 28. Scripturam autem per Scrpituram exponere, tutissima cynosura est. Etsi verò res creata conjungatur interdum cum creatore, idque in re, quæ non minoris momenti quàm baptismus, vt in timore & fide; non tamen conjungitur vt religiosi cultus objectui: nec Samuel, nec Moses Deo conjunguntur, vt cum Deo, religiosi timoris & fiduciæ objecta: nec Moses, aut Samuel, vllo modo admissi vnquam in colendæ divinitatis consortium: at Sp. San. Patri & Filio, in baptismo ita conjungitur, vt in solo tantùm personarum ordine, discrimẽ appareat: neque vlla est ratio, cur cogitare de-

beamus,

beamus, baptismum illum magis ad Patrem & Filium spectare, aut aliâ ratione pertinere, quàm ad Sp. S. magna ergo hîc dissimilitudo est. Instat *baptismum non esse Deitatis argumentum*, quia Paulus docet Israelitas baptizatos fuisse in Mosem, & Catechism. Racon: cap de essentiâ Dei, *legi quosdam discipulos in baptisma Iohannis baptizatos*: verùm ad hoc etiam refugium frustra convolant adversarij; nam quis non videt in Mosen baptizari, nihil aliud esse quàm ministrante Mose, vel sub ejusdem auspicijs, & eo tanquam duce præeunte baptizari? Augustinus Psalm 77, reddidit hunc locũ, *omnes per Mosen baptizati sunt*: quomodo etiam primus & vetustissimus N. Testam. interpres Syrus, hunc locum ferè reddidit: habet enim, *in manu*, sive *per manum* Mosis. Quidquid verò statuatur, id saltem constare debet, phrasis hujus, quâ Christiani jubentur baptizari εἰς τὸ ὄνομα, Patris Filij, & Sp S. & verborum illorũ, quoad Sp. S., longè aliam esse significationem, quàm cum dicitur à Paulo, Israelitas baptizatos in Mosen: nam priori phrasi significatur, summa potestas & jus divinum, eumque qui baptizatur, in religiosam servitutem addici ei, in cujus nomen baptizatur, quod Paulus allato à nobis loco ad Corinthios, indicat, qui etiam eo loci, Corinthios acriter reprehẽdit, quod turpibus dissidijs Christianam concordiã scindebant, & factionum nominibus inter se decertabant, cõtra quod vrget Apostolus, non hominem aut Pauli titulos sibi asciscere debere, eo pugnans argumento

argumento, quod in Pauli nomen non erant baptizati. In baptiſma verò Johannis baptizatos eſse, (vt huic etiam objectioni ſatisfaciam) homines, planum eſt, per ſe hoc aliud nihil eſse, quàm eos ſuſcepto baptiſmate declarâſse, amplecti & profiteri doctrinam illam vt divinam, quam Iohannes baptiſmo aquæ obſignabat. Verùm ex Euangelij contextu per ſe perſpicuum eſt, longè aliud intendi, cum dicuntur Chriſtiani baptizari in nomen Patris Filij Spiritus Sancti. An verò, quia diſcipuli illi baptizati in baptiſma Iohannis, quod nec Deus, nec perſona, putabimus ex eo, quod ex baptiſmo, nec Patris, nec Filij divinitas ritè concludatur? nihil minus.

Venit poſtremò ad claſses ex authoritate Patrum & viſionibus ac miraculis formatas, *ad quas ſe nihil reſponſurum ait; tum, quia, quæ diſputata ſunt de Filij divinitate, ſatis hic pro reſponſione eſſe poſſint: tum quia ante Concilium Nicænum, rara admodum, quæ controverſa non ſint, Patrum iſtorum teſtimonia extent.* Reſp. Cum fatetur Socinus, rara extare teſtimonia divinitatis Spiritus Sancti apud Patres, qui ante Concilium Nicænum, ex ipſius confeſſione elicimus, aliqua extare: nec ſequitur momentum non habere ea, quæ controvertuntur, quid enim tam certum, quod licentia ingeniorum in controverſiam non vocat? De altero illo argumento, à viſionibus & miraculis petito, ſupra verbo vno aut altero mentionem feci.

Socin. pag. 500.

Sequitur

Sequitur tandem operis conclusio, *in quâ gloriatur, primò de confutatis Bellarmini & Wiek. argumentis, pro vnâ & eâdem Filij ac Spiritus Sancti cum Deo Patre essentiali ac personali divinitate: & spem sibi esse, siquis hanc suam refutationem perlegerit, facilè agniturum, veritatem à suis partibus stare, supervacaneum propterea esse, refellere solutiones argumentorum, quæ adferri solent contra deitatem Filij & Spiritus Sancti, etiamsi argumenta illa valde probarentur sibi, nunc verò, cum non probentur sibi, multò minus, hoc opus esse. Animum etiam sibi esse ait, aliquando actoris partes sumere, & ejusmodi argumenta & rationes colligere, & simul adversus omnes impugnationes ita præmunire, vt hoc & isto labore combinatis, pijs fortasse, & divinæ veritatis amore incensis, parum admodum ad plenam hujus rei tractationem, desiderandum esse videatur. Denique Deo & Christo gratias agit, quod inter varias, cum animi curas, tum corporis perpetuas afflictationes, tantùm alacritatis & virium sibi dederit, vt hanc refutationem, idque haud longo temporis spatio ad finem perducere potuerit.* *Socin. pag. 501. & vltimâ*

Resp. An adversario justæ sint causæ, propter quas istos sibi Spiritus sumat, ęquus & attentus lector judicabit, examinatis vtriusque partis rationibus, cujus tribunal & judicium causa nostra nec reformidat, nec detrectat, quam confidimus nos, Deo adjutore, declaratione veritatis, commendare apud conscientias hominum in conspectu Dei. Et eam sane cælestis veritatis vim esse confidunt Orthodoxi,

vt aliena & contradicentia, eâ non aliter, quàm vasto ariete concutere, & sua eâdem, tanquam sub quodam Aiacis Clypeo, tuti defendere possint: Deique Filium, memorem promissionum suarum, ita Ecclesiæ suæ, in hoc luctuoso seculo adfuturum confidunt, vt non sint defuturi fidi Ecclesiæ servi, armis idoneis instructi, ad vera adstruenda & falsa & hæretica destruenda, qui sint Episcopi tenaces, vt monet Apostolus Paulus, fideles illius sermonis, qui ad doctrinam facit, vt posſint & exhortari Doctrinâ sanâ, & contradicentes convincere. Interea Deo Optim. Max. gratias, quas possum ago, quod mihi in hoc certamine, cum eo (qui vtinam excitatioris ingenij sui acumen, contulisset in veritatis defensionem, vt in ejusdem obscuratione & eversione est abvsus) Spiritus sui ductu ita adfuit, vt sperem, aliquatenus saltem, à me commonstratum esse, sententiam Orthodoxam de Deitate Filij, & Spiritus Sancti hac refutatione ejus sedibus suis evulsam non esse. Si quid hoc meo qualicunque labore contulero, quod in Ecclesiæ emolumentum, accidet quod gratum. Quod si minus præstitum quàm decuit, libenter fateor me aquilam in nubibus non esse: & quamvis nonnulli tam felicis ingenij, vt magna pro dignitate posſint, non tamen prorsus damnandi eorum conatus qui volunt: si non sum inter eos, qui potuerunt, numerandus, agnoscent me saltem boni, inter eos, qui voluerunt: sat scio etiam per jocum & ludum posse viros, in quibus pueri

pueri desudant. Finem facio & Deum Opti. Max. supplex rogo, vt sacram veritatem suam, adversus omnes ejus clandestinos & apertos hostes protegat, sacrorum in Ecclesiâ antistites, præclaris dotibus, ad veritatis prçsidium Ecclesiæ decus, hostiumque repressionem & confusionem instruat. *Amen*.





INDEX
Capitum hujus Libri.

Cap. Primæ Classis.

Cap. Secundæ Classis.

Cap. Tertiæ Classis.

Cap. Quartæ Classis.

Cap. Quintæ Claſſis.

Cap. Sextæ Claſſis.

Cap. Septimæ Claſſis.

INDEX

Aliorum quorundam locorum Scripturæ, quæ in hoc opere tractantur.

Locus

INDEX

Rerum præcipuarum.

Gloriam

Chriſtus

Christus

Ex

inde

Sociniana


Sententia

ris

παρȣσία

Legem

FINIS.





ERRATA.

Pag. 2. l. 2. habeat. ibid. l. 28. Palæologo p. 3 l. 22. Christi. l 27. maximè. p. 4. l. 29. ad hæc. p. 7. l. 16. expressè. l. 17. disertè l 22 apertè. p. 13. l. 16 obrinet. p. 14. l. 15. integrè. l. 19. naturæ p. 15. l. 31 apostrophes p 18. l 11 disertè. p. 20. l 22. negatione. p. 21. l 1. comessa. l. 29. Froschevero p. l. 26 l 29. coniunguntur. p. 28. l. 7. vides. p. 29. l. 1. deest ante vocem Christo, cum. l. 9. pro hic. lege sic. p. 30. l. 25. cum. p. 31. l. 23. lege & pro ut. p. 35. l 14 pro. lege 13. p. 41. l. 27. pro cui, lege ei. p. 42. l. 4. nulla. p 44 l. 10 protam l 16. disertè p. 45. l. 8. par. p. 46. l. 25. opem. p. 47. l. 6. propositionem. l. 7. tertiam. p. 52. l. 8. quæro. p. 62. l. 12. principes. p. 65. l. 27. descriptum. p. 67. l. 16. fideles p 70. l. 25. periodeiunt. p. 71. l. 5. caru. p. 74. l. 26. probatio. p. 75. l. 21. Domirâ p. 76 l. 10 putat p. 83. l. 10. cædit. p 93. l. 13. superventuri. p. 94. l. 5. claudatur parenthesis post meæ. ibid. l 32. existentiæ. p. 98. l. 9. cum. p 99 l 6. additam. p 100 l. 10. Filii l. 28. indicant. p. 112. l. 11. Math. 8. p. 121 l 20. Smiglecium p 117. l. 22 liberi. l. 30. Ægeo. p. 131. l. 25. hic. l. 26. annunciat. p. 132. l 21 diluit p. 136 l. 7. vera. p. 143. l. 30 sequatur. p. 151. l. 13. ellipsin. p. 155 l. 15. verè. l. 23 Eliam p 168. l. 10. intelligit. p. 170. l. 14. etsi. p. 173. l. 1. qualitates. p. 174. l. 22. n. c. p 182. l. 2. relatam. p. 192. l. 33. visum. p. 193. l. 1. etsi. p. 195. l. 1. probata p. 196 l 4 Patrem p. 214. l. 24. se. p. 224. l. 4. verè. p. 230. l. 9. erosum. p 231 l. 10. est. p. 243. l. 27. baptizans fuit. p. 244. l. 4. producto. l. 30. Ollorodius p 250. l 8. veritatis. p. 251. l. 12. accipiendam. p. 267 l. 22. eam. p. 268. l. 4. sic p 275. l 10. illi p. 278. l. 20. nexu. p. 279. l. 13. absurdâ. p. 287. l. 33. conceptu. p. 288. l 1. Leizar p 292. l. 27. capitis. p. 300. l. 6. prædicatus. p. 301. l 24. tantum. l. 26. post vocem, lege illam. p. 303. l. 33. apponitur. p. 305. l. 1. nomen. l. 25 pacem. p 310 l. 7 nomen. l. 15. pronomine p. 318. l. 6. Schemo. p. 321. l 14. assertiones. l. 30 absolute p. 335. l. 19. distinguere. p. 342. l. 8. facere. p. 345. l 30. idem. p. 346. l 13 prolato. p. 350. l. 26. accidit. p. 351. l. 16. vel redundat lege à priori. p. 354 l. 33 non injuria. p. 361. l 27. ullum. p. 364. l. 2. statuatur p. 371. l. 8. urbi. l 16 amissis l. 26. liber. p. 372. l. 16. est. p. 375. l. 24. utrumque. p. 376. l. 14. identifica. l. 31. acceptam p. 379. l. 19. colebantur. p. 369. l. 4. lege si enim solus Deus adorandus est, non igitur alius adorandus p. 385. l. 9. centum p. 386 l 17. Pergo. p. 395. l. 4. is. p. 402. l. 2. accommodandâ p. 407. l. 33. præscire p 415. l 21 hæredi atrioque. p. 426. l. 8. judicâsse. p. 439. l 6. quod. l 17. virtus. p. 443. l 22 Sp. Sancti. p. 445. l. 12. permittunt. p. 446. l. 22 generi. l. 28. fallaciam. p. 447. l. 4. variè. p. 449. l. conceptus. p. 353. l. 13. Spiritus Sancti, ibid. l. 26. Spiritus. p. 454. l. 21. Spiritum. p. 456. l. 25. prolatum. p. 458. l. 25. objectum p 462. l. 10. fidelis.

p. 6. l. 29. χριστος. p. 21. l. 14. ἐπίστευσαν. p. 39. l. ult. ἦλθε. p. 54. l. 15. ἀντὶ. p. 74. l. 20. ἀδυνάτων. p. 103. l. 20. ἀμφοτέραις. p. 127. l. 33. υἱοθεσίας. p. 134. l. 11. ἐξοχὴν p. 245. l. 27. ἀρχῆ. p. 281. l. 10. ζῶα. p. 288. l. 11. ἐκ, τὸν. p. 303. l. 1. παραβαλεῖν. p. 395. l. 9. ἁρμόζουσα. p. 70. l. 3. ybschu. l. 4. tibschu.

